COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VI. PARS I.

LIPSIAE, MDCCLVII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patavii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

UNIVERSITY OF OKLAHOMA
LIBRARY

505
C736
v.6



I.

Academiae Sacri Romani Imperii Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum Hiſtoria conſcripta ab eiusdem Praeſide ANDREA ELIA BÜCHNERO. Halae Magdeburgicae, litteris et impenſis Ioannis Iuſtini Gebaueri. MDCCLV. 4. mai. 3 alph. 5½ pl. ſine dedic. et praefat. tabb. aen. 5.

Seculum ſuperius, quem ad modum prae aliis ob belli diuturnitatem grauitatemque, quod Europae maximam partem deuaſtauerat, luctuoſiſſimum et maximopere fuit exitioſum, ſic et idem prae reliquis omnibus ideo feliciſſimum ſemper erit habendum, quod maxima nobis apportauerit commoda, ad omnis, uti ſperamus exoptamusque, temporis finem duratura. Quis enim eſt, quem lateat, ſplendidiſſimas ſcientiarum artiumque academias, Imperialem Naturae Curioſorum, Pariſienſem atque Londinenſem, quin et Berolinenſem, huius certe condendae ſi primum ſub eiusdem ſeculi exitum captum confirmatumque reſpexeris conſilium, praeter alias fere innumeras minus quidem illuſtres viſas, utiles tamen nullo non tempore putandas, eodem ſeculo primam ſui habuiſſe originem. De hiſtoria illarum, quas iam iam enumerauimus, omnium fere primae dicendae, cum temporis ratione, quo fundata fuit, tum propter Auguſtiſſimum, quem veneratur ſem-

Hist. of Science

per, tutorem, iam differendi nanciſcimur occaſionem. Ex quo enim Ill. BÜCHNERVS modo dictae Academiae Praeſes nuncupatus fuerat, illud quoque ſtatim in ſe ſponte ſuſcepit officii, ut illius conſcriberet hiſtoriam, quam ſuo tempore datam fidem optime nunc ſupra iam indicato libro eum ſoluiſſe laetamur. Aliqua ex parte quidem id iam praeſtiterant PHILIPPVS IACOBVS SACHSIVS, cognomine A LEWENHAIMB dictus, Phyſicus Wratislauienſium, in *hiſtoria ſuccincta breuique ortus et progreſſus S. R. I. Acad. Nat. Curioſ.* omiſſo tamen ſuo nomine, edita, *Ephemeridibus* ipſius Academiae *Decur.* I. *Anno* II. inſerta, et LVCAS SCHROECKIVS, Auguſtanorum Phyſicus, in *hiſtorica continuatione progreſſus Acad. Leopold. Imper. N. C.* modo dictarum ephemeridum *Anno* VII. *Decur.* II. praefixa, vir uterque de re medica inſigniter meritus et a nobis paulo infra pluribus commemorandus: attamen doctorum virorum inde nondum ſatis factum fuerat expectationi, et ex illo inſuper tempore plura acciderant Academiae, modo triſtia, modo grata, quorum hiſtoria poſteris nondum fuerat tradita. Itaque eſt omnino, cur Ill. Auctori referamus gratias, quod huncce operoſum aeque ac utilem iucundumque in ſe non ſolum ſuſcipere voluerit laborem, ſed eum quoque, pro more ſuo, adeo docte atque eleganter maximaque cum induſtria perfecerit. Ea vero totius operis eſt ratio, ut, duplici dedicatione praemiſſa, quarum una ad Auguſtiſſimum, qui Germaniae iam tenet ſummam, Imperatorem, FRANCISCVM, altera ad Academiae Protectorem, MAXIMILIANVM IOSEPHVM, Sereniſſ. Bauariae Ducem Principemque Electorem, data eſt, Ill. Auctor deinde in praefatione exponat, quibusnam in hac conſcribenda hiſtoria uſus fuerit adminiculis, iis talibus cunctis, quae fidem publicam quam maxime mereantur: ut omnem poſtea tractationem decem abſoluat *ſectionibus*, quarum *prima*

agit

agit de Academiae *origine, progreſſu et praeſenti ſtatu, ſecunda de* eius *legibus atque priuilegiis Caeſareis; tertia de operibus litterariis tam ſingularibus, quam communibus; quarta de protectoribus; quinta de praeſidibus; ſexta de directoribus ephemeridum; ſeptima de adiunctis; octaua de collegis; nona de fautoribus atque patronis; decima* denique *de bibliotheca atque muſeo*; adiecto ſub finem indice locupletiſſimo. In prima nunc, potiore viſa, enarranda ſectione, quippe quae reliquarum index quaſi generalis eſt, paulo longiores iam eſſe liceat.

Exoptatiſſima tandem pace, poſt bellum per in- p. 6.
tegros proh dolor! triginta annos protractum, Germaniae Monaſterii Weſtphalorum anno 1648 reſtituta, trepidae fugientesque muſae redibant, illuſtribus gymnaſiis academiisque denuo florentibus aliisque nouis pluribus fundatis. Apud exteras quoque gentes ſingulari quodam ardore in ſocietates coibant viri docti, quorum exemplo, Italorum in primis, permotus IOANNES LAVRENTIVS BAVSCHIVS, p. 17.
Medicinae Doctor et liberae ſacri romani imperii rei publicae *Suinfurtenſis*, in circulo Franconico ſitae, medicus publica auctoritate conſtitutus ſiue ſic dictus Phyſicus, vir in hiſtoriae naturalis, chemiae atque botanices doctrinis verſatiſſimus, de noua condenda ſocietate ſerio cogitabat, cuius ſtudio atque laboribus naturae theſauri atque myſteria inueſtigarentur. Vergente itaque anno 1651 epiſtolam ad viros doctos medicos edebat, qua hancce ipſis ſuam declarabat voluntatem eosque ad ineundae huius *Academiae Naturae Curioſorum*, quam ipſi huic primo eius auctori appellare placuit, ſodalitium inuitabat, ſubnexis ſtatim legibus ab illius ſociis obſeruandis.

Princeps tum temporis laborum, ad quos ſuſcipiendos euocabantur medici, ille erat finis, ut ſingularium rerum naturalium, quae vulgo *ſimplicia* vocantur, ex omnibus naturae regnis deſumtarum, in-

doli atque viribus curioſe, quaque fieri poſſet diligen-
p. 24. tia, inueſtigandis ſtuderent. Ante omnia igitur cum ciuibus ſuis atque collegis conferebat BAVSCHIVS eorumque reportabat applauſum, ut anno 1652 ipſis calendis ianuarii primum eumque ſolennem Suinfurti celebrarent conuentum prima academiae membra, nimirum praeter ipſum iam dictum BAVSCHIVM, IOANNES MICHAEL FEHRIVS, GEORGIVS BALTHASAR METZGERVS, et GEORGIVS BALTHASAR WOHLFARTH, ii omnes Medicinae Doctores, artem ſuam Suinfurti cum laude profitentes. Annus itaque iam dictus 1652 Academiae noſtrae vere natalitius aeſtimari debet, licet de eo vix non omnes, qui artis medicae conſcripſerunt hiſtoriam, falſa narrent vehementerque cum a ſe inuicem, tum
p. 27. a veritate ipſa recedant. Vi legum igitur in hoc omnium primo conſeſſu BAVSCHIVS, uti iuſtiſſimum erat, ipſius Academiae *Praeſidis*, ſummam eius curam habituri, FEHRIVS autem atque METZGERVS, *Adiunctorum* titulis atque honoribus exornabantur, quibus et tunc illud potiſſimum erat officii, ut literarum cum aliis viris doctis haberent commercium eosque ad ineundam hancce nouam ſocietatem inuitarent. Vt illis ipſis porro legibus ſatis fieret, argumenta proponebat Praeſes, quorum exploratione ſinguli ſodales in ſe ſuſciperent: is ipſe nimirum aetiten, FEHRIVS abſinthium, METZGERVS ambram et WOHLFARTHIVS alcen, ceu academica ſibi data penſa, eligebant, in quibus indagandis elaborarent. Nomen quod attinet nouae huius ſtabilitae ſocietatis, illud quidem *Academiae Naturae Curioſorum* unanimi omnium conſenſu confirmaba-
p. 33. tur: ex more tamen illius ſeculi communi, quo per ſimilitudinem loqui amabant viri docti, aliud inſuper adſciſcebant ſocii, quo labores ſuos et arcta ſocietatis vincula accuratius indigitarent, *argonauticae* quippe *expeditionis*. Quo factum fuit, ut cognomina inde petita

petita nanciſcerentur academici, ſub quibus in ſociorum numerum referrentur, quam ipſos appellandi rationem inter poſteros quoque inualuiſſe conſtat. Itaque BAVSCHIVS *Iaſonis*, FEHRIVS *Argonautae*, aliique alia ſibi induebant cognomina. Eodem etiam p. 39. tempore, ad aliarum ſimilium ſocietatum exemplum, academicum aliquod, quo uterentur ſodales, excogitabant ſymbolum, *annulum* ſcilicet *aureum, in quo gemmae loco liber eſſet apertus atque euolutus, cuius alteram paginam oculus, alteram planta quaedam exornaret; ipſum vero librum ab utraque parte duo ſerpentes, corpore et cauda circa annuli circulum circumtorti atque circumuoluti, ore tenerent:* quae inſignia ſubſecuto tempore anno nempe 1687 ab Imperatore LEOPOLDO confirmata in eoque tantum mutata fuerunt, quo nunc annulus iſte ſcuto maiori coeruleo comprehendatur; una porro libri pagina haecce verba exhibeat: *Numquam otioſus;* altera autem oculum radios ſolis ex oppoſito angulo euibratos intuentem; ipſi inſuper ſcuto corona incumbat ab aquilae ungulis ſuſtentata; integrum autem ſcuti marginem haecce verba impleant: *Caeſareo-Leopoldina Naturae Curioſorum Academia.*

Dicto igitur iam modo conſtituta Academia, id p. 44. nunc meditabantur ſocii, ut plures ad ſodalitium arceſſerent. Itaque iam ſupra memorati Adiuncti literas, quas vocant, inuitatorias ad plures et fama et eruditionis laude claros exarabant medicos, vellent huic nouo ordini eiusque laboribus accedere atque transmiſſis Academiae legibus ſubſcribere. Illi ſe quoque adiungebant primo alteroque anno nouem haud leuioris famae medici; nihilo tamen minus, quod fere omnium, quae Principis alicuius auctoritate ac liberalitate non adiuuantur, ſocietatum commune ſolet eſſe fatum, quod non niſi lente increſcant, illud et noſtra quoque ab initio experiebatur Academia. Primo enim aetatis ſuae decennio valde tar-

dum capiebat incrementum, cuius ſine dubio cauſa in primis bella, nuper denuo in Germaniae prouinciis orta, erant, adeo, ut illa ex imperii principibus nullum omnino nanciſci poſſet beneficum iuſtumque ſui et aeſtimatorem et protectorem. Accedebat et hoc, quod, METZGERO paulo poſt in Gieſſenſem denique Tubingenſem academias auocato, iuuenem et expeditum aeque ac ſolertiſſimum doctiſſimumque laborum ſuorum ſocium amitteret, alter autem Academiae *Adiunctus*, FEHRIVS, cunctis breui tempore perficiendis laboribus ſolus ideo impar fieret. Triſtem inſuper Academia faciebat iacturam in tertia ſociorum parte, primis illico annis per inopinatam mortem in ſtudiis ſuis interpellata. Ipſa quoque legum Academiae aſperitas plures, quo minus amplecti vellent conſortium, deterrere poterat. A ſociis enim quolibet ſemeſtri exhiberi debebat commentatio, rem medicam naturaeque hiſtoriam illuſtrans, adiiciendis aliorum iudiciis, cenſuris et animaduerſionibus, committenda. Reliqui tamen, qui fidem iam dederant, ſodales, nec a fine, neque a laboribus ſibi praefixis deterreri ſe patiebantur, ſed eorum potius in ſe ſuſcipiebant nouos, in ſua ad Academiam magis magisque ſtabiliendam conſtantia inſigniter confirmati ſtudio indefeſſi viri, SACHSII, paulo ſupra iam a nobis commemorati, anno 1658 ad communitatem hanc accedentis, *Phoſphori* cognomine vel ideo recte cohoneſtati, quod Academiam a tenebris vindicatam ſingularibus ſuis conatibus in ſplendidiore luce poneret. Exteris enim gentibus vir hicce celeberrimus notum faciebat inſtitutum ipſique apud eas plurimum conciliabat exiſtimationis, primusque erat, qui laborum academicorum ederet ſpecimen, in opuſculo, quod *ampelographiam* inſcripſerat, de vite vinifera curioſe doctеque commentatus.

p. 60. *Secundum* igitur *decennium* longe laetiori conſpicuum erat incremento, pluribus varii argumenti a

ſociis

ſociis in lucem emiſſis opuſculis, penſi academici titulo inſignitis. Parcior quidem erat nouorum ſodalium acceſſio, ſed eorum plurimi et praeclara eruditione et de ipſius Academiae altius euehendis rebus bene merendi cupiditate inſignes, compenſabant id uberrime, quod minor quidem numerus detrahebat. Publica tamen aeque ac priuata, quae priori Academiae obſtiterant progreſſui, offendicula, per hoc quoque eius ſecundum occurrebant, ad quae potiſſimum referendus erit ipſius Praeſidis atque conditoris obitus, qui anno 1665 accidebat. Vt interim p. 67.
tamen magis magisque commendaretur Academia, ipſiusque inſtitutum innoteſceret, reliquorumque doctorum virorum iudicia, ad limites illius facilius citiusque ampliandos, conferrentur, Lipſiae edebat FEHRIVS anno 1662 libellum, ſub nomine *Salue academici*, quo literae iam ſupra nominatae inuitatoriae, programma Bauſchianum, leges Academiae, variorum excellentium medicorum lata de academicorum conatibus iudicia ipſorumque ſociorum index, praemiſſa praefatione, comprehendebantur, Quum ipſae etiam leges nimis durae viderentur plurimis, eae bis mutabantur: una vice, ab ipſo BAVSCHIO, quae iam dicto *Salue academico* inſerebantur; quae vero mutatio nimis parca erat; altera autem vice, paucis annis poſt. Quum FEHRIVS enim SACHSIVSque aliorum doctorum virorum mentem atque conſilia expiſcati fuiſſent, ab illo viro, poſtquam, BAVSCHIO demortuo, Academiae Praeſes conſtitutus fuerat, ad exemplum Academiarum Pariſienſis atque Londinenſis, reformatae et ad aliorum monita retractae, prodibant anno vergente 1669, communi omnium ſuffragio confirmatae. Semeſtrium itaque p. 73.
laborum academicorum onere ſublato, annuarum in primis *ephemeridum* editio conſtituebatur, quibus inuenta, obſeruationes, experimenta, minoraque ſcripta, ea cuncta ad rem phyſicam atque medicam

pertinentia, colligerentur: Praeſidis porro Adiunctorumque officia magis ſtabiliebantur; et, inter reliqua, nomini *Academiae Naturae Curioſorum* illud quoque ab eo tempore adſciſcebatur vindicabaturque, quod *Sacri Romani Imperii* diceretur Academia, ea potiſſimum ſpe increſcente, ut ſumma Imperatoris gratia atque tutela ipſi conciliaretur. Neque fefellit haec ſpes viros illos de Academiae augmento atque ſplendore ſtrenue cogitantes. Variis enim vel iis quoque minoribus academicis opuſculis, vi prioris inſtituti, in lucem emiſſis, *Wratislauiae*, quod celebratiſſimum tum temporis erat Sileſiorum emporium, ab Academiae ſociis et inter hos in primis a ſaepius iam laudato SACHSIO, Academiae tunc *Adiuncto* fideliſſimo, coniunctim ibi viuentibus, colligebantur ea omnia, quae ephemeridibus euulgandis deſtinata
p. 89. erant, adeo ut, *ſpecimine* earum anno 1670 edito, tandem paulo poſt eodemque anno hae ipſae ſub titulo *Miſcellaneorum curioſorum, medico-phyſicorum, Academiae Naturae Curioſorum, ſiue Ephemeridum phyſico-medicarum Germanicarum curioſarum*, prodirent. Inſequenti ſtatim anno 1671 ſecundus earum ephemeridum tomus ſiue *annus* dictus, foras emittebatur, uterque Imperatoris, LEOPOLDI, nomini inſcriptus atque dedicatus. Quo factum quoque fuit, ut Academiae leges huc usque priuatae tantum dicendae, ampliſſimo Caeſaris diplomate confirmatae,
p. 101. publicam nanciſcerentur auctoritatem. Iam anno quidem 1672 illud ab optimo Caeſare fuerat conceſſum, propter ſumtus tamen ſatis inſignes, qui in redimendum illud ex *Cancellaria*, quam barbare dicunt, Caeſarea impendendi, propter aerarii academici defectum, non niſi demum anno 1678, Wratislauienſium in primis collegarum ſtudio, impetrabatur, qui illud etiam illico typis mandabant. Quamuis nunc autem Academia, tum iſto ſummi Imperatoris applauſu, tum celeberrimis iisque permultis accedentibus

bus ſociis, firma ſatis ſtabilitaque videretur, inſuper tamen augmento eius apprime ſe conſulturos eſſe putabant Praeſes ceterique ſodales, ſi cuiusdam ex Imperii Germanici Principum ordine ſingularem ſibi expeterent tutelam, qui *Protectoris* nomine atque officio illorum conatus adiuuaret. Facillime id quoque exorabant patrocinium ab Illuſtriſſimo viro, RAYMVNDO A MONTECVCOLI, S. R. I. Comite inſignibusque dignitatum muneribus in aula Imperatoris conſpicuo, qui primus illo nomine anno 1667 ſe compellari patiebatur; eo autem paucis annis poſt demortuo, idem ab ANSELMO FRANCISCO, Principe Electore Moguntino, anno nimirum 1681 conſequebantur. Feliciſſimum itaque hoc *tertium* Academiae erat *decennium*. Alacri etiam ſtudio labores p. 106.
ſuos continuabant ſocii, ita ut ab anno 1672 ad illum 1680 quinque ephemeridum volumina, cum illis binis prioribus decem annos complectentia, *decuriae* titulo numeroque inſignita, prodirent; ne quid iam dicamus de aliis pluribus opuſculis, penſi academici titulo conſcriptis et a non nullis ſodalibus editis, deque priuata eorum induſtria ſatis ſuperque teſtantibus.

Quartum deinde glorioſiſſimum Academiae euade- p. 108.
bat *decennium*. Maximam ea quidem faciebat iacturam morte vigilantiſſimi ſui Praeſidis, FEHRII, quae anno 1688 accidebat; iſta tamen cito reſarciebatur IOANNE GEORGIO VOLCKAMERO, celeberrimo Vindobonenſium medico, quippe qui ante duos iam annos in illius locum, Praeſidis officium propter ſenectutem ſponte deponentis, electus ſurrogatusque fuerat. Optimi huius noui potiſſimum praeſidis ſtu- p. 115.
dio parta, inſignem omnino Academiae afferebant ſplendorem noua eaque honorificentiſſima ab Imperatore anno 1687 ipſi data priuilegia, quibus Academiae leges is non ſolum denuo confirmaret eamque ipſam in tutelam ſuſciperet, ſed ei quoque in honoris

documen-

documentum concederet insignia, supra iam descripta; Praesidem porro et ephemeridum Directorem, et tunc viuentes et omnes secuturos, in ordinem S. R. I. Nobilium Comitumque Palatinorum dictorum reciperet iisque tribueret *Caesareae Maiestatis Archiatrorum et Personae Imperialis Medicorum* honores atque titulos, aliis immunitatum atque honorum pluribus iam silentio praetermittendis. Hos ab Imperatore sibi concessos honores mereri quoque cupie-
p. 117. bant Academici. Ephemerides enim Wratislauiae hactenus collectae, varias nunc ob causas *Norimbergam* mittebantur, earum curam ibi gerente VOLCKAMERO, deinque hoc ad Praesidis dignitatem euecto, LVCA SCHROECKIO, Augustanorum Physico, utroque inde *Ephemeridum Directoris* nomine solenniter cohonestato. Illarum igitur *decuria secunda*, decem continens volumina ad totidem annos referenda, ab anno 1683 ad annum usque 1692 absoluta fuit.

p. 120. Variae quidem per *quintum decennium* ortae, calamitates retardare potuissent earum collectionem, inter quas potissimum integerrimi Praesidis, VOLCKAMERI, obitus anno 1693 eueniens referri debet. LVCAS SCHROECKIVS vero iam iam memoratus, vir litteratissimus et Academiae optime cupiens, in illius locum electus Praeses, et IOANNES PAVLVS WVRFBAINIVS, Norimbergensium Physicus, ephemeridum Director constitutus, uterque bene consulebat Academiae. *Tertiae* igitur ephemeridum *decuriae* quinque volumina ab anno 1694 ad annum usque 1700 typis expressa prostabant, reliquis, quae per illud temporis spatium prodire debuerant, voluminibus, propter varia impedimenta subsecuturo
p. 127. tempori reseruatis. Illud adhuc ex iam dicta huius aetatis periodo annotare licet, Collegas Academiae Wratislauienses speciale aliquod ab Imperatore petiisse et ex voto etiam exorasse priuilegium, quo singulares quaedam sibi concederentur immunitates, in primis

primis quo reliquos in eadem urbe habitantes medicos ad communitatem Academiae non admissos, quocunque in loco semperque praecedere sibi liceret. Illam honoris praerogatiuam vel ideo se mereri existimabant, quod ipsorum potissimum studio factum fuisset, ut edendarum ephemeridum et caperetur consilium et quoque fieret initium Wratislauiae.

Sextum Academiae *decennium* erat omnino lu- p. 133
ctuosum. Rerum enim suarum munificentissimum statorem anno 1705 amittebat morte Imperatoris, LEOPOLDI, parique fato, vix praeterlapsis sex annis, IOSEPHI, patris huius regnorum atque virtutum haeredis. Lugebat quoque sub initium 1711 Directoris, WVRFBAINII, obitum, cuius munus in MICHAELEM FRIDERICVM LOCHNERVM, Poliatrum Norimbergensem, deferebatur. Accedebant tristissima bella, meditullium quasi Germaniae denuo deuastantia, ut inde doctorum virorum labores valde interpellarentur. Nihilo tamen minus *tertiae* ephemeridum *decuriae*, quod supererat, pensum pertexebatur, ita ut *sextum* earum *volumen* duo annos continens, anno 1702, *septimum* vero, itidem annos duo complectens, anno 1706 ederentur. In genere adhuc de recensitis huc usque ephemeridum voluminibus monendum est, eos tantum annos, in quibus prima vice prodierunt, a nobis esse nominatos. Scire enim licet, singulos istos tomos diuersis deinde temporibus recusos fuisse.

Quo tristius autem illud erat decennium, eo ho- p. 137
norificentius *septimum*, quod nunc sequebatur, Academiae existebat. Propensam enim in se experiebatur Imperatoris, CAROLI sexti, voluntatem, quippe qui non muneribus solum exornabat illam, sed tam singulari quoque gratia excipiebat, ut augustum suum nomen ei inderet eamque in posterum *Leopoldino-Carolinam* dici iuberet. Director quidem, LOCHNERVS, anno 1720 deserebat hanc vitam,

dispen-

diſpendium autem inde factum reſarciebatur electo
p. 142. IOANNE MAVRITIO HOFFMANNO, in Academia Norimbergenſium Altorfina Profeſſore, qui ephemerides curaret. Titulus iis praefixus colligendique ratio paululum iam immutabantur. Quae hactenus enim *Decuriarum* prodierant nomine, nunc *centuriatim* in faſciculos collectae *Centuriarumque* titulo inſignitae diuulgabantur, quarum *prima* et *ſecunda* anno 1712, *tertia* et *quarta* 1715, *quinta* et *ſexta* 1717, *ſeptima* et *octaua* 1719, in lucem emittebantur, quibuslibet earum binis uno ſemper volumine ideoque cunctis his octo centuriis quatuor voluminibus comprehenſis. Praeter hanc obſeruationum collectionem, ſingularia hactenus, uti iam ſaepius a nobis dictum fuit, opuſcula, ſingularium corporum naturalium hiſtoriam et indolem illuſtrantia, conſcripſerant ſodales, ut primi inſtituti legibus ſatis facerent, ex quibus tamen illud erat ultimum, quod de elephante agit, *elephantographia* ideo inſcriptum, auctore GEORGIO CHRISTOPHORO PETRI, AB HARTENFELS cognominato, anno 1715 cum orbe literario communicatum. Obiit hic vir admodum ſenex anno 1718, quum per undecim integra, et quod excurrit, luſtra, id quod valde raro accidet, in ſocietate cum Academia vixiſſet.

p. 143. *Octaua* aetatis Academiae *decennis periodus* ipſi erat ideo calamitoſa, quod anno 1727 HOFFMANNVS iam laudatus Director, poſtque duos annos, qui ſucceſſor eius conſtitutus fuerat, MICHAEL BERNHARD. VALENTINI, in Gieſſenſi academia Profeſſor, anno 1730 autem Praeſes optime meritus, LVCAS SCHROECKIVS, morte ipſi eriperentur. In VALENTINI locum eligebatur IOANNES IACOBVS BAIERVS, in academia Altorfina Medicinae Profeſſor Primarius; hoc autem, poſt obitum SCHROECKII, Praeſide nuncupato, ephemeridum cura et directorium MICHAELI ERNESTO ETTMÜL-

MÜLLERO, Lipsiensi Professori medico, committebatur. Graues quidem tum temporis oriebantur dis- p. 147.
sensiones inter Praesidem Academiae, BAIERVM, *Commerciique Litterarii Norimbergensis* auctores, quod anno 1730 suum capiebat initium. Tale enim institutum Academiae suae fieri posse damnosum existimans BAIERVS optimus, GOETZIVM et TREWIVM, *commercii* illius directores simulque Academiae N. C. socios, ut a proposito desisterent, reliquos autem sodales, ne obseruationes ad illud transmitterent, serio hortabatur. Academiae autem commodis ne quidquam detrahere volentes Norimbergenses, instituti sui tenaces, susceptos continuabant labores. Temporis etiam successu apparebat, non habuisse BAIERVM, quid de sua metueret Academia. Eodem enim tempore suum is de adornanda ipsius bibliotheca publica atque museo captum consilium, per literas anno 1731 emissas publicauit huncque finem feliciter obtinuit, uti nuper iam a nobis commemoratum fuit, quum singularem illum librum, quo conditae eius historiam statumque praesentem, Ill. BÜCHNERVS tradidit, indicaremus *. Varia tamen passim oborta id efficiebant impedimenta, ut *nona decimaque centuria* anno tantum 1722 ex typographeo redderentur, sumtibus ideo expendendis ab ipso, dum viueret, meritissimo Praeside, LVCA SCHROECKIO, munificentissime suggestis. Otium denuo sequebatur per quinquennium, quod anno autem 1727 sublatum excipiebant continuata academicorum opera, nouo volumine contenta, externo tantum habitu immutato: *Actorum* enim tum temporis *physico-medicorum* titulo edi coeperunt, quorum *secundum volumen* post trium annorum spatium, anno nimirum 1730 in lucem protrahebatur.

In *nona* porro sua *decenni aetate* varias experieba- p. 153.
tur Academia commutationes. Sub ipsius enim initium

* Vid. Comment. nostr. Vol. IV. P. IV. p. 702.

tium anno 1732 Director, ETTMÜLLERVS, et paulo post 1735 ipse Praeses, cui multum sane debuerat haecce literaria societas, BAIERVS, morte ipsi adimebantur. In illius locum feliciſſimo omnium suffragio Ill. huius libri Auctor, ANDREAS ELIAS BÜCHNERVS, hoc ipso autem, post BAIERI obitum, ad ipsa Academiae gubernacula ex omnium votis admoto, IOANNES GVILIELMVS WIDMANNVS, Poliater Norimbergensis, surrogabatur ephemeridum Director. Quorum igitur doctiſſimorum virorum cura *Actorum physico-medicorum* tria volumina per hoc temporis spatium euulgabantur. Scire enim licet, eorum *tertium* anno 1733, BAIERO adhuc soło curante, *quartum* 1737 et *quintum* denique anno 1740 publici iuris facta fuisse. Eodem etiam tempore, anno nempe 1739 Vir industrius, GVILIELMVS ANDREAS KELLNERVS, Ducis quondam Saxo-Isenacensis Medicus, Ill. Praesidis consilio excitatus, indicem confecit ediditque uniuersalem utiliſſimumque rerum omnium annotatu dignarum in Ephemeridum siue Miscellaneorum Decuriis tribus et Centuriis decem, iis omnibus iam a nobis supra nominatis, reperiundarum. Similem quidem laborem iam olim susceperant antea laudatus WVRFBAINIVS et IOANNES CONRADVS MICHAELIS, Poliater Hanouiensis, quorum tamen labores *Kellneriana* opera longe esse inferiores illico patet opus ipsum aspicienti.

p. 158. Deuenimus tandem ad *decimum*, quod feliciter superauit Academia, *decennium*, quod praesentem eius simul statum ante oculos ponit. Illo quidem proxime superiori exeunte, anno nimirum 1740 Auguſtiſſimum rerum ipsius statorem, Imperatorem, CAROLVM sextum, ereptum ipsi fuisse inter omnes constat. CAROLVS autem septimus, qui sequebatur eum in imperio, optimus Caesar musisque vere amicus, longiore vita digniſſimus, Academiae admodum

dum propitius, confirmabat eius iura, vindicabat ea augebatque, et Praesidem atque Directorem *Caesareorum Consiliariorum* honoribus exornabat. Verum enim vero optimum hunc Caesarem diu rebus Germaniae interesse praematura fata nolebant. Praeter omnium enim opinionem fatalis morbus vixque praeuisus anno 1745 vitam ipsi auferebat. In eo interim Academia reperiebat solatium, quod MAXIMILIANVM IOSEPHVM, Sereniſſimum Bauariae Ducem Principemque Electorem, filium patre CAROLO dignum, *Protectorem* ipsius non se velle solum appellari, sed talem quoque semper futurum sponderet. WIDMANNO, ephemeridum Directore, anno 1743 ex hac vita euocato, officium eius CHRISTOPHORO IACOBO TREWIO, Sereniſſ. Marchionis Onoldino Brandenburgici Consiliario Aulico et Archiatro, uti et Norimbergensis rei publicae Physico ordinario, aliisque splendidioribus exornato muneribus, viro in publica commoda nato, tradebatur, qui et nunc cum Ill. BÜCHNERO, viro laudibus nostris superiore, Academiae laudum gloriam incolumitatemque optime conseruat. Quorum Illustrium virorum studio *Actorum* Academiae *volumen sextum* anno 1742, *septimum* duobus annis post, *octauum* 1748, *nonum* 1752 successerunt prioribus, quae denique ante hos tres annos *decimum* excepit, ex quibus binorum ultimorum summa atque ratio a nobis suo tempore tradita fuit *. A suo etiam, quod iam in praefatione decimo volumini praemissa fecit, promisso se proxime staturum esse Ill. Praeses denuo inhuit, quo hasce nimirum Academiae ephemerides in posterum sub titulo: *Nouorum Actorum physico-medicorum* editurus eamque sit daturus operam, *ut externo* p. 164.

* vid. Comment. nostr. Vol. II. P. I. p. 32. et Vol. IV. P. IV. p. 678.

no quoque ornatu maiori, quam hactenus fieri potuit, in publicum prodeant, et figillatim figurae artificioſe magis et accurate elaboratae compareant, dummode primitiua delineatio id permittat; id quod a candido eius bene de Academia ſua totoque literario orbe merendi feruore non ſperamus ſolum, ſed quoque confidimus.

Sectio igitur totius operis prima, cuius praecipuum argumentum iam redegimus in epitomen, reliquarum, quae ſequuntur, ſyſtematicum quaſi indicem continet. In his enim, uti ab initio iam commemorauimus, de iis omnibus, quae Academiam
p. 556. attinent, uberius diſputatur. Illud interim ex *ſectione nona de fautoribus atque patronis Academiae* annotare nos iubet grata meritorum aeſtimatio atque memoria omnibus iis debita, qui augendis exornandisque fauent bonis literis, quod nimirum IOANNES ADAMVS GENSELIVS, diui Marci Eques, Philoſophiae et Medicinae Doctor, liberaeque ciuitatis in Pannonia ſuperiore Sempronienſis Phyſicus et Academiarum Naturae Curioſorum et Boruſſicae Sodalis, per legem teſtamentariam, inter alia munificentiae ſuae bonaeque in rem publicam voluntatis documenta, id quoque paulo ante ſuum obitum anno 1720 conſtituerit, ut quotannis redundantes ex legato ſex mille florenorum Imperialium uſurae in Academiae N. C. impenderentur emolumenta. Quo autem optimi viri legato, poſt infinitas difficultates a Senatu Sempronienſi aliisque maleuolis, uti ſaepius proh dolor, accidere ſolet, motas agitatasque, tandem autem feliciter ſatis ſuperatas, frui coepit Academia anno demum 1751, grauiſſimum nihilo minus bene-
p. 561. ficii eius detrimentum paſſa. Alius tamen eiusque, uti opinamur ſperamusque, haud illo minoris futuri, muneris conſequendi ſpem alit Academia, fore nimirum, ut Illuſtris quidam raraque eruditione conſpicuus ipſius Socius, qui ſuo tamen nomini parcere adhuc iuſſit, eam, quae huc usque defuit, aerarii

acade-

academici opulentiam ita eumque in finem augeat liberalitate sua, ut, in aliarum Academiarum exemplum, *praemiis* per certas temporis periodos proponendis constituendisque, rerum naturalium cultores, ad argumenta singularia accuratius inuestiganda, inuitari incitarique possint. Facere non possumus, quin hanc prorsus non inanem spem gratulemur Academiae, eiusque a paruis valde initiis ad insigne hoc, quo eminet, dignitatis fastigium elatae, mirantes felicitatem, optima quaeuis, pro nostro in literarum res naturales explicantium cognitionem amore, ex animo apprecemur.

II.

PHILIPPI CONRADI FABRICII, Med. D. Sereniss. Duc. Brunosuicensium et Lüneburgensium a consiliis Aulicis Med. Professor. public. Ordinar. Societat. Medic. Helmstad. Praesid. Academ. Caesar. Nat. Curios. Colleg. Ordin. Med. in Academ. Iul. Carolin. h. t. Decani de fonte martiali medico Helmstadiensi Disquisitio, inclitae Academiae caesareae Natur. Curiosorum dicata. Helmstadii 1756. typis viduae P. D. Schnorri, 4. pl. 4½.

Cl. huius disquisitionis Auctor, qui tam eleganter conscriptam, quam bene elaboratam expositionem fontis cuiusdam martialis medicati, prope Helmstadium scaturientis nobis exhibet, omnibus fere paginis simul ostendit, illum recentiores primariosque aquarum mineralium scrutatores diligenter euoluisse atque legisse. Postquam locum et regionem determinauit, ubi ille fons prosilit, tanquam memorabile refert, in eius vicinia non solum lithantraces effodiri, sed omnem etiam agrum Helmstadiensem multa mar- p. 3.

tialis cuiusdam indolis vestigia, fodinis scilicet bolaribus rubris, pyritis et ferri lapidibus passim occurrentibus, exhibere. Aquam autem ipsam cum aqua Pyrmontana vel Schwalbacensi, quod ad saporem vitriolicum et atramentaceum, nec non effectum in feces attinet, comparat: licet non adeo multas bullulas aereas, deficiente illo elastico, neque, dum gustatur, tanta acredine, principii aciduli copiosioris indice, linguam feriat, ac modo memoratae aquae. Multa deinde cum aqua hac instituit Cl. Auctor ex-
p. 9. perimenta, e quibus praecipua adducemus. Si huic aquae dimidius pugillus herbae Thee, aut unum vel alterum granum Gallarum turcicarum iniiciebatur, oriebatur primum color violaceus, deinde purpureus, qui tandem in atramenti similem mutabatur, manifesto indicio, hanc aquam aliquid vitriolici continere, cuius acidum cum particulis herbae Thee, vel Gallarum terrestribus magis amicis se coniungens martem,
p. 11. antea adiunctum, maximam partem demittit. Rasura autem ligni de *Fernambucco* huic aquae immissa eidem colorem, primum ex violaceo purpureum, vel plane nigricantem conciliabat, ex quo *phaenomeno* maiorem alcali in aqua copiam elucere credit. Nec acidum minerale, et quidem cum salino terreo alcalino principio minime adhuc in salem medium coalitum, in hac aqua deficere ex tincturae succi coerulei pictorum, quem nostri *Lacmus* adpellant, probat. Aqua enim, breui post admistionem, colorem e violaceo purpureum, acidi tenerioris in aqua illa indicem, nanciscebatur. Tincturam enim succi illius coerulei colore syrupi violarum, cum Cl. LIMBOVRG *de aq. Spadan. p.* 133. longe sensibiliorem iure pronuntiat, quippe quae vel minimum acidi alicubi offendens, illud coloris sui coerulei in plus minus rubrum statim prodit mutatione.

Memoratu autem admodum dignum nobis visum est phaenomenon, quod apparuit oleo tartari per deliquium

liquium huic aquae inſtillato. Oriebatur quidem aliquis initio motus inteſtinus, breuiſſimae tamen durationis: ipſa aqua vero nec turbida fiebat, nec colorem lacteum monſtrabat. *Breui poſt autem* inquit Cl. Auctor, *colorem aſſumere incipiebat citrinum, et quum per noctem ſic ſtetiſſet — plures floccos coloris aurantii ad fundum praecipitabat. — — Quocunque alio alcali admixto*, pergit ſequenti pagina, *ſiue volatili, ſiue fixo — — eadem praecipitatio floccorum luteorum ſequebatur.* Certe, niſi omnia nos fallunt, apud nullum aquarum ſcrutatorem legimus, eiusmodi praecipitatum citrinum, vel aurantium, infuſo oleo tartari, in aqua minerali obſeruatum fuiſſe. Nec rationem concipere poſſumus, cur praecipitatum citrino vel aurantio tinctum ſit colore. Vidit quidem Cl. SPRINGSFELD * in thermarum Carolinarum aquis, infuſione ſolutionis mercurii ſublimati, flocculos aurantii coloris deſcendere, quod a praeualente principio alcalino thermarum Carolinarum concipi poteſt. Sed in aquis Helmſtadienſibus cauſam praecipitati citrini vel aurantii, a ſolo admixto oleo tartari, comprehendere non valemus; praeſertim quum ſecundum experimentum XIX huius diſquiſitionis ab admiſta ſolutione mercurii ſublimati nulla mutatio obſeruata fuerit. Quid? quod Cl. KRÜGER, qui eundem fontem praeterito anno examinauit, et peculiari libello **, germanica lingua compoſito, deſcripſit, idem experimentum inſtituit et, addito alcali tam fixo, quam volatili, terram ferri, quam martialem vocant, praecipitari animaduertit. Vt igitur Cl. Auctor experimentum repetat neceſſum iudicamus. p. 13.

* *Abhandlung vom Carlsbade. Leipzig*, 1749. pag. 190. n. 18.

** D. IOHANN GOTTLOB KRÜGERS, *ordentlichem Profeſſoris zu Helmſtaedt* etc. *Gedancken von dem Helmſtaedtſchen Geſundbrunnen* etc. *Helmſtaedt* 1755. 4. p. 29.

p. 15. Si lac huic aquae admiſcetur, nullum exinde, ut ab aliis acidis fieri ſolet, ſequitur coagulum. Alcali autem multo euidentius ſe manifeſtat, quod a quocunque acido affuſo ſemper ebullitio quaedam in illa oritur. Quod autem terreae magis indolis ſit, teſta-
p. 19. tur ſolutio argenti puri cum aqua forti facta. Si aqua haec aeri libero exponitur, poſt aliquot horas ſapor vitriolicus non ſolum euaneſcit, ſed etiam experimenta cum herba Thee et puluere Gallarum repetita non ſuccedunt. Ex quibus iure colligit, quum aetherem, tum reliquum aerem puriorem, ipſi incluſum, in auram abiiſſe: vitriolicas autem et martiales particulas contentas propius ad ſe inuicem accedendo ſpecifice grauiores eſſe factas, atque delapſas.

p. 21. Nunc examini chemico ſuas Cl. Auctor ſubiecit aquas. Ex duabus libris huius aquae, leni igne ad ſiccitatem uſque coctis, duo fere grana puluerıs alcalini, blande ſalini, ſubfuſci, ſeptem vero vel octo grana terrae cuiusdam martialis rubrae, cui ſemper aliquot granula albicantia, ſub dentibus ſtridentia, inſtar verae arenae immixta erant, obtinuit. Vltima haec granula ſimilitudinem cum terra ſelenitica, quam Cl. SEIPIVS in fonte Pyrmontano, et Cl. SPRINGSFELD in fonte Spadano detexerunt, habere autumat. Quumque ex huius obſeruatione conſtet, duas libras aquae Spadanae facta euaporatione, largiri ſalis et materiae ſeleniticae duodecim grana, Cl. Auctor ſibi perſuadet, illos a veritate omnium minime abeſſe, qui cum aquis Spadanis fontem Helmſtadienſem quam
p. 24. proxime conuenire exiſtimant. Vt vero puluerıs illius ſalini, coctione acquiſiti, veram cognoſceret indolem, diuerſa acida vitrioli ſcilicet, nitri, et ſalis communis illi inſtillauit, cum quibus omnibus vehementiſſime efferbuit, poſt inſtillationem autem olei vitrioli, vaporem ſulphureum album, admodum penetrantem, emiſit. Poſtquam vero aliis eius portionibus oleum tartari per deliquium, vel ſpiritum

ſalis

ſalis Armoniaci cum calce viua paratum affudit, omnia tranquilla manſerunt: quem ad modum hic ſal, prunis iniectus, minime crepitauit, ſed ſenſim liqueſcere incepit. Quare naturam huius ſalis, ex fonte parati, potius eſſe alcalinam quam mediam exinde adhuc magis concludit, quod ille nulla arte ſub forma perfectarum cryſtallorum obtineri queat; ſiue ad cuticulam, ſiue ad ſextae vel octauae tantum partis remanentiam haec aqua coctione exhalet, et loco frigido reponatur.

Omnia recenſita experimenta aeſtate quidem, p. 26.
menſe ſcilicet Iulio, anni huius ſeculi quinquageſimi quinti, fecit; illa tamen hieme ſequenti, menſe nempe Ianuario, anni praecedentis repetiit, ubi non ſolum ſaporem vitriolicum et limpiditatem huius aquae fortiorem et elegantiorem inuenit; ſed omnia reliqua tentamina eodem plane modo, ac in fonte Pyrmontano itidem accidiſſe Cl. SEIPIVS teſtatur, ſucceſſerunt. Haec cuncta ſatis confirmare, aſſerit Cl. Auctor, huius aquae ſcaturiginem perennem eſſe, et ex profundiori abyſſo prouenire, eamque minime fontibus temporariis, quos noſtri *Tagewaſſer* appellant, accenſendam eſſe. Tan- p. 28.
dem in terrae illius rubro luteae, ex hac aqua ſecedentis, et profluuiis eius ubique innatantis, indolem inquiſiuit, eamque chemice examinauit. Affuſo igitur huic terrae ſpiritu ſalis armoniaci, cum calce viua confecto, et colore immutabiliter perſiſtente, primum detexit, nihil cupri ei ineſſe, deinde huius terrae quatuor ſcrupulis, ſine additione corporis cuiusdam inflammabilis, crucibulo iniectis, et igne fortiſſimo per aliquod tempus tractatis, iisdemque iterum exemtis, ope magnetis copioſiſſimas particulas ferri ex illo puluere extraxit. Poſt haec totidem huius terrae ſcrupulos cum aequali portione ſalis armoniaci depurati commiſcuit, et crucibulo, prunis impoſito, indidit, quo facto non ſolum vitriolum

ferri odore ſeſe manifeſtauit, ſed apparuerunt quoque ad cruçibuli parietes et in ſuperficie materiae liqueſcentis flores ſalis armoniaci martiales elegantiſſimi. Poſt modum nitri puriſſimi drachmam crucibulo immiſit, illudque prunis circumdedit, donec nitrum inſtar aquae flueret. Huic nitro terrae illius rubrae, probe ſiccatae, exiguas portiones ſenſim iniecit: quo facto non ſolum hoc nitrum plures ſcintillas igneas ſtatim emiſit, ſed iniectione continuata, omne incenſum fuit, atque ut chemici loqui ſolent, *detonuit*, manifeſto indicio, terrae huic martiali φλόγιστον quoddam inhaerere: prout idem Cl. SEIPPIVS de terra martiali Pyrmontana pari ratione probauit. Praemiſſis his experimentis, principia conſtitutiua huius aquae mineralis accuratius determinat.

p. 32. Prima pars eſt aqua puriſſima; altera ſpiritus quidam mineralis ſulphureo-acidus, martem, ſecundum Cl. Auctorem, arripiens, et cum illo, quam diu ab aeris acceſſu defenditur, vitriolum quoddam martis praeſtantiſſimum, aqua illa ſolutum, efficiens; tertia materies illa alcalina terreo-ſalina; et quarta ferrum, vel terra quaedam martialis, ab acido ſulphureo volatili, antea coniuncto, dimiſſa. Huc etiam pertinet materia illa rubro flaueſcens, admodum leuis, omnibus effluuiis et foſſis, per quas haec aqua decurrit, adhaerens atque innatans. Quum igitur aqua fontis Helmſtadienſis, quod ad partes conſtitutiuas attinet, cum aquis aliorum fontium martialium medicatorum multum conueniat: eundem effectum ſalutarem in omnibus morbis ab illa ac ab his expe-

p. 35. ctandum eſſe Cl. Auctor, aſſerit. Quare praecipuos morbos in fine recenſet, contra quos aquae huius uſum internum atque externum proficuum iudicat, nihil addendo de diaeta, de ordine et modo eius modi aquis martialibus interne externeque utendi; quippe quod ab aliis excellentiſſimis viris, qui de acidulis vel thermis ſcripſerunt, ſatis ſuperque factum eſſe, perſuaſiſſimum habet.

III.

III.

Das Kayſer-Carlsbad in Böhmen in einer Ode entworfen, nebſt einer Abhandlung von dem Gebalte und den Kräften dieſes großen Heilmittels von BALTHASAR LVDEWIG TRALLES, *Med. Doct. und Practico zu Breslau. Breslau, bey Carl Gottfried Meyer,* 1756. 8. 10½ pl. ſine praefatione.

i. e.

Thermae Carolinae carmine celebratae; accedit tractatus partium conſtitutiuarum et virium magni illius remedii etc.

Cl. huius libelli Auctor, qui multum inter Medicos ſuis iam dudum inclaruit ſcriptis, ſibi ſumſit thermas Carolinas, in Bohemia ſcatentes, in primis quum medicorum Sileſiacorum nullus adhuc fecit, pertractare, ſuoque celebrare calamo. Praeterito enim anno nanciſcens occaſionem longe optatam cum Illuſtriſſimo quodam aegroto has viſendi thermas, ſuarum credidit eſſe partium, ea, quae inter commorandum ibi obſeruauit, atque de harum thermarum animaduertit viribus, publici facere iuris. Sed ve- p. 1.
teri ſuae atque cariſſimae amicae, poeſi ſcilicet, ſimul litat, dum elegans carmen lyricum, in laudes thermarum Carolinarum compoſitum, praemittit. De- p. 29.
inde recenſet praecipuos harum thermarum ſcriptores, ubi denuo dolet, nullum medicum Sileſiacum inter hos inueniri, quem igitur ſupplere ſibi proponit defectum.

Notum eſt ex tribus fontibus thermas Carolinas proſilire. Primus, qui calidiſſimus eſt, dicitur furioſus, vel fortis, germanice *der Brudel*, quia cum impetu ſcatet: ſecundus, nouus fons, *der Neubrunnen*, nuperrime enim modo inuentus eſt: tertius,

quia prope molam ſcaturit, molaris, *der Mühlbrunnen.* Multi quin plurimi, in ea fuere opinione aquas Carolinas praeſertim fontem furioſum, *der Brudel,* fortiſſimum eſſe remedium, quod non ſolum cum vehementia ageret, ſed robuſtiſſima etiam requireret corpora. Huic praeconceptae ſententiae argumentis ex ratione et experientia deſumtis fidenter contradi-
p. 35. cit, tandemque affirmat, thermas Carolinas tutiſſimis et blandiſſimis annumerandas eſſe remediis, ſiquidem earum uſus, ſi recte quidem, et cum debita inſtituatur cautione, nemini nocere queat, licet fieri
p. 44. non poſſit, ut omnes ſanet morbos. Probat autem aſſertionem ſuam ex partibus conſtitutiuis, quibus illae thermae componuntur. Sunt vero hae, ſecundum probatiſſimorum auctorum cum aquis his facta examina, aqua calida, ſal neuter, ſal alcalinus, et terrra alcalina, quae omnia, quum quotidie a medicis in uſum vocentur, minime eius modi, ut vulgo
p. 59. creditur, afferre poſſent damnum. Et licet non nulli argumenta a calore, et impetu, quo hae thermae proſiliunt, et quantitate terrae tophaceae, qua omnia corpora dura, earum aquis iniecta, incruſtantur, ſumant, ut earum uſum, in quibusdam ſaltem morbis, ſuſpectum reddant: minime tamen ea ita comparata contendit, ut prolatam ſuam ſententiam ſubuertant, ut eam potius confirment, quia vanum illorum reperit metum, quum contrarium non ſolum in aliorum, ſed et in ſuo, alias ſatis debili, vidit cor-
p. 64. pore. Quare harum thermarum uſum internum non tantum iunioribus, ſed tenellis quoque ſuadere minime dubitat. Securius enim medicamentum laxans, ſi ad partes componentes reſpicit, praeſcribere ne-
p. 71. ſcit. Quid? Quod rem eo agit, ut harum thermarum uſum in eius modi quoque morbis ſaepe innocuum praedicet, in quibus ab aliis ſuſpectus, et interdum pernicioſus iudicatur. Prouocat igitur ad ſuas et Cl. SCHACHERI experientias, ex cuius diſſertatione

tatione, *de Carolinarum thermarum uſu in morbis ventriculi*, memorabile profert exemplum, cui aliud hominis, ſputo ſanguineo et purulento laborantis, adiungit, qui curam cum fonte fortiori etiam factam feliciter ſuſtinuit.

His omnibus Cl. Auctor viam ſibi parat, ut comprobet omnes tres fontes ſupra adductos non adeo inter ſe differre, ut plerumque creditum fuit. Quum autem in his Celeberrimo quondam HOFFMANNO, et Cl. SPRINGSFELD, qui de induſtria de his thermis earumque differentia ſcripſit, contrarietur, opus eſt, ut ad eius attendamus argumenta, eaque probe ponderemus. Huic concedit quidem diſcrimen, quod in quantitate et pondere diuerſo partium conſtitutiuarum horum trium reperit atque probauit fontium; licet terram ſeleniticam cum alcalina, quae omnino, quum haec ab acidis ſoluatur, illa ab eis relinquatur intacta, inter ſe differunt, confundere nobis Cl. Auctor viſus ſit; nihilo tamen minus dubitat, num ab hac diuerſitate adeo diuerſus expectari poſſet effectus? Si vero talis detur, tunc certe non calidiſſimum fontem, *Brudel* dictum, ſed tepidiſſimum, fontem ſcilicet molarem, pro fortiſſimo eſſe habendum autumat. BERGERVS, SCHACHERVS, in primis vero HOFFMANNVS reliquique qui de hisce thermis ſcripſerunt, in ea fuere opinione omnes, fontem molarem eſſe mitiorem altero furioſo, hinc imbecillibus, delicatulis, tabidis, uno verbo maxime debilibus praeſcribendum. Sed Cl. Auctor contrarium ſtatuit. Sic enim argumentatur. Illud medicamentum, quod in ſua compoſitione dimidio plus continet ſalis laxatiui prae altero, neceſſario etiam fortius eſt dicendum. Secundum experimenta autem a Cl. SPRINGSFELD cum his aquis facta, in una libra aquae molaris duplo fere plus ſalis illius medii laxatiui reperitur, quam in eadem copia fontis furioſi. Vt itaque illa fortior ſit, neceſſe eſt. Licet contra

p. 78.

p. 83.

p. 89.

hoc

hoc argumentum, ut verum fateamur, generatim, ceterisque paribus nihil habeamus, ex aliis tamen similibusque casibus coniecti fumus in medicina aliquid, et interdum plus, dandum experientiae, quam rationi. Celeberrimi enim HOFFMANNI, BERGERI, SCHACHERI, aliorumque medicinam adhuc hodie ibi facientium, per plures annos repetitae experientiae, qui uno omnes omnino ore profitentur calidiorem fontem esse fortiorem, plus ponderis nobis habere videntur experientiis, quam Cl. Auctor in unius mensis spatio colligere potuit. Vt autem illi, qui medicinam ibi exercent in posterum magis ad haec attendant, studiosiusque inquirant, a cuius partibus veritas stet, ipsi monemus atque suademus.

p. 96. Pergit Cl. Auctor in tentamine, simulque determinat quibusnam fluidorum morbis thermae Carolinae conueniant. Conducunt ad crassos, glutinosos, viscidos, frigidosque humores, minime ad calidos, biliosos, et in acrimoniam alcalescentem vergentes. Praesertim iuuant in morbis primarum viarum, in obstructis visceribus, horumque glandulis, in malo hypochondriaco, incipiente hydrope, febribus intermittentibus, in arthridite, podagra, et calculo renum atque vesicae: qua occasione ad Cl. SPRINGSFELD experimenta, cum calculis et aqua hac thermali instituta, et nuper * a nobis indicata, prouocat. Poscit autem merito, ut vasa sint integra, non rupta, alias earum usum, ut aliorum remediorum, frustra-
p. 104. neum censet. Deinde explicat harum thermarum rationem et modum agendi, eumque cum actione salium solutorum comparat, quamuis fateatur a natura in proferendis eius modi aquis mineralibus aliquid perfici, quod ars imitari nequit: quod cortice peru-
p. 111. uiano in primis illustrat. Post haec transit Noster ad actionem thermarum in solida, simulque perquirit, num fons calidior, *Brudel* cognominatus, ea stringere

* Confer. Comment. nostr. Vol. V. P. III. p. 539.

gere et roborare queat, quod ab HOFFMANNO, BERGERO, SCHACHERO, BERGMANNO, et SPRINGSFELD affirmari dicit. Salibus in aqua ſolutis vim quidem ſtimulandi ſolida concedit, ſed roborandi virtutem, quam plurimi, recentiores praeſertim, in terra alcalina atque ſelenitica quaeſiuerunt, negat. Et quamuis hi ad experientias prouocent, eas p. 117. tamen vel dubias reddere, vel alia explicare annititur ratione. Fortaſſe varia et multiplex ſignificatio verbi *roborare*, quo omnes, an recte? uſi ſunt, huic diſcrimini vel diſceptationi anſam dedit. Si recte iudicamus, Cl. quidem SPRINGSFELD nullibi vires reficiendi virtutem thermis Carolinis earumque terrae ſeleniticae adſcripſit: licet illis vim fibras ſolidas ſtimulandi et elaſticas magis reddendi attribuat, quem effectum ille non ſemper ſequitur. Interim a terra p. 122. ſelenitica illam vim roborandi, quam *confortandi* vulgo dicunt, non expectari poſſe, recte monet Cl. Auctor. Quod ſi enim haec terra vim quoque quandam roborandi in primis viis exerceret, illam tamen ad ſecundarias, ad quas penetrare minime valet, nunquam extenderet. His praemiſſis ad obiectiones et experientias quasdam, quae fontis furioſi vim ſtringendi defendere videntur, reſpondet. Victas tamen ſe daturum eſſe manus promittit, ſi cachexiam vel chloroſim thermis Carolinis curatam videbit, quod alter Medicorum in thermis Carolinis medicinam facientium affirmauit, alter negauit. Hoc a ſolo ferro p. 139. effici contendit, quo tamen thermae Carolinae, ſecundum recentiorum experimenta deſtituuntur. Quum vero proximae aquae Egranae hoc abundent, ut omnes hi, qui eius modi robore opus habent, aquis his, praemiſſa cura thermali, utantur, auctor ſuaſorque eſt: in quo ei eo libentius adſentimur, quo ſaepius id iam fieri audimus.

IV.

IV.

Analyſe des eaux de Forges, par PIERRE ANTOINE MARTEAV, Docteur en Medecine, et Medecin de la Ville et de l'Hôpital d'Aumale. à Paris chez Guillaume Cavelier. 1756. 12. 2½ pl.

i. e.

Analyſis aquarum mineralium, quae *Forges* profiliunt.

p. 1. Per duo ſecula, ut Cl. MARTEAV in praefamine monet, aquae, quae *Forges* ſcaturiunt, per Galliam celebres fuere: ipſique nos meminimus, in relationibus nouarum rerum publicis legere, Celſiſſimam Principis Regii haereditarii coniugem his aquis cum fructu fuiſſe uſam, poſtquam aliquoties fecerat abortum. Conqueritur Cl. Auctor neminem obſeruationes collegiſſe, nec hiſtorias morborum, his aquis curatorum, neque ullum edidiſſe exactam harum aquarum analyſin. Haec enim, quam celebris quondam BOLDVC, Academiae Scientiarum Regiae Pariſienſi de his aquis praelegit, non nullis videre poſſet dubia, quia aquas non prope fontes examinaſſet. Hanc animaduerſionem igitur euitauit Cl. Auctor, dum examen ad fontes ipſos inſtituit. Tres autem ſcaturigines *Forges* inueniuntur. Vna a rege, *la Royale;* altera a regina, *la Reinette;* et tertia a viro quodam purpurato, *la Cardinale* audit. Omnis autem libellus quinque inciſionibus, quas articulos vocat, abſoluitur.

p. 5.

p. 7. In *prima* ſectione, quam *de acido* inſcribit, experientiis comprobat, nec acidum purum, nec volatile in his aquis reperiri, licet primi et tertii fontis aquae odorem acidulum ſpirare videantur.

p. 11. In *ſecunda* de *Vitriolo* agit, et ex experimentis, cum aquis factis, probabile reddere conatur, omnes tres

tres fontes *vitriolum martiale* continere, quia cum so-
lutione Gallarum nigrescunt. Queritur tamen nul- p. 17.
lum adhuc in chemia cognitum esse experimentum,
ope cuius illud vitriolum ex acidulis posset sisti, vel
ut chemici loqui solent, figi. Quare HOFFMAN-
NVS, DV CLOS, aliique, qui eius modi aquas fer-
ratas examinarunt, specie *volatile* esse dixerunt, quod
tamen Noster negat.

Tertia sectio in terram absorbentem, quam alca- p. 18.
linam alii vocant, inquirit, eiusque praesentiam, in
primis ex colore viridi, quem syrupus violarum ac-
cipit, si cum aquis mineralibus miscetur, demon-
strat. Eandem terram causam continere affirmat, p. 33.
lac affusione harum aquarum non coagulari: et in
hac quoque terra impedimentum quaerit Cl. Auctor,
cur verum vitriolum ex acidulis produci atque sisti ne-
queat; alteratur enim vitriolum additione terrae alca-
linae. Sumit in hunc finem solutionem vitrioli mar-
tis, huic adiicit terram alcalinam, seruat vas loco
moderate calido, vel aere libero; destruitur vitrio-
lum, pars ochracea deiicitur, et solutio, admistione
decocti Gallarum, non amplius nigrescit. Acidum
enim, quod vitriolum ante componebat, relinquit
terram *martialem* et adhaeret terrae alcalinae, quam,
uti ex chemicis constat, prae illa magis amat. Ori-
tur autem ex hac mistura nouus sal, neuter scilicet
ille laxatiuus, amarus dictus, quem omnes fere acidu-
lae coctione exhibent.

In *quarta* sectione de aere, in aquis mineralibus p. 36.
incluso, differit, eumque verum et tertium princi-
pium aquarum mineralium esse affirmat. HOFF-
MANNVS multa quidem passim in suis scriptis habet
de spiritu elastico aethereo volatili aquarum minera-
lium; sed Cl. SPRINGSFELD * primus fuit, qui
aerem in aquis Spadanis tanquam veram constituti-
uam

* In *Itinere Medico ad thermas Aquisgranenses et fontes Spadanos. Lipsiae*, 1748. p. 81.

uam et componentem partem aquarum ferratarum conſiderauit, quicquid etiam Cl. SEIPIVS poſt haec, in nouiſſima editione tractatus ſui *, contra nouam hanc ſententiam moneat. Praeſentia aeris elaſtici incluſi, uti nos quidem opinamur, non tantum tam certa eſt, ut in omnes fere ſenſus incurrat, ſed etiam tam neceſſaria, ut omnes acidulae ſi aer auolauerit, vappidae reperiantur. Qua de re ſecundum Cl. Auctorem non ſatis cauti in illo conſeruando eſſe poſſumus. Inde petenda quoque eſt ratio, cur eius modi aquae ad ſcaturiginem ipſam maiore cum fructu bibantur.

p. 39. In *quinta* et ultima ſectione de ferro, quo aquae *Forges* abundant, quaedam adhuc proponit. Hoc ex ochra, quae omnes canales, quibus aquae vehuntur, obducit, probat. Ferri enim particulas non ſolum ex ea ope magnetis extraxit, ſed etiam admiſtione ſpiritus acidi vitriolum ferri inde parauit. Tandem excuſationem addit, quod coquendo, deſtillando, inſpiſſando has aquas non tractauerit, quae nobis, ut verum fateamur, non ſatisfecit. Ampliorem tamen tractatum de his aquis ſe eſſe olim edituru m, ſpem facit. Fortaſſe ea, quae iam deſideramus, tunc ibi inueniemus.

p. 43. In fine adiicit Cl. Auctor adhuc modum, quo ferri vitriolum ex aquis mineralibus parari et fixi poſſe ſibi perſuadet. Sumſit quatuor libras aquae mineralis, has additione ſpiritus cuiusdam ſulphurei ſaturare tentauit. Hoc punctum, quod ſaturationis chemici vocant, tunc acquiſitum credit, quando mixtum admiſtione ſyrupi violarum neque viridi, neque rubro tingitur colore, ſed coeruleum manet. Omnem hanc miſturam coquendo ad ſiccitatem inſpiſſat, et de maſſa remanente affirmat, illam verum eſſe vitriolum

* SEIPS *Beſchreibung des Pyrmonter Mineral-Waſſers. Hannover*, 1750, p. 143 et 144.

triolum ferri, ex aqua minerali paratum. Quum vero hic modus nimis artificioſus nobis videtur, additur enim infuſione ſpiritus vitrioli ipſum vitriolum, merito de eo dubitamus, num curioſis aquarum ſcrutatoribus, qui productum ab educto diſtinguere norunt, ſatisfaciat. Alii quidem alia via idem praeſtare anniſi ſunt, omnes autem eodem fere, ac Cl. Auctor, ſucceſſu. Reliqui enim aquarum examinatores ſemper aliquid monendum vel obiiciendum contra procedendi modum habuerunt; quare ſpem fere abiicimus, num unquam aliquis tale quid praeſtiturus ſit. Fieri enim nunquam poterit, ut ex ſola terra *martiali*, quae ochra audit, et ex pauco illo acido minerali vitriolico volatili, quibus acidulae componuntur, verum acquiratur ferri vitriolum, niſi ſufficiens quantitas acidi miſceatur, quod vero non educere, ſed addere vitriolum eſt.

V.

Diſſertatio medica inauguralis de ſeriori uſu euacuantium in quibusdam acutis. Praeſide D. IO. GODOFR. BRENDELIO, P. P. Ord. Reſpond. auctore *Frid. Aug. Schulze*, Lüneburgenſi. Göttingae, 1754. 4. pl. 6.

Etſi mouendum eſſe initio, ſi quid mouendum eſt, p. 1.
inque ſtatu ſiue vigore morbi quieſcendum, praeceptum ſit HIPPOCRATIS grauiſſimum, recte tamen omnino, uſum euacuantium non adeo adſtringi acutarum initiis, ſed in progreſſu, ſtatuue et ultra permitti, immo requiri ſaepe, affirmat Cl. Auctor. Euacuantia vero praecipua ſunt vomitoria et aluum ducentia medicamenta, quibus accedit interdum venae ſectio, et veſicatoria. Neque etiam horum valet uſus in quibuslibet acutis, ſed in non nullis tantum ſpecialis eum poſtulat indicatio. Quas quidem

acutas ſigillatim quoque conſiderat Cl. Auctor, praemiſſis quibusdam de duplici illa criſium differentia momentis.

Sunt enim criſes vel perfectae vel imperfectae. Perfectae potiſſimum per ſudores et urinas fiunt, interdum per haemorrhagias, easque ſeriores. Imperfectae autem criſes multis modis abſoluuntur: Abeunt enim febres in alias acutas, vel intermittentes, vel lentas, vel abſceſſus, ut vocat HIPPOCRATES metaſtaſes omnes, ſiue aliquid eiiciat natura, ſiue minus. Vel ſequuntur alui fluxus varii, vel vomitus, vel metaſtaſes aliae ad varias partes, ad viſcera, ad contextum celluloſum, ad articulos; vel denique etiam neruoſae dantur metaſtaſes, quae non decubitu materiae cuiusdam, ſed conſenſu aliquo ex imo ventre qualis demum cumque ſit, afficiunt neruos et encephalum, qua vel vim motricem in paralyſi et tot ſpaſmorum generibus, vel animae facultatum adminiſtram in memoriae aliisque animi morbis laeſam oſtendunt. Quum autem omnes imperfectae criſes vel excretione materiae cuiusdam utcumque coctae fiant, vel neruos afficiant, omnia tamen haec naturae molimina conſpirare tandem in abſceſſus ſuppuratorios, atque his ſponte vel arte factis ipſam naturam optimum percipere leuamen affirmat Cl. Auctor.
p. 8. Hinc porro colligit idem omnia exanthematum genera vel veras eſſe criſium imperfectiorum ſpecies, ut purpura, variolae, aliae ſunt, vel ichoris cruenti aliusue humoris corrupti extrauaſationes, ut ſunt petechiae, aliaeue maculae. Quibus de criſium diſcrimine diſputatis, iam ipſa febrium acutarum ſequitur conſideratio ſpecialior.

p. 9. Nimirum ſunt aliae acutae, quae perfecta criſi ſoluuntur, aliae, quae imperfecte tantum iudicantur. Ad illas referuntur febres ardentiores, a rigoribus ortae, aequali ſtipatae aeſtu, nulloque aetatis vel viſcerum, in primis hepatis vitio comitatae; ad

has

has vero omnes febres paruae, ex horrore ortae, aestu non stipatae simili, omnes malignae, phreniticae, exanthematicae, ex viscerum imi ventris, et bilis praecipue natae vitio. Quod quidem plerumque adesse euincunt Veterum et HIPPOCRATIS potissimum dicta, ipsa cadauerum inspectio, neruorum consensus. Patet autem inde etiam euacuantium p. 11.
usum in illis, quae perfectam moliuntur crisin, minus conuenire, contra in his, quibus imperfectae succedunt crises, seriorem quoque postulari eumdem. Turbarent enim in illis naturae motus per sudores vel urinas euacuantia, quae tamen in his eosdem optime iuuant et perficiunt. Ante vero, quam ad p. 13.
hibeantur euacuantia, virium omnino instituenda est aestimatio, quae quidem valde difficilis, ab ipso tamen tempore et signis exitialibus morbi peti debet.

Venae sectionem quidem non definit dierum nu- p. 16.
merus, sed, quocunque die urgeat indicatio, sanguis mitti debet: in repetenda tamen eadem respiciendum omnino est ad differentiam ipsarum febrium. In inflammatoriis, pleuriticis, peripneumonicis, aliisque similibus repetendam venae sectionem suadent in primis dolores fixi, respiratio anxia breuis, sanguinis missi crasis, symptomata alia. In malignis contra, et exanthematicis, quo maligniores sunt, hoc est, quo acutiori hepatis bilisue vitio stipantur, eo minus opus est venae sectione crebriore, quum causa non in sanguine, sed in primis viis latens, plurima earum producat symptomata; ea tamen interdum serior, quin etiam repetita postulatur, in primis si accesserit adhuc peripneumonia spuria, quam vero ut spasmodicam difficile est distinguere a vera. Venae sectio igitur magis in inflammatoriis, in malignis magis expetenda sunt vomitoria et aluum ducentia. Neque ve- p. 23.
ro timor, ne frangantur ab his vires vitae, neque primorum dierum remissio arcere nos debet ab usu seriori euacuantium. Quae enim sub initiis morbi

 fuit,

fuit, eadem etiam inter remiſſionem vel declinantem exacerbationem urget ſaepe euacuantium uſum indicatio, atque tantum omnino abeſt, ut turbet, ut potius iuuet remiſſionem datum vomitorium, quod optimum vel unicum ipecacuanha eſt. Verum ſi aliquando conflictus oriatur indicationum, ut venae ſectio et vomitorium ſimul videantur poſtulari, illam praemittendam eſſe ſuadent pulſus exilis et reſpiratio peripneumonica; hoc vero urgent ſpaſmodica praecordiorum anxietas, calor naturali ſimilis, ſudor partialis, dolores ſpaſtici colli, linguae tremor, oculorum lacrumatio, aliaque ſymptomata.

p. 29. Speciatim in purpura et miliari febre, vel ſub initiis, vel ſi non ſequuta ſit eius eruptio, duplex praeſtat curationis via, ut nimirum vel primae viae a putri bile liberentur dato repetitoque vomitorio, vel ſi quid iam tranſierit ad ſanguinem, illud veſica-
p. 31. toriorum ope expellatur. Verum inſiſtendum ſaepe eſt hac via, neque inter initia ſufficiunt data euacuantia, ſed etiam ſequentes dies plures putris colluuies deducenda eſt in primis rhabarbarinis, quae omnino praeferri aloeticis merentur, idque potiſſimum matutinis horis, reliquo diei interuallo aliis aptisque deſtinato remediis. Terminum autem huic rhabarbarinorum uſui ponunt demum ſoecum naturalis iterum factus color et conſiſtentia. Neque eſt, quod metuas frangi inde vires, vel intercipi exanthemata, vel futuram mox recidiuam, quum hac potius curationis ratione adhibita, reficiantur vires, ſoluantur ſpaſmi a colluuie nati, melius abſoluatur in cute coctio et perfecta deſquamatio, ſponte ſimul accedenp. 36. tibus blandis ſudoribus vel urinis. Sub incremento morbi eadem locum habet medela, quin etiam inter conflictum indicationum, plus tamen tum requiritur et cautionis et iudicii. Si enim vomitorium non conueniat, datur rheum; vel ſi nauſea remedii vomitum moueat, bonum; atque quum ſaniem exanthe-

maticam

maticam ex ſanguine veſicatoriorum ope neceſſe ſit ſtatim educere, ex primis viis ſimul detrahere, datis rhabarbarinis, et a ſecundis viis auertere putrem colluuiem, altera pars indicationis praecipit.

Eadem curatio tandem etiam locum inuenit in p. 37. phrenitide, petechialibus aliisque malignis; cum exanthematicis enim analogiam alunt, id, quod docent ſymptomata ex primis viis, imperfectae criſes, ſeries metaſtaſium, maligna ſpes leuaminis per ſudores, niſi ex recidiua quadam. Retrogradas et diſparentes ſaepe petechias aliasue maculas, iterum mox redire obſeruatum eſt, datis repetitisque vomitoriis, producto lenientium uſu, factis per veſicatoria ulceribus, ſenſim diſparere, reliquaque ceſſare ſimul ſymptomata. Saepe accedit malignis ſtupor quidam ſingularis, catochus dictus AETIO, extremis ſimul frigentibus, ubi in venae ſectione adhibenda magna cautio, in vomitorio dato repetitoue optima ſpes poſita eſt. Simili ratione in ſcarlatina ad auertendas faucium affectiones, exanthematum aliorum, plerumque lethalium acceſſiones, tuſſes denique ſpaſmodicas lentasque febres, optima urget indicatio, mature ſeriusque primis proſpexiſſe viis.

VI.

VI.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences. Année MDCCLI. Avec les Mémoires de Mathematique et de Phyſique, pour la même année, tirés de Régiſtres de cette Academie. A Paris de l'Imprimerie Royale. CIↃIↃCCLV. 4. mai. Hiſt. 1 alph. 3 pl. Mém. 2 alph. 21 pl. 24 tab. aen.

h. e.

Hiſtoria Academiae Regiae Scientiarum ad annum 1751, una cum Commentariis eodem anno exhibitis, cet.

In hiſtoria huius anni obſeruationes, ad Phyſicam generalem ſpectantes, occurrunt ſequentes.

p. 36. 1. Deſcribitur piſcis oceani Indici, corpore oblongo, quale eſt aſello minori, haleci cet. capite ſimili capitis locuſtae, oculis in ſuperiori parte poſitis: ſub branchiis habet partem carnoſam, cui in arena poſitae totus innititur ſic, ut circa eam, tanquam cardinem, ſeſe vertat, lacertam imitans, praedae inſidiantem, unde et nomen *lacertae aquaticae* accepit. In dorſo aculeatam gerit pinnam, quam complicare et explicare pro lubitu poteſt. Aſſultim aggreditur praedam ſuam, quae plerumque eſt cancri genus, unica chela armati, quae totum eius corpus magnitudine exaequat. Hanc chelen, quam cancer hoſti ſuo opponit, metuit piſcis, neque prius inſilit in eum, quam hic, in latibulum ſuum ſe recepturus, chelen retrahit, et ad latus applicat.

2. In vicinia Caſtrouillae (*Chatoul*) integrae arbores e terra effodiuntur, quod argumento eſt, olim ſiluam ibi fuiſſe, etſi antiquiſſimi temporis hiſtoria de terrae mutationibus, quae ibi acciderunt, nihil doceat.

3. Fruſta

3 Fruſta glaciei, quinque circiter pollices craſſa, ſibi mutuo impoſita, a calore ſolis ſignum piſcium ingreſſi non ſoluebantur quidem, ſed diuidebantur tamen in priſmata, auricularis digiti craſſitiem habentia, et longitudinem aequalem craſſitudini glaciei, quippe ad cuius ſuperficiem recta erant. Haec, ex mente Hiſtoriographi Academiae, conformia ſunt proprietati aquae, quam Cl. MAIRANVS detexit, et vi cuius particulae aquae ſub angulis ſexaginta graduum iuxta ſe inuicem diſponi amant.

4. Globus igneus Vratislauiae viſus eſt, ex aere in terram oblique cadens, et circa axem ſuam interea volutus, qui in diſtantia quadraginta circiter pedum a terra diſſiluit cum fragore, in quatuor partes ſciſſus, quae aliquamdiu lucidae perſtiterunt, tandemque in Viadrum deciderunt.

5. Acus pertenues et pedem circiter longae, ex charta, corio, ferro, ligno aliaue materia paratae, et de pilis ſuſpenſae, tam in aere, quam in vacuo, attrahuntur aut repelluntur ab obuio quouis corpore, ita admoto cuſpidi, ut quartam circiter pollicis partem ab ea diſtet. Haec attractio, interpoſito vitro, non impeditur, ſed tantum lentior fit. Et viderunt quidam Academici huius modi acus ſeu laminas, ſub campana vitrea ſuſpenſas, omnes, etiam ferream, quae alias parum mobilis eſt, a flamma chartae, extra et prope campanam incenſae, velociter attrahi. Hinc attractiones illas et repulſus eiusdem, cum electricis, indolis eſſe iudicant. Primus hanc obſeruationem Academiae obtulit *Berterius*, Oratorii Presbyter.

Anatomia obſeruationes ſuppeditauit ſequentes.

1. Cl. BAGARDVS, medicus Nanceienſis, deſcripſit partum monſtroſum, in quo duo corpora ſexus feminei in unum erant coalita, diſtinctis tantum capitibus. p. 72.

p. 72. 2. Vxor ruſtici in vico *Pelleray* Ducatus Burgundiae decimo die poſt partum filii, iuſto tempore feliciter nati, peperit iterum filium, qui aeque valens et bene conformatus fuit, ac prior.

p. 74. 3. Chirurgus CABANY, ſectionem viri XXVII. annorum, dyſenteria mortui, inſtituens reperit corpus oſſeum, oui gallinacei magnitudine, gibboſum et valde aſperum, tunicae exteriori inteſtini ilei adhaerens per fila membranacea, circiter octo pollices a coeco diſtans, et cum nulla alia abdominis parte praeter dictam inteſtini tunicam, coniunctum.

4. E bouis mactati ventriculo, per vim, qua cum lanius eum e corpore extraxit, rupto vapor exiit foetidus, qui ad lampadem prope poſitam ignem concepit, et per vigeſimam circiter horae partem arſit non ſine periculo adſtantium, quorum capilli hoc eodem igne incendebantur. Simile quid accidiſſe Anatomes Profeſſori Piſano, cum in amphitheatro anatomico ventriculum alicuius cadaueris diſſecaret, annotat Hiſtoriographus Academiae a FORTVNII LICETI libro de Lucernis antiquorum reconditis.

p. 76. 5. R. P. BERTERIVS retulit Academiae, ſe multis obſeruationibus et experimentis certiorem factum eſſe, canalem inteſtinorum in viuis animalibus motu illo vermiculari eſſe deſtitutum, quem vulgo opinantur ad faeces verſus anum promouendas neceſſarium eſſe; et obſeruauit, hunc motum, aeque ac palpitationem muſculorum, poſt mortem demum animantis, interiecta octaua circiter horae parte, incipere; in viui autem animalis inteſtinis non alium motum conſpexit, integumentis et parte peritonaei remotis, quam compreſſionem et relaxationem a diaphragmatis motu oriundam; hinc motum inteſtinorum conuulſiuum, a cauſa quadam praeternaturali, velut emeticis aſſumtis, vel morbo quodam, effectum aliis impoſuiſſe credit.

6. In

6. In Melita insula fuit familia, in qua pater, filius, et nepotes sex digitis in utrauis manu nati sunt. Haec obseruatio, quae nobis illustris BILFINGERORVM familiae recordationem excitat, videtur quidem hypothesi germinum monstrosorum fauere: sed vidit tamen nuper Academia infantem sex digitis in utrauis manu et utrouis pede natum a parentibus, qui quinque tantum digitos habebant; et in digitis supernumerariis ordinariam structuram organicam deprehendit, quod secus solet esse in partibus monstrosis.

Sub finem huius Capitis recensetur Cl. PALVCCI, Chirurgi Caesarei, liber, *Méthode d'abattre la Cataracte.*

Caput sequens, Chemiae dicatum, prolixam continet relationem de Cl. MACQVERI Opere, *Elemens de Chymie pratique* inscripto. p. 84.

Inter commentarios *primum* locum tenet Cl. BOVGVER dissertatio de *figura corporum aptissima ad motum rotationis ipsis conciliandum impulsu, in altera extremitatum, aut alio quouis puncto, facto.* p. 1.

2. Cl DV HAMEL inquirit in *formationem stratorum ligneorum in arboribus.* Arboris crassitudinem augeri, dum nouum textum fibrarum lignearum ligno iam formato applicetur, hodie inter omnes constat. At qua ratione illud textum formetur, inter Physicos nondum conuenit. Auctor variis obseruationibus atque experimentis didicit, HALESII reiiciendam esse sententiam, qui noua illa inuolucra e ligno arboris produci putat: quanquam non neget, ex arboris ligno in casu rarissimo, cum nempe tota fuerit decorticata, corticem nasci, et hac mediante noua inuolucra ligno veteri accedere posse. Ordinarie autem noua texta fibrarum lignearum e corticis interiori parte, seu libro, produci pro certo habet p. 23.

Cl. Auctor. Reſtat, ut per experientiam definiatur, utrum MALPIGHIVS recte ſenſerit, qui nouum textum ligni non niſi ipſum librum induratum eſſe cenſuit, an GREWIVS, cui illud productio ligni, a libro diuerſa, viſum eſt. Sed ad hanc dubitationem decidendam experimenta quidem multa cepit iconibusque additis declarauit Cl. DV HAMEL, quae vero ipſi non dum faciunt ſatis, noua tamen facturum ſe eſſe pollicetur; et ſpem nobis facit libri ſingularis, de hoc argumento a ſe edendi.

p. 36. 3. Cl. DEL'ISLE de *longitudine Ludouiciburgi in inſula Regia prope Acadiam.*

p. 40. 4. Cl. DE THVRY *Obſeruatio Martis ſoli oppoſiti* d. 14. *ſeptembris* 1751.

p. 45. 5. Equitis D'ARCY commentarius *de theoria Pyrotechnicae, ſeu de effectis pulueris pyrii, et de conſectariis, quae inde ad inſtrumentorum bellicorum perfectionem duci poſſunt.*

p. 64. 6. Cl. BOVGVER *monita de obſeruationibus parallaxis lunae, eodem tempore in pluribus locis habendis, et methodus aeſtimandi differentias parallaxium harum a figura terrae ortas.*

p. 87. 7) *Obſeruationes duarum coniunctionum Iouis et Lunae habitae Lutet. Paris. d. 9 octobr. et 29 decembr.* 1751. a LE MONNIER Filio.

p. 90. 8. *Obſeruatio coniunctionis Iouis et Lunae die 29 dec.* 1751. *Lutet. Pariſ. inſtituta* a DE L'ISLE.

p. 93. 9. Cl. DV HAMEL *Obſeruationes ſpectantes ad incrementum corniuum in animalibus, ex quibus ratio reddi poteſt, cur ea non nunquam decidant, aliis in eorum locum*

cum ſuccedentibus *. Auctor accuratius perquirens ſtructuram cornuum, praeſertim eorum, in quae abeunt ungues poſtici gallorum baſi criſtae inſerti, vidit cornua compoſita eſſe e nucleo oſſeo et parte mere cornea, et utramque partem, tam oſſeam quam corneam, conſiſtere, in cornibus adultis, e pluribus conis cauis ſibi inuicem impoſitis. Creſcit ergo cornu, dum in utrauis parte numero conorum iam formatorum unus additur. Sed diſpar eſt ratio incrementi partis corneae et partis oſſeae. Nam nucleus oſſeus creſcit, nouo cono oſſeo circa nucleum veterem formato; pars autem cornea creſcit, nouo cono corneo inter nouum conum oſſeum et intimum conorum corneorum iam formatorum enato. Qua ratione fit, ut conus extimus corneus, creſcente toto cornu, in parte ſua inferiori, ubi nondum induratus, ſed adhuc cartilagineus eſt, extendatur. Tandem autem, cum baſis coni extimi cornei, magis magisque interea indurata, non amplius cedit, ſeparabitur, aucto nucleo, aliaue de cauſa, conus ille extimus a capite animantis, et deſtitutus nunc nutritione, haud creſcet amplius, ſed promouebitur tantum ab interioribus conis, ſeſe verſus apicem extendentibus. Tunc ſi qua cauſa tollitur adhaeſio parum firma coni extimi ad ſuperficiem exteriorem coni contigui, decidit ille. Quod de ſolo cono extimo hactenus diximus, idem de pluribus conis exterioribus ſimul intelligi poteſt. Hinc ratio perſpicitur, quam ob rem non nunquam pars magna cornu deiecta reperiatur, remanente corniculo, quod ex nucleo oſſeo et uno alteroue tantum corneo cono conſtat, et cur hoc in caſu cornu denuo creſcat, quod non contingeret, ſi nucleus ipſe a cranio eſſet ſeparatus. Quae de cornibus dicta ſunt, etiam de roſtris auium vera eſſe monet Cl. Auctor.

10. Cl.

* lectae d. 24 mart. 1751.

p. 98. 10. Cl. DE LASONE *commentarius primus de organica ossium structura* *. Ossium quidem formationem Cl. DV HAMEL industria in multa luce collocauit: sed structuram ossium iam formatorum et perfectorum nondum ab HAVERSIO, MALPIGHIO, GAGLIARDO ita esse expositam iudicat Auctor, quin plurima supersint vel ad horum Anatomicorum obseruationes addenda, vel in eis corrigenda. Quam operam nauaturus Cl. Auctor, in hoc primo commentario, quem plures sequentur, incipit de organica ossium fabrica generatim exponere. Constat laminas ossium in foetu esse ad retis instar factas, et filamenta earum inter se inuicem areolas efficere, quas MALPIGHIVS credidit progressu temporis repleri succo quodam osseo, per quem in ossis naturam abeuntem filamenta iungantur, et sic lamina talis, qualis in ossibus adultorum conspicitur, formatur. Hunc autem succum osseum Cl. DE LASONE necessarium esse, et reuera existere negat. Ex ipsius sententia lamina ossea meris fibris constat, et areolae inter fibras crassiores, quae primae omnium osseae redditae sunt, explentur simili texto aliarum fibrarum, quae aetate etiam osseae redduntur. Quod porro ad modum attinet, quo laminae osseae secum inuicem iunguntur, iterum a MALPIGHIO et HAVERSIO dis-
p. 103. sentire coactus est propriis obseruationibus. Nam qualicunque ratione laminas ossium ab inuicem separauerit, nunquam non vidit in parietibus laminarum, qui sibi mutuo contigui fuerant, fibras longitudinales ac sulcos inter eas: qui omnes obliterati essent, necesse foret, si succo osseo laminarum coniunctio efficeretur. GAGLIARDI autem clauos osseos, inter laminas positos, cum aliis frustra quaesiuit Auctor. Verum coniunctionis modum hunc esse deprehendit, ut fibrarum unam laminam componentium pars in contiguam excurrat laminam, huiusque fibris intertexatur.

* lecta d. 6 febr. 1751.

texatur. Hanc fabricam praecipue verſus extremita- p. 107.
tes oſſium oculis patere monet; ſed eandem in medio
quoque oſſis debita ratione praeparati conſpexit. Prae-
terea mechanice explicare annititur modum, quo ex
uniformi cartilagine fiat os, cui tres partes ſint adeo
diuerſae formae, textum nempe reticulare, ſubſtan-
tia ſpongioſa, et ſubſtantia dura ac compacta. Ob- p. 111.
ſeruatio docuit, oſſa inchoari in partibus ſuis intimis,
ubi primum aliquot oſſea fila formantur, quae indu-
rata ſeſe longius extendi non ſinunt; creſcentibus er-
go laminis contiguis, quae adhuc cartilagineae ſunt,
et quarum fibrae inter ſe multo cohaerent arctius,
quam fila oſſeam indolem iam nacta, illa fila oſſea tra-
huntur quaquauerſus, et de primitiua ſua directione
detorquentur, ut inuicem rete efficiant. Hinc etiam
illae rugae, quae prope axem oſſis maioris in lamina
intima oſſea apparent, quippe cuius extenſionem
uniformem prima illa fila oſſea rigiditate ſua impedi-
uerunt. Poſtea oſſe ocyus incrementum capiente,
magnae partes laminarum una fiunt oſſeae; unde
fit textum alius generis, quod non eſt reticulare, ſed
ex lamellis et filamentis oſſeis componitur, et pars
oſſis ſpongioſa appellatur. Extimae tandem laminae
in media parte oſſis, quia earum plures ſimul oſſeae
redduntur, et difformis extenſionis incapaces fiunt,
formant partem compactam oſſis, quae non niſi ad-
ditione nouarum laminarum cartilaginearum, a peri-
oſteo ſuppeditatarum, creſcit. Haec geneſin et in-
crementum oſſis explicandi ratio tam ſimplex eſt, ut
Auctor omnino videatur naturae artificium aſſecutus
eſſe. Denique de medulla quaedam addit, quae
ſpectant ad quaeſtionem, quo modo liquidum medul-
lare in cellulas ſubſtantiae reticularis et ſubſtantiae
ſpongioſae depoſitum penetret in ſubſtantiam compa-
ctam, et inter laminas et fibras eius omnes diſtribua-
tur. Quos HAVERSIVS aſſumſit tubulos transuer- p. 115.
ſales et longitudinales, liquido medullari ducendo
deſtina-

deſtinatos, eos Cl. DE LASONE neque rationi ne-
p. 117. que experientiae conſentaneos deprehendit. Duas alias vias cenſet naturam in hoc negotio inire; primo per vaſorum ſanguiferorum, ſubſtantiam oſſium compactam oblique ad medullam peruadentium, ramos capillares, qui inter laminas illius ſubſtantiae euaneſcant; tum per poros membranae medullam veſtientis, per quam ubi oleum medullare ſubtiliſſimum eruperit, porro illud per poros inſenſibiles, qui in laminis oſſium aeque ac quibusuis aliis corporibus inſunt, aut ad latera vaſorum ac fibrillarum membranacearum omnem oſſis ſubſtantiam perreptantium, in
p. 119. quascunque oſſis partes ſubire. Ceterum qualibus, quaue arte praeparatis oſſibus ad obſeruationes ſuas uſus ſit Auctor, ipſe exponit; quod cum ſcire eorum referat, qui haec experimenta repetere velint, nos ſilentio praeterire non poſſumus, oſſa adhibenda eſſe 1) diu aeris iniurias paſſa, ſed nondum penitus calcinata, nec fiſſa, 2) igni expoſita, et uſque dum rutileſcerent, non autem ad albedinem, uſta, 3) ſuperfuſis liquidis emollita, quae tamen maceratio pro oſſibus adultorum acidum minerale requirit, ſed multa aqua, aut quod melius eſt, multo ſpiritu vini valde dilutum; pro oſſibus infantium ſufficit aqua pura, vel ſpiritus vini, vel acetum.

p. 121. II. *Conſtructio machinarum nouarum, quibus fila ſerica ſimplicia in unum contorqueri poſſunt*, Auctore Cl. DE VAVCANSON *.

p. 137. 12. *Hiſtoria morborum epidemicorum anno* 1751. *obſeruatorum Lutetiae Pariſiorum, una cum diuerſa aeris conſtitutione.* Auctore Cl. MALOVIN. Hiſtoriae huic praemiſſa eſt breuis diſſertatio de variis modis et cauſis, quibus aer corrumpitur, et ſanitati in-
p. 142. feſtus redditur. Ianuario menſe erat tempeſtas humida,

* lecta d. 21 April. 1751.

mida, parum frigida, ſpirante fere per totum menſem auſtro; hinc catarrhi, et febres irregulares, item continuae, maximam partem putridae; dyſentericus quoque fluxus alui graſſabatur, cui clyſteres emollientes medebantur; variolae haud maligni generis obſeruabantur. Februario, aere neque humido neque ſicco, iidem morbi epidemici, qui ſuperiori menſe, praeterea apoplexiae et paralyſes, et non nulli ſubito moriebantur. Tepidus et valde humidus erat aer ſequenti menſe, ventus plerūmque e plaga inter meridiem et occidentem media, non nunquam ex occidente ſpirabat; magnus erat aegrotorum numerus, quos catarrhi, vel febres, vel virus venereum adhuc in corpore latens et nunc denuo excitatum, vel pleuritis vexabant; inter febres erant eryſipelatoſae, quae initium, uti morbilli, capiebant a tuſſi; febris putrida, quae catarrhos ſequebatur, comitem ſaepe habebat pleuritidem ſpuriam, quae pulmones parum afficiebat, adeo ut quidam aegri ne tuſſirent quidem. Ictterus etiam cum febre hoc menſe epidemicus erat. Menſe aprili multo pauciores aegrotabant, etiamſi iidem adhuc fere morbi ſubſiſtebant, et eadem erat coeli conſtitutio, ac praecedenti menſe. Minor adhuc erat aegrotorum numerus menſe maio, quo tempeſtas pluuia, neque calida, neque frigida, et coelum perpetuo fere nubibus tectum erat, et ventus plerumque e plaga inter meridiem et occidentem media ſpirabat. Iunii magna pars calidam et ſiccam habebat tempeſtatem, ſub eius finem autem, vento a ſeptemtrionibus ad occidentem conuerſo, tempeſtas humida et minus calida ingruebat; morbi epidemici nulli, praeter genus febris, morbillis ſimile, quo qui laborabant, latas in cute maculas rubras ſine puſtulis, caput tumidum, oculos rubentes, impeditam reſpirationem, et faucium dolores habebant. Proximo menſe, haud praeter ordinem calido, ſaepe pluebat, ventus ut menſe elapſo, morbi epidemici

nulli,

nulli, nisi dolores oris, praesertim palati, cum pustulis rubris in lingua magnitudine capitis aciculae. Cuiusmodi pustulas per duos tantum annos in multorum adultorum, morbo faucium erysipelatoso et gangraenoso laborantium, lingua obseruauit Cl. Auctor. Augustus praeter consuetudinem frigidiusculus et humidus erat, vento inter meridiem et occidentem medio; hinc initio quidem mensis catarrhi, apoplexiae, atque erysipelates ortae erant, sed ob constantiam huius tempestatis corpora pleraque illi adsuescebant, et proin pauci aegrotabant. Septembri aer erat temperati caloris, siccusque, ventus uti superiori mense, nullus morbus epidemicus. Haec aeris constitutio non nisi sub finem octobris mutabatur, calore aucto, siccitate in humiditatem conuersa, unde haemorrhagiae. Vltimi huius mensis dies sicci et frigidi aeris salubritatem reducebant, vento inter septemtriones et orientem flante. Obseruabatur tamen mense nouembri dolor faucium et capitis cum febre, qui desinebat in tumorem alterius pedis, vel genu, quem etsi vulgo pro podagra habebatur, tamen Cl. Auctor humoris tantum scorbutici collectionem fuisse cognouit, aperientibus, antiscorbuticis remediis et repetita alui purgatione facile dissipandam. Extremo anni huius mense erat aeris intemperies talis, qualis esse solet hiemis initio; verum quia vicissitudines illae aeris non subito se inuicem excipiebant, paucis morbis locus dabatur, rheumatismis, apoplexiae, pleuritidi, dysenteriae, sed mitiori. Aestate huius anni multi dementes melancholici medicis tradebantur; his Cl. Auctor radices polypodii valde salutares fuisse refert, ipseque suam exponit
p. 160. huic morbo medendi methodum. En eam! Iusculum exhibuit aegrotis paratum ex pullo gallinaceo, vel dimidia gallina, manipulo hordei gluma exemti, manipulo foliorum betae albae, et manipulo foliorum maluae, cum uncia una radicis polypodii, coctis

lente

lente in olla operta et in tribus pintis aquae, donec aqua ad duas pintas redacta esset: Insuper saepius purgauit primas vias emetico, et clysmatibus, singulis horis, si fieri potuit, administratis, pro potu vero decoctum borraginis et buglossi dedit. Hanc methodum succedere feliciter ait, dum modo sat temporis impendatur curationi. Nati sunt hoc anno Parisiis 11827 pueri, et 11277 puellae, mortui autem 8702 mares, et 7742 feminae. In Europa, inquit Cl. Auctor, plures mares quotannis, quam feminae, moriuntur.

13. *Commentarius de Granite Gallico ad Aegyptium comparato*, Auctore Cl. GVETTARDO *. Qualis fuerit lapis ille, Thebaicus PLINIO dictus, ex quo Aegypti reges enormis molis obeliscos struxerunt, neque a veteribus neque a iunioribus historiae naturalis scriptoribus distincte satis et accurate traditum est. Cl. GVETTARDVS, postquam discrepantes admodum auctorum sententias enumerauit, demonstrare annititur, hunc lapidem, quem recentiores *granulatum* (vulgo *Granitem*) appellarunt, in Europa etiam reperiri, seu a lapide granulato in Europa reperiundo non differre nisi accidentalibus proprietatibus. Hanc in sententiam incidit perpendens similitudinem, quae ipsi videbatur solum Aegypti adiacentiumque Asiae regionum ac solum Galliae intercedere. Namque e relationibus MONCONYSII, SICARDI, SHAWII hausta descriptio mineralogica soli per Aegyptum et vicinas regiones versus orientem et septentrionem extensi, quam Cl. Auctor etiam in mappa geographica, Cl. BVACHII ope constructa, et huic commentario adiecta, oculis exhibuit, satis bene congruit cum descriptione physica et mineralogica Galliae, olim ab ipso in Academiae Regiae commentariis publica-

p. 164.

p. 171.

* lecta d. 9 iun. 1751.

blicata *. Deinde autem coniecturam illam confirmauit, et vero consentaneam intellexit, examine utriusque Granitis, Gallici et Aegyptii, instituto. Aegyptium quidem fere ex scriptorum relationibus tantum cognouit, Gallicum autem ex ipsis lapicidinis in Normandia, Britannia minori, Tractu Alnetensi cet. nactus est. Vterque est lapis compositus e granulis durissimis, et terra quadam, qua granula illa coniunguntur, et cui bracteolae talceae immistae
p. 198. sunt; granula sunt particulae silicis, vel potius crystalli montanae, et separata a reliqua lapidis massa vitrescunt in igne, qui hanc non mutat; unde distinctus esse a marmore granites intelligitur. Colores quoque tam granulorum, quam reliquarum lapidis partium varii sunt in utroque granite, albus, ruber, luteus, viridis, variegatus. Quidam horum lapidum polituram admittunt. Ex iis denique, quos vidit Auctor in non nullis lapicidinis, coniicit, posse quoque in Gallia aliquando reperiri strata huius lapidis tam vasta, ut partes inde excidi possint, mole Aegyptiis obeliscis haud cessurae.

p. 211. 14. Cl. DV HAMEL *Obseruationes botanico-meteorologicae habitae in Castello* Denainuilliers, *prope* Pluuerium *in agro* Gatinienſi *anno* 1750 **. Ex his post ea, quae generatim de hoc instituto diximus alibi *** quidquam excerpere non erit opus.

p. 239. 15. Cl. GVETTARDI *commentarius de fossilibus parum cognitis* ****. Duo sunt fossilium genera de quibus hic agitur. Primum est id, quod apud auctores plerosque nomen *alcyonii petrefacti* habet: apud vulgus pyri vel fici petrefacti. Sed quanquam hoc fossile

* conf. Comment. nostr. Vol. I. P. II. p 299.
** lecta d. 30 ianuar. 1751.
*** vid. Comment. nostr. Vol. III. Part. III. p. 491.
**** lecta d. 22 decembr. 1751.

fossile extrinsecus valde simile sit alcyonio (est enim globus iunctus pediculo breui et crasso, cuspidem habenti, cuius extremum dilatatum est, ut corpori, cui innascitur, firmius adhaerere possit): tamen ac- p. 249.
curatior perueſtigatio docet, petrefactum ab alcyonio differre et fibrarum directione, quae in illo a centro ad circumferentiam ordinatim, in hoc sine ordine quaqua versus extensae sunt, et punctis circularibus pediculorum, quae in petrefacto sunt ora tubulorum introrsum in ipsum usque globum continuatorum, in alcyonio autem foramina coeca aut irregulariter posita. Hinc Cl. GVETTARDVS haec fossilia, non alcyoniis, sed madreporis petrefactis accensenda esse iudicat. Alterum fossilium genus conuenit cum eis p. 263.
fossilibus, quae a plerisque *fungitae* vocantur, et quorum exempla prostant apud SCHEVCHZERVM in *Lithograph. Heluet.* fig. 19, et apud LANGIVM *Hist. lap. fig. Heluet.* Tab. XI. XII. Figuram habent conorum, et quaedam caua, quaedam solida sunt, quaedam infundibula, vel manicas Hippocratis, vel chirothecas muliebres sine digitis, alia clauos, alia pistilla referunt. Laminis duabus constant, interiori dura, compacta, laeui, splendente, alba vel grysea, exteriori teneriore et fere friabili, non splendente sed subrubra, structurae, quae in quibusdam certe exemplis manifesto organica est. Cl. GVETTARDVS haec fossilia etiam pro madreporis petrefactis habet, etsi, ad quasnam madreporarum species sint referenda, adhuc dubitat.

16. 17. 18. *Obseruationes eclipsis lunae* d. 2 *decembris an.* 1751. habitae a Cl. BOVGVER, LE MONNIER filio et DE L'ISLE. p. 268.

19. Cl. NOLLETI *examen commentarii ad Academiam missi, in quo varia de Barometro indicabantur* *. p. 275.

* lecta d. 20 febr. 1751.

In hoc commentario ad Academiam referebatur, 1) barometrum ſimplex continuaſſe ſuas variationes, etſi omnis aeri externo aditus ad hydrargyrum negatus eſſet, 2) barometrum in thermometrum poſſe conuerti, commercio aeris atmoſphaerici cum aere in vaſculo barometri, hydrargyrum continenti, per minimam liquoris guttulam interrupto, ſi vaſculum illud in tubulum capillarem deſinat, 3) barometri, in utraque extremitate hermetice ſigillati, hydrargyrum ſubtracto per antliam pneumaticam aere eleuatum fuiſſe, et ad priſtinam altitudinem in aere libero reuertiſſe, 4) columnam mercurialem viginti et octo pollicum quinque linearum in tubo cylindrico non inflexo, et nullo cum vaſculo coniuncto, ſed tantum in ſuperiori extremitate, aeris vacua, hermetice ſigillato, eas variationes, quae in pondere atmoſphaerico contingant, aeque bene ac barometrum vulgare, indicare. Verum enim vero horum mirabilium factorum primum, tertium, quartumque Cl. NOLLETVS, repetito examine falſa deprehendit; ad ſecundum quod attinet, concedit Vir Cl. poſſe hanc metamorphoſin dicto modo effici, ſi vaſculum barometri eductum ſit in tubum cylindricum, aliquot pollices longum et diametri valde exiguae (velut unius octogeſimae partis pollicis), ſin autem hae cautiones non adhibeantur, experimentum non ſuccedere, quum frictio guttulae ad latera tubi capillaris tunc non ſufficiat preſſioni omni aeris atmoſphaerici ſuſtinendae.

p. 291. 20. *Obſeruatio eclipſis lunae partialis* d. 2 *Dec. anni* 1751. *in obſeruatorio regio, per Cl.* DE FOVCHY.

p. 293. 21. *De Hippomane commentarius* Cl. DAVBENTON. Hippomanes, eſſe aliquid, quod pullis equorum modo natis in fronte haereat, et a veteribus ad veneficia adhibitum ſit, conſtat ex ARISTOTELE AC PLINIO. Quidnam autem illud ſit, nunc demum

Cl.

Cl. DAVENTON induſtria in apricum protulit, p. 297.
quippe qui per multarum equarum grauidarum ſectionem inuenit, nihil aliud id eſſe poſſe, quam ſedimentum mucilagineum liquoris, inter membranam allantoidem et amnion contenti, coloris oliuarum, figurae variae, membranis, inter quas exiſtit, non adhaerens. Locus eius eſt in imo uteri cornu, ubi etiam caput pulli, inſtante partu, haeret. Hinc in ipſo partu, ruptis modo inuolucris pulli, hippomanes cum capite pulli in lucem prodeat neceſſe eſt: fronti tamen eius, a qua per amnion ſeparatum eſt, adhaerere nequit, niſi in caſu rariſſimo, quando pullus naſcens partem diſruptarum membranarum, quibus inuolutus erat, ſecum in capite aufert, et hippomanes amnio forte adhaeret.

22. Cl. DE THVRY *Obſeruatio occultationis Iouis a Luna* d. 9 *Octobris.* p. 301.

23. Cl. GEOFFROY *Obſeruationes de praeparatione remedii, le Fondant de Rotrou* dicti, *atque antimonii diaphoretici* *. Remedium *Rotrouanum*, a Chirurgo huius nominis ſic dictum, a quo illud ceu arcanum emit LVDOVICVS XIV rex Galliae, non eſt niſi antimonium diaphoreticum nitratum, de regulo paratum, per eſſentiam cinnamomi edulcoratum, et cum abſorbenti quodam (velut teſtis ouorum) mixtum. Auctor Cl. hanc maſſam ſalinam, nondum edulcoratam, in vaſe vitreo, charta tantum tecto, ſeruauerat. Quam quum poſt plures annos examinaret, vidit eam humiditate aeris fuſam eſſe, et omnem acrimoniam amiſiſſe. Similitudo inter hanc maſſam et puluerem album CHEVALERAIS (quem vulgo pro remedio fere uniuerſali habent) perſuaſit Auctori, hoc arcanum idem eſſe cum maſſa ſalſa praedicta, praeſertim, quum iam antea ex illo puluere, addito p. 304.

 fluxu,

* lecta d. 16 iun. 1751.

p. 83. fluxu, regulum antimonii reduxiſſet. Hanc autem coniecturam a vero non aberraſſe, certiores nos facit Hiſtoriographus Academiae, exponens proceſſum, quo CHEVALERAIS pulueres ſuos parauit, referente Cl. HELLOTO, cui CHEVALERAIS arcanum hoc paullo ante obitum ſuum indicauerat. Habet ſe ille proceſſus, ut ſequitur. Reguli antimonii martialis partem unam, et tres partes nitri, triplici cryſtalliſatione depurati, contunde ſimul, et commiſtas bene materias per cribrum ſericum traiice. Dein deflagrent lege artis. Detonatione finita tene adhuc per quatuor horas crucibulum in igne rubens. Exemtam porro maſſam groſſe contunde in mortario calido, et immitte alii crucibulo, quod in igne, ad calcinationem ſufficiente, per duodecim horas rubeat. Maſſam hanc, valde alcalinam et cauſticam, calentem adhuc ſuper tabulis vitreis extende, et pone in loco humido; ut liqueſcat. Poſt paucos dies ſupernatantis liquoris fiat euaporatio, aeſtate quidem in loco umbroſo; maſſa, quae antea fuſca erat, nunc alba fiet, et ſalſa, neque cauſtici quid retinebit. Doſis eius eſt a dimidia drachma ad integram; ut vero melius ac citius purget, mercurii dulcis grana ad duodecim una exhibeas. Aqua porro vulneraria CHEVALERAIS ex hoc eodem puluere fit, unam pintam aquae affundendo quatuor unciis mellis et praedicti puluerıs drachmae uni cum dimidia. Conquaſſanda eſt phiala, antequam aqua utaris; elapſo menſe ſolet aceſcere; ſed absque damno. Pro fungis tollendis parum mercurii ſublimati correſiui addi poterit. Auctor huius remedii faſſus eſt, ex parte illud ſe debere Eccleſiaſtico cuidam Rhotomagenſi, cui nomen TREVET, et qui ſe illud ex PARACELSI *Chirurgia* hauſiſſe dixit.

P. 310. 24. *Obſeruationes ad lunae parallaxin definiendam in promontorio Bonae ſpei cum ſextante radii ſexpedalis inſtitutae ab Abbate* DE LA CAILLE.

25. Cl.

25. Cl. DE LA CONDAMINE *commentarius de re-* p. 319.
ſina quadam elaſtica nuperrime in Cayenna detecta ab Architecto militari FRESNEAV, *item de uſu diuerſorum ſuccorum lacteorum ex arboribus Guianae ſeu Galliae aequinoctialis manantium* *. Reſina, de qua hic agitur, non ſoluitur in ſpiritu vini, ſed in oleo nucum, extenſilis eſt inſtar corii, et valde elaſtica, accenſa ardet ſine filo, ut pro candelis uti liceat facibus ex ea paratis. Originem habet ab arbore ad ripas fluuii *Amazonum*, et in Prouincia *Smaragdina* ubique obuia, e cuius cortice inciſo ſtillat ſuccus, qui ad ignem fumantem lente induratus in praedictam reſinam abit. Arbor iſta a Luſitanis *Syrinx*, a Barbaris p. 329.
Caoutchouc, vel *Ilheue* appellatur; eſt recta et praealta, corticem habet ſquamoſum, paucosque ramos, qui caput ipſius conſtituunt, fructum tricoccum, ricini arboris fructui ſimilem, ſed multo maiorem. Praeter hanc arborem non nullae aliae illarum regionum hic deſcribuntur, ex quarum lacteo ſucco parari poteſt ſubſtantia corio ſimilis, ſed non elaſtica, nempe ficus quaedam ſilueſtris, *Comacai* Luſitanis dicta, et arbor in regione Para, cuius in Luſitanorum lingua nomen eſt *Pao comprido* h. e. lignum longum, et cuius truncus, folia, fructus hic depicti ſiſtuntur.

26. Cl. GVETTARDI *commentarius nonus de glan-* p. 334.
dulis plantarum. Continet hic commentarius additamenta quaedam ad primum. De glandulis primo miliaribus monet Cl. Auctor, eas quae in folliculis plantarum quarundem graminearum, praeſertim tritici, ſecalis, auenae, lolii conſpiciantur, non nunquam intumeſcere, neque tamen liquorem effundere. Eſſe autem hisce plantis alias glandulas, quae liquorem effundant; ſcilicet in foliis plantarum iuniorum, p. 337.
caule adhuc carentium, quae matutino tempore in apicibus ſuis guttulas oſtendant, quae poſſet aliquis,

* lecta d. 26 februar. 1751.

sed falso, pro roris guttis habere, et quas MVS-
p. 339. SCHENBROEKIVS atque GERSTENIVS transpirationi plantarum deberi arbitrati sunt. Sed quia haec sententia aduersari videtur Cl. Auctoris obseruationi, quod plantarum insensibilis transpiratio noctu nulla, aut certe tam parca sit, ut nulla inde liquoris guttula colligi queat: multus in eo est, ut illam sententiam cum sua conciliari posse doceat. Aliud additamentum concernit hypericum. Dixerat Cl. Auctor, hoc genus plantarum glandulis vesicularibus esse instructum. Post ea vidit unam hyperici speciem illis destitutam, nempe eam, quam PLVKENET in Phytographia hypericum Americanum ramosum, foliis magnis rotundis crenatis, flore luteo, appellauit. Inclinat tamen in hanc sententiam, esse hanc plan-
p. 344. p. 346. tam eximendam ex genere hypericorum. Porro, quum in primo Commentario dubitasset, num *Pseudoruta* MICHELIO dicta *rutis* et *harmalis* ob glandularum conformitatem esset accensenda, nunc confidenter illud se affirmare posse, et omne inter has plantas discrimen a figura petalorum sola, quae in pseudo rutis plana, in veris caua et plicata sint, repetendum esse arbitratur. Tum quae alibi de glandulis in Aurantio, Lysimachia, Anagallide, Vrtica, Parietaria
p. 351. scripserat, hic pluribus exemplis confirmat. Ficum Indicam CLVSII malvaceis annumerandam esse monet. Tandem noua exempla affert ad glandulas vesiculares plantis papilionaceis asserendas, de lentisco, terebintho, fraxino, ob materias quas exsudant notabilibus, differit, magnum aliarum plantarum numerum, quibus sunt glandulae vesiculares, recenset,
p. 371. et structuram singularem foliorum Saracenae, quae excipiendo et colligendo liquori e glandulis effuso destinata videtur, examinat. His peractis de alio glandularum genere, videlicet de *globularibus* fuse commentatur, quarum maxime insignia exempla praebet Nepenthes seu Bandura, quae etiam ob partes foliis annexas,

annexas, eo recipiendo asseruandoque liquori ex illis glandulis mananti dicatas, non minus memorabilis est quam Saracena. Hanc ergo plantam Auctor curatius examinat et verbis atque iconibus describit. Dein periculum facit usus, quem glandulae illae globulares ad constituenda et in ordinem redigenda genera sub classe plantarum labiatarum et personatarum comprehensa habere possunt. p. 376.

27. *Variae obseruationes astronomicae et physicae in promontorio Bonae Spei* annis 1751. 1752. 1753. *habitae ab Abbate* DE LA CAILLE. Obseruationes physicae hic exhibitae longitudinem penduli, ventos, et tempestates, barometrici mercurii altitudines, crepuscula, acum magneticam, et aestum maris concernunt. p. 398.

28. *Obseruationes iussu regis, distantiae lunae a terra determinandae gratia, habitae in specula astronomica Berolinensi annis* 1751. 1752. *Per Cl.* LE FRANÇOIS DE LA LANDE. p. 457.

29. *Obseruationes meteorologicae* Cl. DE FOUCHY *in obseruatorio regio habitae per annum* 1751. p. 479.

30. Cl. LE ROY, *Medic. D. et Academici Montis Pessulani, Commentarius de eleuatione et suspensione aquae in aere, et de rore.* Quanquam non hoc sibi sumit Cl. Auctor, ut mechanismum, quo aqua in aere attollitur et retinetur, explicet: tamen multum ad theoriam aeris atmosphaerici attulisse censendus est eo, quod hic loci egregiis obseruationibus demonstrauerit, aquam, in aere haerentem, esse in statu verae solutionis, qui illi, in quo est sal aqua solutus, respectu phaenomenorum omnino similis sit, quodque causas, ob quas modo plus, modo minus aquae in atmosphaera solutum haereat, nempe calorem et p. 481.

p. 501. ventum, determinauerit. De rore etiam lectu dignissimas obseruationes profert, quae ostendunt, dari rorem deciduum, licet duo alia quoque sint genera roris, quae e terra ascendant noctu, et quorum ra-
p. 511. tionem Cl. Auctor eleganter explicat. Experimentum, quo Cl. MVSSCHENBROEKIVS sententiam suam de sudore plantarum nocturno confirmare voluit, tantam vim, ut assensionem extorqueat, habere negat.

p. 519. 31. *Claudit hoc volumen succincta narratio de itinere regis iussu ad promontorium Bonae Spei facto. Per* Cl. DE LA CAILLE. Nihil autem in hac memorabili alioquin narratione reperimus, quod nostri esset fori.

VII.

Iconum anatomicarum, quibus aliquae partes corporis humani delineatae traduntur fasciculus VIII et ultimus. Arteriarum totius corporis systema cum supplemento ad descriptiones vasorum. Auctore ALBERTO VON HALLER, Praeside Soc. Reg. Scient. Gotting. Acad. Reg. Scient. Paris. et Reg. Chir. Paris Holmiensis Berolinensis Natur. Curios. Bonon. Socc. Reg. Brit. Vpsal. Bot. Flor. Sodali. Gottingae apud Viduam B. Abr. Vandenhoeckii, MDCCLVI. fol. 1 alph. 1 pl. tab. aen. 2. et totidem lineares.

Quem diu multumque in anatome corporis humani cum omnium applausu occupatum vidimus Ill. Auctorem, nunc, aliis distentum negotiis, ab amico sibi studio recedere debuisse dolemus vehementer, praecipue, quod variarum disquisitionum promissam

promiſſam explanationem deſiderare tantum nobis relinquatur, arteriarum ſcilicet coranoriarum icones, nouam arteriae coeliacae tabulam et intercoſtalium grandiorem delineationem: laetamur tamen, contigiſſe ipſi eſſe tam felici, ut iconibus hiſce anatomicis potuerit imponere finem, quibus, ſi inter tot magni momenti ſcripta exiſterent ſolae, perennem iam ſibi paraſſet futuram memoriam. Variis iam occaſionibus horum faſciculorum memoriam iniecimus, quibus arteriarum potiſſimum deſcriptiones plenas condere animus erat, in hoc fragmenta maximam partem continentur, quae antecedentium explanationes illuſtrant, partim etiam emendant atque perficiunt. Quamuis autem fateatur ipſe minuta aliqua vaſcula eſſe, nec perinde ad vitam apprime ſuſtentandam facientia, cum nobiliora non omnia adeant viſcera, demonſtrauit tamen Noſter, in minimis etiam prouidam naturam aliquas tenuiſſe regulas, quas perpetuo ſequi ſoleat, eo demum in caſu exceptiones facturam, ubi ſpecialis quaedam neceſſitas id eſt iuſſura. Qualem in eiusmodi caſu adhibuerit ſolertiam, ni aliunde conſtaret, hae ſane obſeruationes poſſent multum confirmare, quum in addita huic faſciculo praefatione, quae ab antiquis recentioribusque ſcriptoribus de intercoſtalium arteriarum ramificationibus fuerint adnotata, breuiter indicet, et ſedulae comparationis inſtitutae exhibeat teſtimonium. In hoc faſciculo tandem anteriores poſterioresque corporis humani arterias delineatas exhibuit Ill. Auctor, ea quidem ratione, ut verus earum ſitus exinde optime ſimul percipiatur. Contemnendum enim optimo iure putat eorum morem, qui, ut VESALIVS atque COWPERVS, excarnia vaſorum ſceleta proponunt, hinc in duplici tabula, quibus lineares et litteris numerisque diſtinctae reſpondent icones, in explicatione uberius declaratis, ſuperficiem anteriorem et poſteriorem corporis noſtri ſiſtit, ſed ita, ut ſiniſtri

lateris

lateris arteriarum illud proponatur ſtratum, quod ſub cute conſtituitur, dextri vero, quod oſſibus magis vicinum eſt. Concedit ſimul, quod nos etiam optamus, ſe plures adhuc potuiſſe, ni ſumtuum ratio fuiſſet habenda, addere icones, deſumſit autem has ex puero, et lato capite breuique corpore propoſuit, hac etiam methodo lucratus ſpatium, ut facies truncusque corporis latior exiſtat.

Quum multa ſint, quae in ſingula tabula exhibentur, eae in regiones diuiduntur. Nempe vaſorum totius corporis anterioris explicatio ſiſtit in regione *prima* cor et thoracem, in *ſecunda* collum, in *tertia* faciem, in *quarta* brachium dextrum, in *quinta* ſiniſtrum, in *ſexta* abdomen, peluim et oſſa ilium, in *ſeptima* femur dextrum, in *octaua* ſiniſtrum, in *nona* dextram tibiam cute nudatam a latere interno una cum pede, in *decima* tibiam et pedem ſiniſtri lateris, remotis primis muſculis. Vaſorum corporis humani poſterior tabula explanat in regione *prima* ceruicem, in *ſecunda* dorſum et ſcapulas, in *tertia* brachium ſiniſtrum, in *quarta* dextrum, in *quinta* nates et pedem ſiniſtrum, in *ſexta* femur dextrum et pedem.

Haec ad hiſtoriam operis, ſubiectae potiſſimum notae continent obſeruationes et ſupplementa ſimul reliquorum faſciculorum, de quibus itaque nobis ſigillatim eſſet dicendum, niſi in tanta rerum varietate difficillimum eſſet futurum, partem aliquam decerpere. Interim omnibus illis, qui ſubtiliorem tractant anatomen, permagna inde eueniet utilitas, qui ea, quae olim ab Ill. Auctore fuerunt propoſita, cum nouis hic additis acceſſionibus velint comparare, et variantem quidem naturam admirari, illas tamen varietates, in latentibus morborum cauſis perſcrutandis, non inanem operam conferre, intelligere.

VIII.

VIII.

B. S. ALBINI academicarum annotationum liber tertius. Continet anatomica, physiologica, pathologica, zoographica. Leidae apud G. et H. Verbeek. 1756. 4. pl. 15. tab. aen. 7.

Eadem est huius libri ac priorum, de quibus suo loco diximus *, ratio, eademque industria adhibita conspicitur, nisi quod Cl. Auctor ad varias simul ipsi factas respondeat adnotationes. Nos, ut antea consueuimus, summa eorum momenta indicabimus, quae in decem et septem capitibus, quos liber continet, adducuntur.

Caput primum dispicit, *an corpus nostrum totum* p. 3. *ex vasis constet.* Est non nullorum ea opinio totum corpus ex meris vasculis, seu humorum receptaculis constare, in primis, quod Cl. RVYSCHII artificiosa vasa replendi ratione absconditi alias tubuli in lucem protrahuntur, quod tamen nec RVYSCHIVS asseruit, nec se vidisse confirmauit. Hinc, quamuis enormis diuersorum vasculorum multitudo est in singularum partium compage, omnibus tamen partibus propriam naturam esse datam, qua differunt inter se et a vasis, conuenienter statuit Cl. Auctor, atque multis comprobat argumentis.

Caput *secundum* declarandae *valuulae coli* fabricae p. 14. destinatum est, quam quidem optime conspici posse dicit Noster, si in aqua fluitans intestinum et dissectum sese explicet. Crassum intestinum a latere, mesenterio opposito, resecari debet, quo facto tenuis ingressus valuulae conniuentis instar apparet, inter cuius cornua scissura longa conspicitur, transuersa, vel hians in formam ouatam, vel clausa. Facto autem experimento nihil ex crasso ad tenue intestinum regur-

* vid. Comment. nostr. Vol. IV. P. III. p. 453. Vol. V. P. II. p. 209.

regurgitare intellexit Cl. Auctor, sed contra. Valuularum fabrica ex utroque intestino participat, omnesque eius tunicas recipit, nerueam scilicet, villosam musculosamque, excepta externa communi membranacea, quae super insertionem fertur. Soluto hoc nexu disparent valuulae, annulus sese ostendit, et tandem rotunda intestini tenuis insertio. Meminimus huius fabricae descriptionem confirmari obseruatis Cl. HEISTERI. Icon addita huius fabricae egregiam ideam sistit.

p. 23. *De* HAVERSII *rectis ossium poris, deque vasis eorum, tertium caput* inscribitur, docens, non transudandae medullae, sed vasorum transitui destinari vasa, quae intus copiosissime distribuuntur. Icon adiuncta dicta illustrat.

p. 25. *Quartum* porro *caput de valuulis intestinorum humanorum* dispicit, easque non villosae tantum, sed neruosae etiam processus esse docet, in tenui aeque ac crasso intestino, huiusque valuulas per omnem intestini ambitum dimitti.

p. 27. *Aneurisma corporis neruosi penis*, rarum casum, recenset *caput quintum*, quod ex improuida, rigente eodem inflexione enatum, emollientibus peruerse tractatum, tandem incisum, haemorrhagiam fere funestam effecerat, et post mortem demum rite fuerat cognitum. Erigente se pene, multum intumescebat, detumescente vero subsidebat.

p. 28. *In palato non nulla* tubercula, foramina, rugas transuersas, obseruauit Cl. Auctor, *capite sexto* exposuit et icone accurate expressit.

p. 31. *Caput septimum de ciliis* inscribitur, quae in superiori palpebra quatuor ordinibus constare deprehensa sunt; pili etiam eius densiores sunt et plures, medii plerumque longiores, crassioresque ac in inferiore.

p. 32. *Trichiasis caruncolae lacrymalis*, de qua *capite octauo* refertur, multum facessens negotii medicis, euulso irritante pilo mox sublata est.

Integu-

Integumenta glandis penis disquirit *caput nonum*, p. 33.
et noua proponit. Contra RVYSCHIVM scilicet eadem, ac in reliquo corpore integumenta et successionem eorundem similem describit. Cuticulam nempe subiectum corpus reticulare, cutem deinde, per quam papillae eminent, et huic demum subiectam telam cellulosam. Ad hanc autem fabricam demonstrandam macerauit penem in aqua, donec cuticula cum reticulo fuerit resoluta, corpora cauernosa rigida reddidit inflatione vel immissione fluidi, porro cutem penis inflauit, simulque telam cellulosam, quae ad glandem continuata visa est post exsiccationem, *multa in pene, plurima in praeputio, perparca in glande*, ut ea propter singulare epithelium non adsit.

Nutritionis doctrinam emendat atque illustrat *ca-* p. 38.
put decimum, desumtis argumentis ex sermone, quo Ill. Auctor, anno huius seculi quadragesimo sexto medicinae professionem adibat. Quum obscura sit nutritionis ratio, quae variis occasionem dedit disceptationibus, ea praecipue perpendit, quae a RVYSCHIO atque BOERHAAVIO proposita fuerant, momenta, lacunas autem vel foraminula in vasculis minimis resarciri sicque nutritionem fieri non credibile ipsi videtur, quum alias vel exterior vasculorum superficies non nutriatur, vel interior adhaerens molecula iterum facile abripiatur. Itaque ad hasce rem omnem theses reducit: Alimenta, in corpus nostrum introducta, interna vi conuertuntur, inde paratus chylus ad quascunque corporis partes deducitur; sunt in corpora praeter vasa partes firmae, hae sunt nutriendae, ergo extra vasa nutrimentum deueniat, necesse est. Id, quod per halituosum rorem, exeuntem per subtilissimas vasculorum tunicas, facillime intelligitur. Conuertitur in naturam nostram per vim physicam, *per partes corporis nostri fusam et actuosam*. Sed nonne et tunc difficilis explicatio, an vis intelligens? an diuersa, quae ossa, carnes etc. facit?

Caput

p. 52. *Caput undecimum* agit *de modo, quo arteriae et venae per tunicas inteſtinorum tenuium humanorum pertinent.* Nouas proponit vaſorum ad inteſtina pertinentium, icones, quum olim datae non omnino placeant, elegantes utique, in quibus tunicae et vaſorum directiones accuratiſſime depinguntur. Reprobat Cl. Auctor methodum RVYSCHII repleta inteſtina exſiccandi, quibus vaſorum ordines minus diſtincte cognoſcuntur.

p. 57. *Capite duodecimo* deſcribuntur *papillae mammae et papillae muliebris.* Detracta cuticula copioſiſſimae papillae, inter cutis inciſuras poſitae, ſeſe conſpiciendae praebent, nec non, itidem id demonſtrantibus figuris, lactiferorum vaſculorum oſtia.

p. 58. *Capite decimo tertio, calculi* adducuntur, *reperti in canalibus choledochis, atque calculi veſicae.* In choledocho ductu erant duo contigui, oblongi, ad coniunctionem plani, cortice inaequali, varie colorati, choledochus autem et cyſticus ductus ampliati conſpiciebantur. Simile exemplum in cyſtidis amplitudinem fere dilatati ductus a calculo nuper hic etiam vidimus. Addit huic recenſioni Cl. Auctor deſcriptiones et icones calculorum veſicae, quorum varietates ex libro diſcere melius eſt.

p. 59. *Caput decimum quartum,* conſiderat *membranam, quam retinam vocant,* eamque duplicem eſſe confirmat ipſe Cl. Auctor, poſtquam a variis iam iam eius diſcipulis, quos citat, quibus etiam MOELLERVM * addimus, eius facta fuerit mentio: aliam nempe externam mere medullarem, aliam internam, pertenuem, membraneam, vaſculoſiſſimam. Quum poſt ablatam ſcleroticam choroideamque, tunicas, obſcure apparerent vaſa retinae, ſcalpello ſeparabat exteriorem ſubſtantiam, quae in aqua fluctuans membranea

* Vid. IO. HENR. MOELLER Diſſ. exhibens obſeruationes circa tunicam retinam et neruum opticum. Halae, 1749. §. XIX.

nea comparebat, poſt ablata omni medulla, ſupererat interior membrana, quam ſemper inueniebat vaſis optime repletis ſupereſſe. Ne vero naturae contraria ſedes videri poſſet utriusque membranae, notat Cl. ALBINVS vaſa retinae tenuia eſſe, rubro ſanguine non plena, parum micare, ut viſionem perturbare nequeant. Hanc ſtructuram alii negare annisi ſunt, ut alibi expoſuimus *.

De *phoca* capite *decimo quinto* diſſeritur. Longa erat pedes ſex et dimidium, ab ore ad extremos pedes poſticos, illius ſpeciei, quam a Cl. LINNAEO ** vocari inuenimus: *phocam dentibus caninis tectis*. Exhibetur partium externarum anatome et icon. Grauida autem erat beſtia, quare ſimul embryonis aliqua additur deſcriptio. Notamus ex his, myſtacem ex variis pilis, ſetarum inſtar rigidis conſtare, margine latioribus, quam craſſioribus, interius nodoſe ſinuatis, ut ſubſequentis pili eminentiae anterioris depreſſioni reſpondeant et contra. Porro digitorum prior ex duobus, reliqui ex tribus oſſiculis componuntur. Pedes natatorii, quorum poſteriores in medio commune ad anum et vaginam oſtium oſtendebant, quod utrumque tenui admodum diſſepimento a ſe diuidebatur. In embryone, qui maſculus erat, pili adeo teneri, ut iis fere deſtitutus eſſe videretur. Reconditus penis ſub ano latebat. p. 64.

Capite *decimo ſexto addenda ad librum primum harum annotationum* exhibentur, ſimulque variis reſpondetur, quae in *relationibus de libris nouis*, Gottingae editis, contra eum monita fuerunt. De his nihil p. 72.

* Conf. IO. GODFR. ZINN Deſcriptio anat. Oculi humani. Gotting. 1755. 4. Cap. III. §. III. p. 111. et Comment. noſtr. Vol. V. P. II. p. 350.

** Syſtema Naturae. Quadruped. Ord. 2. no. 9. p. 6. edit. Lipſ. 1748. 8.

nihil adducimus, niſi, quod Cl. Auctor ſua potiſſimum inuenta contra variorum obtrectationes modeſte defendat, et tunicam pupillarem foetus primo a ſe demonſtratam fuiſſe loco hic denuo confirmet, non vero primo publice deſcriptam.

p. 98. Ad hiſtoriam literariam ultimum tandem ſpectat caput *decimum ſeptimum*, quo *libri, quem impetus ſuos anatomicos* CANTIVS *vocauit*, *hiſtoria* traditur. Iueniles utique erant impetus illi labores, qui noſtrorum temporum elegantiam atque ſtudium, rem omnem naturae conuenienter proponendi, non adſequuntur, a quorum editione Cl. ALBINVS eius auctorem dehortabatur, cum icones reformandas eſſe totas et corrigendas cenſeret. Pleraeque earum factae erant ad praeparatas a Cl. Auctore corporis humani partes, editae, ut fautorum ſibi gratiam aucuparet editor.

Index, huic libro additus, praecipua eius momenta continet.

IX.

Recueil périodique d'Obſervations de Medecine, de Chirurgie et de Pharmacie. Tome I. à Paris, chez *Ioſeph Barbou*, MDCCLIV. Tom. II. MDCCLV. in 8.

i. e.

Collectio periodica obſeruationum ad artem ſalutarem, chirurgiam et pharmaciam pertinentium. Tom. I et II.

In vaſto galliae regno, viris, ciuium ſuorum aegritudinibus, per integram vitam, conſiliis et medicamentis aeque ac manu, ſumma cum prudentia et dexteritate, medentibus, quam plurimas utiliſſimasque obſeruationes ſe obtuliſſe, nemo forſitan dubitabit.

bitabit. Hae omnes vero, magno artis ſalutaris detrimento, vel cum eorumdem celeberrimorum virorum vita prorſus interierunt, vel publici iuris quoque factae, tantam tamen poſteritati, quantam debuiſſent, non adferre potuerunt utilitatem. Ex defectu enim periodicae cuiusdam, eiusmodi obſeruationibus peculiariter deſtinatae, collectionis, pleraeque earumdem diariis eruditorum, Mercurio ſcilicet ſic dicto gallico, diario oeconomico, et illi, quod *Veroduni* in lucem prodit, inſertae, atque iſtic farragini tractationum, diuerſiſſimi ſtudiorum generis, immixtae, pauciſſimis eorum, quorum tamen intereſt, vel ideo innoteſcere potuerunt, quia non omnes, omnia iſta diaria ſibi comparare, nec ſemper immenſam hanc collectionem, ad eruendum paruum huncce obſeruationum numerum, euoluere poſſunt. Cl. igitur Auctorem, cuius nomen non expreſſum legimus, laudabili inſtituto, inſignes hosce artis ſalutaris theſauros, propria collectione conſeruare voluiſſe, quam maxime laetamur. Huius vero iam quatuor tomi cum initio quinti ad manus noſtras peruenerunt. Prima enim huius operis collectio, quinque plagulis conſtans, primo iulii 1754 lucem publicam adſpexit, quam quolibet primo ſequentis menſis die alia, totidem plagulis conſtans, excepit, quarum ſex integrum tomum conſtituunt, ita, ut quotannis duo volumina in lucem prodeant. Quaelibet cuiuslibet menſis collectio utplurimum in tres articulos diuiſa deprehenditur, in quorum *primo* obſeruationes ad artem ſalutarem, *ſecundo*, ad chirurgiam, *tertio*, ad pharmaciam ſpectantes, continentur, adiecta ſub finem tabula, titulos obſeruationum repetente, et ſub finem cuiuslibet tomi alia adhuc tabula generali, eosdem ſecundum articulorum et paginarum ordinem indicante.

Non ingratum vero lectoribus noſtris fore ſperamus, ſi fata et inſtituti rationes, prouti ſenſim in eo

maiorem operis utilitatem mutatae fuerint, paucis
Tom. I. adhuc exponamus. Secundum primam enim inſtitu-
praef. ti rationem omnes ab omnibus artium ſcientiarum-
que cultoribus bibliopolae *Barbou* traditae obſerua-
tiones, absque ulla facta mutatione, addito, vel
omiſſo quoque, prout deſideraretur, auctoris nomi-
ne, imprimi debebant, ita, ut in hoc opere, ceu
libero campo, quilibet comparens cogitata ſua extri-
care, atque obiectiones, ab aduerſariis contra eadem
formatas, pro lubitu refutare poſſet. Non vero
multo poſt, et quidem ſub finem iam iam ſecundae,
menſe auguſto 1754 prodeuntis, collectionis, Cl.
Auctor, ex variis, prouti traditae erant, impreſſis
obſeruationibus, nimis amplo ſcribendi genere ad
nauſeam uſque extenſis, probe perſpexit, eius modi
ſcripta, contra fidem ante datam, neceſſario in bre-
T. II. uem ſummam contrahenda eſſe. Prolixiorum ta-
praef. men in primo naſcentis huius operis tomo contenta-
rum obſeruationum, utique ex parte incomtarum,
nec rerum dignitate adeo excellentium, vel ideo fa-
cile veniam ſe impetraturum eſſe ſperauit Cl. Auctor,
quia acceptarum obſeruationum penuria ipſi nullam
fere eligendi copiam fecit. Poſteaquam vero fama
noui huius utiliſſimi laboris totam galliam celerrime,
et quidem antea adhuc, quam primus tomus finire-
tur, peragrauerat; Cl. Auctor in ſecundo tomo, qui
ſolus figuris condecoratus eſt, ex copioſioribus, ipſi
iam undiquaque miſſis, obſeruationibus, varias,
contra neceſſaria bonarum obſeruationum requiſita
peccantes, reiicere, et lectoribus ſuis ſelectiores pro-
ponere potuit. Hoc tempore chymicas quoque
ipſi miſſas obſeruationes, absque ulla difficultate in-
ferere promiſit, et ſic et in hoc, et in ſequente ter-
tio tomo feliciter perrexit, in quibus nihil mutatum
deprehendimus, niſi quod in tertio tomo, ad ex-
plendum plurimarum deſiderium, litteris paullo ma-
iuſculis uſus ſit, et theſes digniores in lucem prode-

untes,

untes, quarum unam iam ſecundo tomo inſertam vidimus, primo latine, et dein in gallicum ſermonem verſas inſeruerit.

Ad finem autem properante tertio tomo, menſe ſcilicet nouembri 1755 collectio haec periodica primo bibliopolam, et cum fine eiusdem Auctorem quoque mutauit. Cl. enim VANDERMONDE, qui hos anteceſſoris ſui labores ſub auſpiciis viri, ſenatoria dignitate conſpicui, continuauit, eosdem, variis in ornamentum huius libri, et lectorum commodum factis mutationibus, tabulaque ſpeciali, ſub finem cuiuslibet collectionis obſeruationum titulos repetente, ceu ſuperflua, omiſſa, ita diſpoſuit, ut cuiuslibet collectionis *articulus primus* obſeruationes proprie ad morbos pertinentes, quae phyſiologiam, pathologiam, hygienem et ſemeioticam ſub ſe comprehendunt, *ſecundus* inuenta anatomica, ſectiones cadauerum, omneque illud, quod chirurgiam rationalem et inſtrumentalem concernit, et *tertius* denique hiſtoriam naturalem, chymiam et pharmaciam contineat. Vtiliores quoque Pariſiis, Monte peſſulano, et in reliquis celeberrimis galliae ſcholis propoſitas theſes, litteras, omniaque minora ſcripta, directe ad progreſſum ſupra nominatarum ſcientiarum tendentia, nec non notabiliores diſſertationes, tam pro, quam contra ſententiam quandam, modo non altercandi fine, conſcriptas ſe exhibiturum, et deſcriptionem denique morborum, Lutetiam Pariſiorum infeſtantium, ſingulis menſibus additurum eſſe, promiſit. Rogauit denique auctores ſub initium quarti tomi, ut, ad eo maiorem certitudinis atque fidei gradum obſeruationibus ſuis conciliandum, nomina ſua iisdem apponere non dedignentur; et ſub initium quinti tomi aperte declarauit, ſe in poſterum non niſi auctoris nomine inſignitas publicaturum eſſe. T. III. p. 324.

Obſeruationes vero, quas antea bibliopolae *Barbou* mittere oportebat, et quae nunc bibliopolae

Vincent exhibendae sunt, non assumuntur, nisi pecunia, quae cursus nomine debetur, ab auctoribus antea persoluta sit. Exteri autem ad parcendos sumtus, observationes suas latine vel gallice scriptas Amstelodami quoque et Lipsiae bibliopolis *Arkstée* et *Merkus*, Berolini *Iohanni Neaulme*, Dresdae *Conrado Walther*, Edimburgi *Foulis*, Friburgi *Boffe*, Gedani *Knoch*, Goettingae *Eliae Luzac* iuniori, Halae Magdeb. *Carolo Hermanno Hemmerde*, Hagae Comitum *van Daalen*, Londini *Nourse*, Madriti *Barthelemi*, Manhemii *Fontaine*, Neapoli *Clement*, Parmae *Faure*, Taurini *Reyncens* et *Guybert*, et Tiguri *Heideggero* atque consortibus tradere possunt.

In tanta vero rerum copia recensenda, alia quidem, praeter titulos, prorsus omittere, alia tribus tantum verbis indicare, et alia denique, quae nobis attentione magis digna visa sunt, paullo luculentius declarare voluimus. Sic in

Tom. I. mens. iulii 1754. *articulo I.* occurrit

p. 5. 1) *Epistola Cl. Dr.* CANTWEL *ad Cl. Dr.* LE CAMVS litem inter hos iam per annum agitatam continuans *.

p. 20. 2) *Anonymi historia morbi singularis* per octo annos durantis. Femina, quae a matre quinquagenaria in lucem edita, duodecimo aetatis anno menstruorum fluxum iam experta est, decimo quarto vehementi ictu in dorso percussa, per longum satis tempus vomitu et sanguinem et alimenta reiecit, decimo sexto denique in apoplexiam et paralysin, per octo menses durantem, incidit, atque variis postea morbis, ad tricesimum quintum usque aetatis annum, conflictata fuit, tandem abscessu vehementer dolente versus orificium ventriculi inferius, vomitu cruento, purulento, urinoso, aliarumque foetidissimarum materia-

* vid. Iournal oeconomique du mois Avril et May 1754.

materiarum, alui, veſicae uterique euacuationibus ſuppreſſis, atque extremitatum inferiorum tumore ſtipato, correpta. Accedunt lipothymiae, conuulſiones, per menſem durans coecitas, cum violenta febre irregulari et ſudoribus frigidis, inter quae, ob ſuffocationis periculum, dies noctesque ſedere coacta, nec dormire, nec in lecto iacere potuit. His denique menſe auguſto ſequentis anni claudicatio ſe aſſociauit. Menſe vero februario anni quinti eiusdem, modo plus, modo paullo minus, affligentis, ſemperque continuantis, morbi, vomitus enormes purulenti, cruenti, foetidi, prima vice certa quaedam membranarum partes continuerunt, reliquis ſymptomatibus longe auctis, quibus ani procidentia ſeſe iunxit. Anno morbi ſeptimo vomitus cum membranarum partibus redierunt, et pedes, ob coactum ſitum adducti, abbreuiari viſi ſunt. Menſe ianuario anni octaui per plures dies foetidiſſima euomuit cum membranis cyſticis, quarum pars quoque per aluum ſeceſſit, quo facto, pedes non ſolum facilius mouere, ſed et iisdem, et quidem absque ulla claudicatione, incedere potuit. His euacuationibus imminutis, aluus per triginta nouem dies, absque ullo aegrae incommodo, clauſa fuit, et die viceſimo primo martii prorſus reſtituta optime valuit. Hanc excipiunt

3) *conſultatio de curanda arthritide haereditaria*, et p. 30.

4) *epiſtola de tranſpiratione, et feminarum fluxus menſtrui cauſa*, in qua Anonymus Auctor oſtendere conatur, nos hyeme plus, quam aeſtate, tranſpirare, atque parciorem feminarum tranſpirationem earundem fluxus menſtrui cauſam eſſe. p. 60.

Articulus II.

1) *epiſtolam* exhibet, *qua varii errores in pharmacia hodierna, a Cl.* PYRAVX * *edita, commiſſi detegunturſ* ſequuntur p. 66.

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 473.

p. 78. 2) *cogitata de ſalibus neutris cum conſectariis quibusdam arti ſalutari utilibus*, in quibus Anonymus Auctor, ſalia neutra ex unione binorum acidorum componi poſſe, atque acidum vitriolicum combinationem reliquorum acidorum cum ſubſtantiis alcalinis, non tam tollere, quam tantum modo debilitare, ſibi perſuadet.

Menſis auguſti 1754 Articulus I.

p. 83. 1) *epiſtolam* continet *de tribus diuerſis morbis*, quorum primum adduxiſſe ſufficiet. Anonymus Auctor arti ſalutari non addictus, iuuenem robuſtum viginti quinque annorum, ſubito a retropulſis ulceribus venereis cancroſis, dolore, dyſuria, et vomitibus correptum, mox in paralyſin internam veſicae et inteſtinorum incidiſſe, et hora decima veſpertina mortuum eſſe, perhibet. Sequentes numeros, qui conſultationem quandam variasque morborum curationes continent, lubentes praetermittimus.

Articulus II.

p. 140. 1 et 2) *obſeruationes de cancro mammarum* tradit, quas alia

p. 149. 3) *de gangraena pedis* excipit. Femina viginti ſex annorum die, poſt felix puerperium, duodecimo, ſponte gangraena pedis corripitur, quo, poſtero die, ſupra genu amputato, gangraena nouos progreſſus fecit ita, ut non ſolum verſus femur proſerperet, ſed altero quoque pede gangraena affecto, poſt tres, et quod excurrit, ſeptimanas, moriretur. Sequitur

153. 4) *epiſtola Cl.* L. H. S. *Chirurgi ad Cl.* PONTARDIN *iuniorem Chirurg. Remenſem*, qua narratur, Cl. LE CAT die decimo quinto maii 1754. intra ſeptemdecim minuta lithotomiam in ſeptem aegris feliciter exercuiſſe.

In

In menſis ſeptembris 1754 Articulo I.

1) *Cl.* MISSA *obſeruationem de vitio quodam ſingulari conformationis* tradit, atque puellam, die decimo octauo iulii 1754 in lucem editam, cum labio ſuperiori excauato leporino, defectu oſſium maxillarium ſuperiorum, oſſium palati, totiusque palati mollis, aliisque, circa has partes, conformationis vitiis ſollicite deſcribit, cuius habitum externum quoque, cutis excoriatione, maculis rubris dolentibus, et tumoribus ſcrophuloſis circa malleolos pedum, admodum vitiatum deprehendit. Sequens vero p. 163.

2) *quaeſtio de rabie:* An lac vel butyrum vaccae furioſae nocere poſſit, nec ne? argumentis pro et contra allatis, in ſpem futurae deciſionis, eruditorum diſquiſitioni commendatur. In reliquis autem, conſultationibus, atque variorum morborum curationibus, nihil notatu dignum deprehendimus. p. 167.

Articulo II.

1) *Epitome theſeos medico chirurgicae in ſcholis fac. medic. Pariſ. die vigeſimo quinto april. 1754. a Cl.* H. S. MACQUART *propoſitae:* An lithotomia lateralis ſecurius faciliusque cum inſtrumento, ſub nomine lithotomi tecti cognito, perfici poſſit? continetur, quam vero, in nouam epitomen contracturi, lectoribus noſtris, ob figurarum quoque defectum, prorſus obſcuram redderemus. Sequuntur p. 211.

2) *cogitata Nobiliſſ.* MAUPILLIER *iunioris, chirurgi, de lithotomia Cl.* LE CAT *die decimo quinto maii 1754. menſe huius collectionis praecedente a Cl.* L. H. S. *chirurgo, deſcripta,* in quibus primo Cl. LE CAT operandi methodum exponit, et ſecundo, poſito Cl. LE CAT tanta dexteritate pollere, ut tot ad operationem, periculi pleniſſimam, neceſſarias encheireſes unico horae minuto perficere poſſit, aliis diiudicandum relinquit, an eius modi praecipitantia aliis commendanda ſit? p. 231.

In menſis octobris 1754. *Articulo I.*

p. 243. 1) *Obſeruatio de vitio conformationis ſingulari, cuius menſe praecedente huius diarii, a Cl.* MISSA, *mentio facta fuit, continuatur*, et mutationes, quae iſti puellae ſenſim acciderunt, una cum difficultatibus, in deglutitionis negotio occurrentibus, exponuntur.

p. 249. 2) *Epiſtola Cl.* BVRETTE *ad Cl.* FALCONET, *de dormitore extraordinario die decimo ſeptimo ian.* 1714 *exarata.* Faber lignarius quinquaginta annorum, ex aliquot annis pietati nimis operoſae deditus, atque ſubita morte amici, quo cum paulo ante altercatus erat, perculſus, die decimo quinto aprilis 1713 in noſocomium charitatis pariſinum deductus, ſemi hebes triſtisque viſus, ceterum ſanus, ad quaeſtiones reſpondens, poſt aliquot dies, obdormiuit ita, ut, ſenſu motuque corporis abolito, nihil appeteret, ori tamen ingeſta deglutiret, ceterum colore faciei rubro, reſpiratione libera, pulſu forti, aequali, et ad modum lento, gauderet. Venae ſectiones et vomitoria illum ſemel per viginti quatuor horas reſuſcitarunt, poſtea vero rurſus obdormiens, ne quidem iterata projectione in aquam frigidam reſuſcitari potuit, donec tandem, circa finem auguſti, uxori ſuae redditus, ſenſim ſponte euigilaret, poſteaquam fere ſex menſes ſomno obrutus fuerat.

p. 252. 3) *Epitome conuentus publici academ. reg. ſcientiar. elegantiorum litterar. et artium Rothomagenſis a Cl.* LE CAT *communicata*; ex qua ſaltem notamus, Cl. LE CAT epitomen diſſertationis de febribus malignis, et illis praecipue, quae Rothomagi, circa finem 1753 et initium anni 1754, graſſatae ſunt, praelegiſſe; in qua *primo* morbi hiſtoriam, curationem, et cadaueuerum exinde mortuorum ſectiones, tradidit; *ſecundo* oſtendere conatus eſt, morbos internos, et in ſpecie febres iſtas malignas, nil niſi morbos externos, ad modum cognitos, eſſe, ſiquidem ex cadauerum inſpectione probare anniſus eſt, febres iſtas, nil niſi

herpetem

herpetem, ventriculum et inteſtina tenuia occupantem, fuiſſe; remedia quoque, quae optimum effectum praeſtiterint, hunc ideo ſaltim praeſtitiſſe, quia topicis, quae chirurgia, in curando herpete, adhibet, analoga fuerint. *Tertio* denique cauſas horum iam cognitorum morborum inueſtigaturus, easdem non in humoribus noſtris, ſed in fluido nerueo, vel quantitate vel qualitate peccante, reſidere aſſerit, atque hanc nouam theoriam ſuam, ad omnes fere morbos externos, ſpeciatim contagioſos, et hinc ad epidemicos exanthematicosque, adplicare, eosdemque exinde explicare, conatur.

4) *Epiſtola Cl. de* MEYSEREY *ad Cl.* IMBERT *d.* p. 262. *vigeſimo aug.* 1754 *exarata, de morbis epidemicis, proxime praeterito hyeme et veris principio Stampis, (à Etampes) regnantibus*, eum praecipue in finem ſcripta eſſe videtur, ut methodum ſuam curandi defendat.

5) *Effectus aquae picis liquidae ab aegro ipſo relati.* p. 268. Vir triginta trium annorum, temperamenti calidi, ſanitate infirma, ventriculoque debili affectus, multum appetens, minime ſobrius, ante et poſt prandium multum ſtudens, poſt meridiem ab hora 4 - 7 voluptatibus indulgens, et curis domeſticis excruciatus, in ſummam corporis debilitatem incidit, omnia, quae comedit, niſi corpus moueret, rurſus euomuit, ita, ut tandem aqua pota ipſi dolores excitaret. Parum comedens, ventrem valde adſtrictam, adpetitui indulgens, valde relaxatam, habuit. Extremitates corporis, ipſiusque naſus, menſe quoque auguſto, frigidiſſimae fiebant. Tunc temporis in Cl BERKELEY librum incidens, ſine inſtituta venaeſectione purgationeque, nec ullo diaetae regimine obſeruato, omni mane lagenam aquae picis liquidae epotauit. Octauo die ventriculus reſtitui, extremitatesque corporis rurſus calorem naturalem induere coeperunt. Tandem vero nauſeabundus hanc aquam bibit, quae per urinas proportionate non ſeceſſit, ſed tranſpirationem

tionem auxit, et ſemen maſculinum colore et odore ſuo imbuit. Vltimis diebus ſtatim poſt eiusdem epotationem, et per duas circiter horas, abundanter, ac ſi mercurio inunctus fuiſſet, ſaliuam exſpuit, absque tamen gingiuarum tumore. Die viceſimo pallidus alias, faciem rubicundam habuit, et poſt epotam aquae picis liquidae lagenam, hora quarta pomeridiana ſubito febre correptus, longiſſimum violentiſſimumque paroxyſmum expertus eſt, in eruptionem puſtularum, ſcabiei humidae ſimilium, ſe terminantem. Hae totum corpus, exceptis ventre et dorſo, occupantes, poſt octo dies, pure effuſo ſponte exſiccabantur, quo facto bene valens ſurrexit, et, licet haec aqua vires ipſi ad venerem neceſſarias non reſtituerit, de reliquo tamen per ſeptem ſequentes annos optime valuit. Sequentes vero

p. 274. 6) *obſeruationes de febre continua cum tetano*, nec non

p. 281. 7) *conſultationes varias* lubentes praeterimus.

In articulo II.

p. 291. *Obſeruatio Cl.* DESTREMAV *curatioque vulneris continetur, gladio ſiniſtrae genae inflicti.*

Articulus III. vero

p. 295. 1) *Epiſtolam in diſſertationis forma Cl.* P. *de Ste C - - - ad Cl. B. de Analyſi chymica* exhibet, in qua oſtenditur, errorem eſſe, ſi dicamus, plantarum principia ideo, per analyſin chymicam, non cognoſci poſſe, quia ex omnibus plantis, per deſtillationem ex retorta, igne nudo applicato, ſemper fere eadem producta obtineantur. *Analyſin chymicam* enim *vegetabilis cuiusdam* nihil aliud *eſſe* aſſerit Cl. Auctor, quam *reſolutionem ſeu ſeparationem principiorum eiusdem efficacium, per illa ex omnibus cognitis mediis praeſtitam, quae, pro circumſtantiarum diuerſitate, ſecundum artis indicationes applicari poſſunt.* Et hinc oſtendit

dit combuſtionem, incinerationem, deſtillationem ex retorta igne nudo, infuſionem calidam, frigidamque, decoctionem, reliquaque omnia per ſe ſeparatim ſpectata, inſufficientia; reſolutionem autem vegetabilium per congelationem, ſi v. g. infuſum plantae, ope aquae frigidae, maximo frigori exponatur, unum ex illis mediis eſſe, quae corporum principiis exiguas admodum et fere nullas mutationes inducat, idque ex congelatione vini, aceti, cet. ulterius illuſtrare conatur.

2) *Epitome litterarum Cl.* L. H. S. *reſponſoriarum ad cogitata Cl.* MAVPILLIER *iunioris, praecedenti huius periodicae collectionis menſi inſerta.* Ex variis autem, quas p. 313.

Menſis nouembris 1754. *Articulus I.* continet

Conſultationibus, obſeruationibusque de morbis conuulſiuis, rheumaticis, uteri haemorrhagiis, aliisque, ſaltem notamus, p. 323.

Cl. L. *narrare*, in feminae, per triennium paroxyſmis hyſtericis, apoplecticis et conuulſiuis vexatae, die decimo ſexto ſept. 17- - autem vera apoplexia tactae, et hac d. viceſimo ſecundo eiusdem menſis demortuae, cadauere, inter alia quoque, in parte cerebri calloſa, duas eminentias, ab utraque falcis parte, verſus partem eius mediam, fuiſſe; in quarum qualibet aperta, lamina oſſea lineam craſſa, octo vel decem lineas lata, et ſedecim vel viginti lineas longa, deprehenſa fuerit. p. 350.

In Articulo II.

1) *Curatio vulneris abdominalis* traditur. Hanc excipit p. 361.

2) *Diſſertatio de puerperio, in quo foetus a Cl.* THIBAVLT, *Acad. Rothomagenſ. ſocio, in cauitate abdominis inuentus fuit**. Femina octo infantum mater, p. 368.

* Academiae Rothomag. d. 22 nouembr. 1753. praelecta.

ter, quae, post septimum puerperium, abscessu notabili in inguine, versus superiores tamen infimi ventris partes plus quam quatuor digitos transuersos tendente, atque difficulter cicatricem induente, laborauerat, nona vice grauida facta d. tertio nou. 1753, media nocte, iusto tempore, doloribus ad partum vehementissimis et fere continuis corripitur. Licet vero, secundinis sponte apertis, caput infantis, situ feliciſſimo, introitum arcus ossis pubis occuparet, per duas tamen sequentes horas non ulterius progrediebatur. Accedebat potius, doloribus ad partum fere continuis, aliud doloris genus sub umbilico, non definiendum, quod nausea, vomitus, lipothymiae, pulsus paruus, frequens, cum extremitatum frigore, excipiebant, ita, ut Cl. THIBAVLT, hora post quintam matutinam dimidia, accersitus, illam, licet omnia ad partum rite composita esse viderentur, inopinato, post tres horae quadrantes exspirare videret. Aperto abdomine posteriora infantis nuda conspexit, utero licet non aperto. Longitudine sua parum oblique extensus toto corpore suo dextrum latus occupabat, capite in uteri vagina, sub arcu ossis pubis, quasi inclauato. Reliquum corpus, super intestina matris quasi extensum, in balneo sanguinis, admodum liquefacti, natabat, sub quo secundinae valde amplae cum funiculo admodum longo iacebant. Infans mortuus viginti libris grauior, scrotum liuidum tumefactum, et caput, solita, ab arcu ossis pubis, impressione notatum, inueniebatur. Vterus versus sinistrum latus inclinatus, hocque suffultus, aperturae ad infantis extractionem factae oppositus, maximo capite humano maior, corpore suo et tubis absque ruptura integer, versus unionem vero orificii sui cum vagina posterius largam rupturam ostendebat, per quam infans aeque ac secundinae abdomen intrauerant. Huius rupturae causam Cl. Auctor in abscessum, septimum puerperium sequentem, coniicit,

qui

qui vaginam, vel eius nexum, ita debilitare potuerit, ut cicatrix, et partes hinc debilitatae, octauo, licet feliciſſimo, puerperio magis dilatatae, et nono demum ruptae ſint. Cl. LE CAT, hanc obſeruationem Auctori huius periodicae collectionis communicans, aſſeruit, ſe anno 1743 in parte ſuperiore colli uteri ſimilem aperturam inueniſſe, per quam infans, ſi viuus validusque fuiſſet, itidem in cauitatem abdominis peruenire potuiſſet. Sequitur

3) *obſeruatio de cancro*, et p. 376.
4) *de ſuppuratione quadam cohibita.* p. 380.

Articulus III.

1) Cl. *P. - - de Ste* C* epiſtolam exhibet, qua cogitata de ſalibus neutris menſi iulio 1754 huius diarii inſerta diiudicantur* atque ſolide refutantur. p. 383.

In menſis decembris 1754. *Articulo I.* occurrit

1) *Epiſtola ad Auctorem huius diarii de epilepſia.* p. 403.
Cl. huius diarii Auctor, in menſis ſeptembris Articulo I. p. 196, dubius, utrum venaeſectio epilepſiae paroxyſmos praecaueat, an potius reuocet? hanc dignam quaeſtionem eſſe iudicabat, quae curatius examinetur. Huic igitur quaeſtioni reſponſurus Cl. huius epiſtolae Auctor, quatuor epilepticos in medium profert, recepta methodo, purgationibus ſcil. venaeſectionibus cet. curatos, quibus omnibus ſub finem curationis venaeſectionem prophylacticam, quolibet trimeſtri repetendam, feliciſſimo cum ſucceſſu, commendauit. Optimam enim epilepſiam p. 414.
curandi methodum eſſe arbitratur, ſi primas vias euacuemus, plethoram imminuamus, maſſam humorum, et interdum quoque organa digeſtioni inſeruientia, corrigamus, dein diſtributionem ſpirituum animalium magis regularem reddamus, nimiamque tandem eorum agitationem ſopiamus, id, quod ipſi absque venaeſectionibus vix praeſtari poſſe videtur.

2) *Cl.*

p 416. 2) *Cl. B. obſeruatio hydropis, feminae abortienti ſuperuenientis, methodoque ſingulari curati.* Femina poſt lapſum abortiens, lochiis biduo poſt prorſus ceſſantibus febre vehemente viuisque uteri doloribus, lipothymiis per interualla comitatis, corripitur. Poſt venaeſectiones et iterata medicamenta ſurſum deorſumque purgantia, ſurdi tamen dolores in infimo ventre remanent, urina parcius profluit, venter ſenſim, cum fluctuatione quadam, ut pila luſoria reſonans, intumeſcit, aegraque marceſcens non niſi ructibus editis paullo leuatur. Omnibus fruſtra tentatis ſufficiens quantitas ceparum albarum, groſſo modo contuſarum, atque per viginti quatuor horas aqua vitae maceratarum, cataplasmatis forma ventri et plantis pedum impoſita, urinas prouocauit, ventrem ad ſtatum naturalem reduxit, atque menſtrua, magno aegrae commodo, prima vice rurſus, licet parua quantitate, excitauit. Pedum vero hinc ſecutam inflationem atque reſpirationem difficilem, idem cataplasma plantis pedum denuo impoſitum, liberiorem reddidit et diſſipauit. Et cum purgans, hoc tempore datum, omnia, vix depulſa, ſymptomata reuocaret, idem cataplasma aegram rurſus ab omnibus liberauit; hinc exacto vitae regimini tantum adſtricta ſenſim conualuit. Idem cataplasma vero aliis hydropicis impoſitum nec adiumenti nec detrimenti quicquam adtulit.

p. 419. 3) *obſeruatio de fluore albo,*

p. 422. 4) *conſultatio de aſthmate,* et

p. 428. 5) *morbus ſingularis ventriculi.* Viro quinquaginta annorum, qui, ex triennio, de obice in ventriculo, digeſtionem impediente, conqueſtus erat, poſteaque omnia, tam alimenta quam potulenta, rurſus, una cum ſaburra viſcida, porracea, griſea, bruna, nigricante, euomuerat, die viceſimo februar. 1754 a medico aqua tepida ad vomitum uſque bibenda ſuadetur, optimoque cum ſucceſſu per aliquot dies ab eodem uſurpatur.

uſurpatur. Hoc remedii vero genere poſtea neglecto inter narcoticorum uſum, per duodecim dies continuatum, tandem marcore conſumtus obiit. Sectione igitur inſtituta hepar minus firmum, pallidiuſculum, pancreas ſcirrhoſum, et lien eximie paruus deprehenſus fuit. Ventriculi vero membrana villoſa verſus orificii inferioris infundibulum, quatuor digitorum transuerſorum longitudine, ad modum craſſa, in pluribus huius circumferentiae punctis, eminentias tuberculatas, materiebus viſcidis craſſis et tenacibus obductas, formabat, quae, ſuperficiebus ſuis ſe inuicem tangentes, orificium pylori ita claudebant, ut ſpecillum vix tranſitum inueniret *. Sequitur p. 438.

6) Cl.

* Nos in phthiſico 54 annorum, cuius umbilicus, ſex menſes ante eius obitum, in tumorem, volae manus circumferentia, durum dolentem ſublatus, poſteaque ſponte apertus, pus cum alimentis potulentisque, per aliquot ſeptimanas uſque ad eius d. 12 ſept. 1750 inſecutam mortem effuderat, ſimilem fere ſtatum inueniſſe recordamur. Pulmones enim undiquaque pleurae accretos, ſcirrhoſos et pure ſcatentes, pancreas in praegrandem ſcirrhoſum tumorem expanſum, et hepar ſuperius pallide liuidum, inferius vero atro viride inueniebamus. Illa vero hepatis extremitas, quae alias in ſiniſtro hypochondrio recondi ſolet, et ventriculi pylorus, verſus umbilicum protenſi, tam inter ſe ad angulum acutum, quam cum peritonaeo circa umbilicum concreti erant. Vlceris apertura per umbilicum recta in ipſum ventriculum hiabat. Huius vero parietes, in extremitate dextra a pyloro ad quatuor digitorum transuerſorum longitudinem circum circa pollicem, et quod excurrit, craſſi, conſiſtentiae et duritiei adipoſo-cartilagineae, in ſuperficie interna undiquaque eminentiis planis rotundis, pollicem fere amplis, duas ſiue tres lineas craſſis, duris, ſuperius concauis, inferius conuexis, atque parua media baſi, ceu pedunculo quodam adhaerentibus, obſiti conſpiciebantur.

p.439. 6) *Cl.* H. M. MISSAE descriptio singularis crustae lacteae, cuius curationem in sequentibus tradere promisit.

p.446. 7) *Quaestiones propositae:* 1) An venae sectio post sudorem criticum febrim tollentem conducat? affirmando soluitur in casu plenitudinis. 2) Quando puerpera purgari debeat? respondetur, ob inflammationis metum ante diem decimum quartum vel vicesimum primum nunquam et 3) causam subito accedentis subitoque cessantis suppressionis vocis, in neruis recurrentibus quaerendam esse adseritur.

In Articulo II. vero

p.447. 1) *Fractura cranii absque trepanatione sanata,*

p.452. 2) *Hydatides ouarii sinistri ex refrigerio et febre post puerperium ortae, hydropem mentientes,* et

p.455. 3) *Cl.* H. K. O. *cogitata de venae sectione* proponuntur, in quibus ostendere conatur, venae sectionem, nec adeo crebro, nec in omnibus morbis, sed urgente tantum symptomate quodam grauiori, adhibendam, et antea tamen probe perpendendum esse, annon huic euacuationi alia, v. g. alui purgatio, et interdum longe felicius securiusque substitui possit, id quod variis exemplis illustrat, et sanguini, ceu vitae principio et criseos auctori, parcendum esse statuit.

p.460. 4) *Epistola de conformatione quadam singulari,* in qua monstrum humanum ad umbilicum usque bicorporeum, ab umbilico vero ad pedes unicum tantum hominem repraesentans, d. vicesimo septimo dec. 1722 natum, et d. quarto febr. 1723. mortuum, quoad habitum externum describitur.

p.466. 5) *Epistola responsoria Cl.* L. H. S. *ad animaduersiones Cl.* MAVPILLIER, *Cl.* LE CAT *promtitudinem in calculo secando vindicans.*

In Tomi II. mensis ianuarii 1755. *Articulo I.* deprehendimus

1) Cl.

1) Cl. MISSAE, *continuationem obſeruationis de vitio ſingulari conformationis*, in qua ultima fata iſtius puellae, cuius menſ. ſept. et octobr. Tom. I. mentio facta fuit, fuſius deſcribuntur. p. 5.

2) *Cl.* CHEVALIER, *medici regii epiſtolam de arthritide ad auctorem huius diarii die undecimo dec.* 1754. *exaratam*, in qua, decoctum florum Sambuci cum lacte, calidum, tam partibus affectis affuſum, quam easdem in illud immergendo, ut et, napos minores nigricantes raſpatos cataplasmatis forma applicatos, arthritidem intra paucas horas, quin imo intra quindecim minuta penitus curaſſe aſſeuerat, aliaque ſpecifica contra aſthma, diarrhoeas dyſenteriasque commendat. p. 20.

3) *Epiſtolam Cl.* MORAND *ad Cl.* NAVIER *de morbo feminae Supiot dictae, Pariſ. die viceſimo quinto octobr.* 1753. *exaratam.* p. 24.

In *Articulo II.* occurrit

1) *Luxatio incompleta maxillae, cuius reductio impedimenta admodum notabilia obtulit, die quarto iulii* 1754. *Cl.* LE CAT *Academiae Rothomagenſi praelecta.* Os viri, poſt magnam oſcitationem, die duodecimo iul. 1753. apertum manens, omnibus a variis et ab ipſo Cl. LE CAT fere fruſtra adhibitis, tandem ab eodem die viceſimo ſeptimo iulii 1753. ſolis pollicibus ſuis linteo munitis reponitur. p. 28.

2) Cl. MARIGVES *Chirurgi obſeruatio herniae ſingularis aliorumque conformationis vitiorum in uno eodemque ſubiecto.* In regione epigaſtrica inferiore infantis, iuſto tempore die decimo tertio aug. 1754. poſt partum admodum laborioſum, mortui tamen editi, ſaccus, quatuordecim pollicum circumferentiae, rotundus, a peritonaeo et epidermide formatus, ex umbilico pediculo quodam pendulus, haerebat, in quo Cl. Auctor, epiploon, hepar, lienem, ventriculum, pancreas, magnam meſenterii portionem, p. 31.

nem, omniaque fere inteſtina, in abdomine vero, nil niſi renes, cum capſula atrabiliaria ſiniſtra, dextra fere annihilata, veſicam, et vaſa ſanguifera maiora, meſenterii partem, nec non coli portionem; diaphragma autem verſus abdomen conuexum, inuenit. In pectore, cor admodum magnum, oeſophagum vero, a bifurcatione tracheae, intra duas mediaſtini laminas, verſus ſternum et cartilaginem xiphoideam procedentem, et per umbilicum in ventriculum intrantem vidit. Labium ſuperius leporinum, inſimul fiſſuram oſſis maxillaris ſuperioris, diuiſionem palati duri molliſque una cum duabus uuulis conſpectui exhibuit. Caput ſanguinem extrauaſatum continuit, et in manu dextra radium cubitumque longe a ſe inuicem diſtantes, primumque ordinem oſſium carpi in hac diſtantia locatum atque per fortia ligamenta firmatum inuenit. Quae omnia et ſingula curioſius examinauit atque deſcripſit.

p. 43. 3) *Epiſtola Cl.* BONAMI *Chirurgi ad Cl.* CAMBON, *de duabus lithotomiis cum lithotomo occulto peractis*, quae aegrorum hiſtorias ante inſtitutam operationem, exemtoque calculos deſcribit, et

p. 46. 4) *Reſponſum Cl.* CAMBON, ea, quae iisdem, operatione peracta, uſque ad ſanationem acciderunt, continet.

Articulus III. exhibet

p. 51. 1) *Cl.* P. DE STE C - - *epiſtolam primam, de natura ſulphuris, Pariſ. die decimo decembris* 1754. *exaratam*, in qua ſulphur commune ad ſalium acidorum claſſem refert, *illudque, acidum vitriolicum, per unionem abundantis phlogiſti, concretum*, definit, cuius indiſſolubilitas in aqua mere dependeat ab abundantia phlogiſti, quod itidem impediat, quo minus ſyrupum violarum rubro colore tingere poſſit. Per combuſtionem ſulphuris enim non acidum vitriolicum *purum*, ſed acidum volatile produci, quod de natura materiei

materiei pinguis participet, propriosque characteres obtineat, delendo scil. florum colores, dealbando lintea sericea, impediendo fermentationem, et coagulando sanguinem longe minus, quam reliqua acida cet. Hoc acidum quoque alcali fixo unitum, non verum tartarum vitriolatum, sed sal producere, quod acidum vitriolicum *purum* rursus destruat. Acidum enim vitriolicum ex sulphure extractum, deterius redditum, et, si hoc verbo uti liceat, quasi degradatum, deprehendi, ita, ut illud, acida mineralia inferioris ordinis, facile expellere possint, quod itidem, de quolibet acido vitriolico, valere asserit, si phlogisto ita saturetur, ut ad statum sulphuris propius accedat. Quodsi vero hoc acidum volatile sulphureum, a materie pingui, liberetur, tunc statim efficaciam suam prae reliquis acidis recuperare. Acidum sulphureum autem sub forma sulphuris adhuc acidum esse, ex *hepate sulphuris* patere arbitratur, quod, verum sal neutrum, et hinc quoque potius *sulphur neutralisatum*, seu *sal neutrum sulphureum*, appellandum esse, asserit. Cum vero acidum sulphureum, ceu pingui abundans, debilissimum sit, hinc quoque ex hepate sulphuris, seu sale neutro sulphureo, addito aceto, succo limonum, acetosae cet. facillime expelli et praecipitari posse. Et eo ipso momento, quo sal sulphuris neutrum liquidum, cum alio quodam liquido sale neutro, ammoniacali, terreo, metallico, confundatur, v. g. si solutio vitrioli martialis, venerei, zinci, cupri, ferri mediante nitro etc. cum hepate sulphuris liquido misceatur, tunc acidum dissolutionis metallicae statim basin salinam sulphuris arrepturum, et sulphur una cum basi metallica se praecipitaturum esse perhibet. Quodsi vero sale ammoniaco quocunque, ad decomponendum sal neutrum sulphureum, utamur, ex dupla hac decompositione duo noua oriri salia neutra, quorum alterum, ex alcali fixo hepatis sulphuris cum acido salis ammoniaci unitum, fixum;

alterum vero nouum ſal ammoniacale, ex ſulphure in acida qualitate alcali volatili unitum, verum ſal ammoniacale volatile ſit; et quidem eo magis volatile, quia ex duabus ſubſtantiis ſeparatim volatilibus compoſitum deprehendatur. Quod vires autem acidi ſulphuris non in alcali fixum et volatile ſolum, ſed et in calces, terras abſorbentes, et metalla exſerantur, ex eo patere arbitratur, quod calx cum ſulphure itidem hepar ſulphuris formet, et quod ſulphur in puluere, cum limatura martis et aqua, ferrum penetret, et efferueſcentiam, licet lentam, producat. Cinnabarim quoque, tam naturalem, quam artificialem, verum ſal neutrum ſulphureum volatile eſſe, quod per alcalia fixa, abſorbentia terrea, ferrum, cuprum, plumbum, regulum antimonii, argentumque ipſum decomponi poſſit, ita, ut cum omnibus hiſce ſubſtantiis noua ſalia neutra formentur. Sic quoque antimonium crudum verum ſal neutrum ſulphureum metallicum eſſe, et auripigmenta ad hanc quoque claſſem pertinere oſtendit; et in facultate ſulphuris acida, ſe unam, ex principibus naturae machinis, ad mineraliſationem aptis, perſpicere autumat.

In menſis februarii 1755. *Articulo I.*

p. 67. 1) *Quaeſtio die viceſimo quarto* 1754. *propoſita: An virus variolarum intra corpus inoculatione debeat intrudi?* affirmando reſoluitur.

p. 84. 2) *Epiſtola Cl.* MOVCET *ad Cl.* P., *de diuerſis morbis ſingularibus, in noſocomio ſani St. Maclouii* (*S. Malo*) *tractatis, die viceſimo quinto dec.* 1754 *exarata.* Virgo viginti duorum annorum robuſta, caſum ante aliquot annos perpeſſa, menſe aprili 1754 in noſocomium recepta, nil niſi vehementem capitis dolorem ſine febre conqueritur, et, hoc tandem liberata, dimittitur. Poſt aliquot vero dies, onus capiti impoſitum ferens, retro in terram procidit, et, poſt

tres

tres ſeptimanas, rurſus in noſocomium recepta, continuo, de horrendo capitis dolore, querebatur, cui lipothymiae et vomitus accedebant. Tumor fabae magnitudinis, durus, rotundus, quem in parte capitis poſteriore, ſuperiore, et laterali ſiniſtra, gerebat, ad pugni magnitudinem, absque ullo alio, quam ante dicto capitis dolore, increſcebat, et menſe poſt aegra ſenſim, absque ulla ſenſibili oculorum mutatione, viſu priuabatur. Poſt tres ſeptimanas brachium atque pes, dextri lateris, paralytici fiebant, quam paralyſin plenaria urinae incontinentia, ſomnolentia, et hanc denique, die nono nouembris mors excepit. Tumor capitis apertus maſſam carneam, albicantem, duram, ſcirrhoſam, manifeſtauit, et os parietale ſiniſtrum prorſus eroſum, totoque illo, quod tumor tegebat, ſpatio, deſtructum, id, quod foramen $2\frac{3}{4}$ pollicum longum, et duorum pollicum latum, effecit, in cuius circumferentia, externa oſſis lamina, ſemipollicem latius quam interna, eroſa conſpiciebatur. Circa magnum tumorem plura aderant parua tubercula, ſub quibus externa parietalis lamina corroſa, interna vero, carie exeſa, et pluribus foraminibus perforata, erat. Pars oſſis, hoc vacuum replens, durae matri, hoc loco itidem ſcirrhoſae, adhaerebat, ſub qua ſuperficies ſubſtantiae corticalis cerebri calloſa inueniebatur. Nulla vero virus venerei, ſcrophuloſi, ſcorbutici, vel cancroſi ſuſpicio, vel ſignum, detegi potuit.

Secundum et tertium caſum, ne nimis fuſi ſimus, praeterire cogimur.

3) *Cl.* LE CAT *obſeruatio, de morſu anatis irati venenato et mortifero. Matthias Gron*, ruſticus nouemdecim annorum, optime valens, die undecimo martii 1752, ex ioco anatem marem, oeſtro veneree percitum, a femella, ſeparat. Hic vero iratus, roſtro ſuo Matthiae labium ſuperius, ſiniſtra parte, prehendit, illudque vehementer vellicat. Labium hinc p. 90.

 inflatum,

inflatum, durum, dolere incipit, et, poſt aliquot dies, tumor faciem, collum, brachiumque prehendit, febreque accedente oculi intumeſcunt, labiumque ulceribus, et eſcharis gangraenoſis, obſeritur. Vena in brachio pertuſa, nihil amplius ſuſcipitur, hinc ſymptomatibus, a collo ad pectus, migrantibus, ſpeciemque peripneumoniae repraeſentantibus, aeger die ſeptimo aprilis moritur.

p. 92. 4) *Excerptum ex epiſtola Cl. noſtri quondam,* GÜNZII *die decimo tertio iunii* 1753, *de puella praeternaturaliter obeſa* *. In diſſectione praeter alia ventriculum, prope orificium ſuperius, diaphragmati adhaerentem, atque hanc adhaerentem partem, quoad dimidium putrefactam ruptamque inuenit, quamquam puella antea de nullo dolore conqueſta fuit.

p. 93. 5) *Relatio de cancro extraordinario Cl.* IOH. KAI, *a filio communicata, ex philoſoph. Tranſact. deſumta.*

p. 94. 6) *Epiſtola Cl.* MISSA, *ad auctorem huius diarii, de dormitrice extraordinaria, die decimo decembr.* 1754. *exarata.* Femina quinquaginta annorum, temperamenti melancholici, quotidie, oriente ſole, in lethargum incidit, qui, cum ſole adſcendente, increuit, cum deſcendente ſe imminuit, et cum ingruente nocte prorſus ceſſauit. Rigida fuit et conuulſa, conuulſionibus, circa reſurrectionis tempus, auctis, omnique ſenſu abolito. Noctes peruigilauit et emarcuit, quid vero tandem euenerit, neſcit.

p. 99. 7) Cl. H. M. MISSA, *diſſertatio, de tumore ſcirrhoſo, inter peritonaeum et partem ſuperiorem muſculi recti et transuerſi, ſito*, cum ſubſequente.

p. 105. 8) *Conſultatione*, ad ſubleuandum aegrum, qui vero inter curationem, peruerſe adhibitam, mortuus eſt.

9) Cl. HATTE, *obſeruatio de ſatyriaſi.* Priapiſmum, ſatyriaſin, et tabem dorſalem, a ſe inuicem ita diſtinguit,

* Deſcripta in Promtuar. Hamburg. Tom. XI. P. IV. no. 3. p. 356. et Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 434.

guit, ut erectionem penis continuam, absque seminis eiaculatione, priapismo, nimis frequens vero concumbendi desiderium cum seminis eiaculatione, tandem lethifera, satyriasi, proprium, tabem dorsalem vero ab illa, quam Auctores exhibuerunt, descriptione, diuersam esse iudicet, illudque exemplo viri illustret, qui anno aetatis vicesimo septimo prima, anno aetatis trigesimo primo secunda, et anno aetatis quadragesimo tertia vice die vicesimo dec. 1754 in satyriasin et tabem dorsalem inciderit.

Articulus II. continet

1) Cl. LE CAT *exstirpationem amygdalarum scirrhosarum.* Duas methodos proponit, quarum prima instrumento secante, altera ligatura, perficitur. Primam vel cultro ancipiti recto, vel cultro curuo, in extremitate, globulo munito, vel curua forcipe, quam etiam delineare curauit, cuius ambae extremitates globulo munitae sunt, institui posse, docet, ambasque methodos inter se comparat, atque, experientia edoctus, declarat, exstirpationem cum instrumentis secantibus, longe tutiorem, breuiorem, atque iucundiorem esse, quam illam, quae ligatura perficitur. p. 115.

2) *Cl. D. Chirurgi obseruatio bubonoceles.* Vir sexaginta sex annorum, aliquot dies post operationem institutam, gangraena moritur. p. 127.

3) *Effectus scorbuti, a chirurgo quodam, in femina quinquaginta annorum, anno 1754 mortua, obseruati.* Inter alia dira huius morbi symptomata, aegra quoque, in lecto se vertens, humerum dextrum diffregit, quem sectione, post mortem, instituta, duos transuersos digitos tam supra, quam infra, fracturam, carie ita exesum inuenit, ut canalis osseus vix tertiam naturalis crassitiei suae partem aequaret, laminaeque diffractae adeo attenuate et transparentes conspicerentur, ut digitorum pressioni facile cederent. p. 130.

rent. Medulla quoque nil niſi ſaniem coenoſam, fuſcam, et quoad tactum, ab immixtis filamentis oſſeis deſtructae ſubſtantiae reticularis internae, aſperam exhibuit.

p. 135. 4) *Excerptum ex epiſtola* Cl. SCHLOSSERI, *ad* Cl. MISSA, *Londini die viceſimo octauo nouembr.* 1754. *exarata, de ſingularibus quibusdam agarici effectibus, ex* Cl. WARNERI *editis obſeruationibus, depromtis* *.

In Articulo III.

p. 139. *Excerptum duarum litterarum, Londini die viceſimo ſexto decembr.* 1754 *ad Cl.* MISSA *ſcriptorum, exhibetur.* 1) Londini *vehementiſſimus capitis dolor* intra duo vel tria minuta, aliquot drachmis aetheris Frobenii, ſeu liquoris mineralis anodyni, manui infuſis,
p. 140. frontique adplicatis, curatus eſſe dicitur, et 2) ibidem in noſocomio militari *leproſus*, intra paruum temporis ſpatium, ſcrupulo uno amalgamatis ſtanni, quotidie exhibito, curatus eſſe perhibetur. Hoc remedium in principio euacuationes admodum notabiles excitauit, quae ſenſim vero ſeſe imminuerunt.

In menſis martii 1755 *Articulo I.* occurrit

p. 147. 1) *Epiſtola* Cl. MISSA, *ad editorem huius diarii, de noxis aeneorum vaſorum culinarium* in qua duae rurſus nuper factae obſeruationes et funeſtae admodum proponuntur.

p. 150. 2) *Quaeſtio medica die viceſimo febr.* 1749. *ſub praeſidio* Cl. FALCONET *a* Cl. FRANCISCO THIERY *Pariſiis propoſita; An ab omni re cibaria vaſa aenea prorſus ableganda?* affirmando diſcutitur.

p. 161. 3) *Eadem theſis in gallicum ſermonem verſa.*

4) *Epi-*

* Cl. WARNERI librum in Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV. p. 625. et hos agarici effectus ibid. p. 630. 631. iam recenſuimus.

4) *Epiſtola Cl. M*** medici germani ad Cl.* BOVVART, *Hafniae die quarto ianuar.* 1755, *de ſcorbuto, exarata*, in qua oſtendere conatur, terminum *Scorb* ſeu *Scorbut* in lingua Sclauonica morbum in genere denotare, et hinc, in Daniae regno, nihil frequentius audiri, quam ſcorbuti vocem, et nihil tamen rarius offendi, quam ipſum ſcorbuti morbum. De reliquo quam plurima ſymptomata, ab aliis ſcorbuto attributa, ſecundum *Stahlii* principia, *ex apparatu ad haemorrhagias* etc. explicari poſſe, autumat. p. 175.

5) *Epiſtola* Cl. DE HERMONT, *die decimo quinto ianuar.* 1755. *ad* Cl. LE CAT *de theoria ſua morborum ſcripta, cum huius reſponſo, in notis, Rothomagi die viceſimo nono ianuar.* 1755., *additio.* In qua Cl. DE HERMONT, contra Cl. LE CAT theoriam *, probare annitur, 1) morbos, licet in humoribus noſtris reſideant, ideo tamen topicos morbos non excludere, 2) deprauationem ſpirituum animalium, neceſſario, cum deprauatione humorum noſtrorum, connexam eſſe, et 3) deprauationem ſolam ſpirituum animalium certa quaedam morborum ſymptomata producere non poſſe; quae omnia Cl. LE CAT, in notis additis, partim negat, partim alio modo explicare tentat, et ſic theoriam ſuam adhuc ſaluam, et ab ipſis Cl. DE HERMONT opinionibus, non multum abludentem eſſe, ſibi perſuadet. p. 181.

6) Cl. LE CAT *obſeruatio, de delirio cum et ſine febre perſiſtente, cuius ſedem, in viſceribus infimi ventris, ſe detexiſſe credit.* In figuli, hac ratione per aliquot menſes delirantis, cadauere die viceſimo ſexto aprilis 1744 inteſtinum colon, exterius interiusque, maculis violaceis, nigris, obſitum, inuenit. p. 192.

7) *Relatio noxarum, quas carbunculi ſpecies, in ſiniſtro faciei latere, produxit, die decimo quinto febr.* 1755. Ruſtica, ſatis robuſta, ante viginti annos filiam p. 193.

* vid. Tom. I. huius collection. period. menſ. octobr. Articul. I. no. 3.

filiam ſeptem annorum, poſt variolas, abſceſſu oculi laborantem, in ſinu ſuo, fere continuo, fouens, maximam puris, ex infantis abſceſſu exſilientis, partem, oculo ſuo, excipit, qui, hoc facto, ſtatim inflammatur, et protuberare incipit. Oritur maſſa carnea figurae conicae, ſex pollicum longitudinis, palpebras utrasque diſtendens, ſeroſitatem rubicundam exſtillans, vehementiſſimeque dolens. Ante quindecim menſes, cum oculi globus prorſus corruptus, palpebraeque elongatae, cartilaginoſae, oſſeaeque, factae eſſent, totus oculus, una cum palpebris, exſtirpatur. Agarico vero haemorrhagiam non coercente, vitriolum veneris, alumen cet. imponuntur, et his quoque nihil efficientibus, lapis cauſticus ad ſiſtendam adhibetur haemorrhagiam. Humor vero corroſiuus, ſuper genam decurrens, illam adeo deſtruxit, ut, a ſiniſtra palpebra ſuperiore, uſque ad collum auremque, tota ſiniſtra faciei pars, tuberculis paruis, glandularum et fungorum forma, tegeretur. Vulnus, quod antea plus, quam quatuor pollicum protuberantiam ſiſtebat, nunc trium pedum circumferentiam aequans, os prorſus in dextrum latus detorſit, id, quod, cum dextra faciei pars ſumme emarcuerit, horrendum adſpectum praebet. Gingiuae corroſae, et dentes vacillantes carie exeſi, orbita vero, os unguis, planum, et ſphenoides, nuda, nigerrimaque conſpiciuntur. Haec femina per plures ſeptimanas conſtipata, aluum tanto niſu deponit, ut deiectiones ſanguinolentae inſequantur. Ceterum ſana et ſatis adhuc robuſta, pulſus vero durus, debilis, et febrilis eſt. Nihil acerbiſſimos dolores moderare potuit, hinc Auctor omnes rogat, velint ipſi remedia indicare, quae horrendum hunc morbum curare, vel ſaltem coerçere, atque dolores demulcere, valeant.

Articulus

Articulus II. continet

1) Cl. RIGAVDEAVX *Chirurgi epiſtolam de inſtru-* p. 197.
mento, tranſitum capitis infantilis, in partu laborioſo, facilitante, Duaci die viceſimo octauo ianuar. 1755. In qua Cl. Auctor aſſeuerat ſe, die viceſimo ſexto aprilis 1738, urgente quodam caſu neceſſitatis, ex inſtrumento, pharmacopoeis *ſpatula* dicto, leui curuatura, ut quadrantis circuli arcum repraeſentaret, inſtrumentum, quod etiam delineare curauit, atque deſcripſit, Roonhuyſiano ſimillimum, excogitaſſe, quocum plus, quam quadraginta partus laborioſos, breui tempore, feliciter terminauerit, illudque omnibus, absque ullo myſterio oſtenderit. Monet vero, hoc inſtrumentum, eodem modo, uti Roonhuyſianum, nihil efficere, niſi coccyx digitis fortiter reprimatur.

2) Cl. MISSA *epiſtolam reſponſoriam ad* Cl. SCHLOS- p. 205.
SER *Pariſiis die decimo octauo febr.* 1755. *datam.* In qua 1) ex aliquot theſibus, anno 1752 in ſcholis facultatis medicae pariſinae, propoſitis, probare annititur, facultatem iſtam agaricum nunquam pro remedio nouo agnouiſſe, eiusque utilitatem atque praeſtantiam, qua ligaturam vaſorum antecellit, nunquam magis, quam eo in caſu, conſpicuam eſſe, ubi arteria ſecundum longitudinem aperta, et praecipue ſi pars affecta oedematoſa ſit, vel ſi arteria ſublingualis comprimi debeat. Promtos vero agarici effectus, a Cl. WARNERO in Anglia obſeruatos, Pariſiis ideo neminem miratum eſſe, quia Cl. GRANDCLAS iam antea, diuerſis animalium arteriis, ſtudio apertis, agaricum, vel quoslibet fere fungos, applicuerit, et, bihorio poſt, earundem arteriarum diſſectarum orificia, materia viſcoſa, qua particulae fungorum impraegnatae erant, ita exacte clauſa inuenerit, ut vix aperturam cognoſcere poſſet. 2) Agarici vero virtutem, non in viſcoſitate, ſed in incredibili flexibilitate ſua, qua orificium vaſis arcte amplectitur, eius parietes molliter et exacte comprimit, aperturam

bene

bene claudit, et ſeroſitatem ſanguinis extrauaſati ſugit, ponendam eſſe, perhibet. Fungos quoque, ex duplici ſubſtantia compoſitos, hos effectus, naturae eo conuenientius, producere, aſſerit, et hinc primam fungi ſubſtantiam, cutem ſcilicet membranoſam, alteram ſpongioſam prorſus inuoluentem in ſuperficie vulneri applicanda tantum auferendam, ſuperficie vero vulneri oppoſita, relinquendam eſſe arbitratur. Et ſi quis, ante topici applicationem, arteriae binos margines, ad ſe inuicem, probe appropinquare ſtudeat, curationem quoque longe faciliorem, promtiorem, ſecurioremque, et conatuum naturae potius, quam remedii effectum, fore, cenſet. Arteriam enim, in hoc caſu, ſeſe hermetice quaſi claudere, ſine corporis intermedii auxilio, et thrombos, curationem adeo retardantes, atque ſaepius incertam reddentes, in orificiis vaſorum, poſt ſtypticorum applicationem, non inueniri, niſi exacta eorundem compreſſio neglecta ſit. Et 3) denique farraginem remediorum proponit, quae, in defectu agarici, eius fortaſſe locum ſupplere poſſent v. g. crepitum lupi, quem, in noſocomio Rothomagenſi,
p. 216. tam ad haemorrhagias amputatorum membrorum, quam ad alias quascunque ſiſtendas, fere unice adhiberi refert, telas aranearum, praecipue albas, farina tectas, ex piſtorum officinis, vel molendinis deſumtas, pubem cygnorum, anſerum, anatumque, ſub grandioribus plumis latentem, aliaque villoſa plurima, ex regno animali deprompta, nec non muſcos, lichenes, flores, et fructus quarumdam plantarum, lintea alba, mollia, chartam bibulam, cet.

Menſis aprilis 1755 *Articulus I.* exhibet
p. 227. 1) *Obſeruationem* Cl. HATTE *infantis tripedis.* Tertius, quem triennis hicce, delineatus quoque, infans, inutiliter ſecum portare cogebatur, pes, reliquis duobus paullo tenuior breuiorque, paullulum

infra

infra renes, ex media coxendice dextra, originem trahens, atque supra pedem ordinarium dextrum dependens, hunc infra suram, paruulo suo pede extremo, dum infans progrediebatur, perpetuo allidebat. Inter alia vero supernumerario huic pedi, quem infans libere extendere, contrahereque poterat, singularia visa, patella quoque deficiebat, et pedis extremi, octo digitis instructi, medii duo, quoad magnitudinem, pollices repraesentare videbantur. Consuetudo plantae huius supernumerarii pedis insidendi, hunc forsitan adeo extenuauerat, omnes enim tres pedes statim post partum eiusdem longitudinis et crassitiei visi sunt.

2) Cl. PEFFAVLT DE LA TOVR *cogitata critica de dissertatione quadam* Cl. LE CAT *die primo febr.* 1755. Obiectiones continent contra Cl. LE CAT theoriam nouam morborum, cuius epitomen, Tomi I. huius collect. period. mensis octobris Articulo I. no. 3. insertam, in praecedentibus indicauimus, quas vero hic omnes recensere instituti nostri ratio vetat. p. 233.

3) Cl. CHABROL Chirurgi *obseruationem de concretione polyposa in capite infantili inuenta.* Puella bimula, post ossis coronalis, a casu ab alto, contusionem, ad sextum usque aetatis annum perpetuis capitis doloribus vexata, et die septimo sept. 1754. febre vehemente, vomitu, viriumque prostratione correpta, post triginta duas horas moritur. In huius sinu longitudinali superiori polypum tenuem, quinque pollices longum, inuenit Cl. Auctor. p. 241.

4) Cl. HATTE *obseruationem de nutricis cuiusdam fluxu menstruo, singulis quatuordecim diebus, redeunte.* Femina robusta triginta duorum annorum primipara, mense post, quo infantem lactare coeperat, fluxum menstruum experitur, singulis quatuordecim diebus, usque ad sextum mensem, quo infantem ablactauit, recurrentem. Postea vero iterum grauida facta, infantemque p. 243.

fantemque in lucem editum, quoad per lactis penuriam licuit, iam quatuor menſes lactans, nullum quidem menſtruum fluxum, eius vero loco pulſationes capitis, et viſus perturbationem tantam percepit, ut obiecta vix diſtincte videre poſſit.

p. 247. 5) *Relatio de viro ſupra modum obeſo. Eduard Bright* in Anglia die decimo nouembr. 1750 mortuus deſcribitur atque depingitur.

p. 251. 6) *Stupendus ambuſtionis extraordinariae, Lugduni, a* Cl. MORAND, *obſeruatae, effectus.* Vir quidam, durante aeſtu maximo menſis iulii 1749 latrinam quandam expurgaturus, accenſamque candelam cloacae margini adponens, lapidem, hanc tegentem, tollit. Erumpens vero nubis quaedam ſpecies admodum craſſa, candelaeque occurrens ſubito flammam concipit, quae, manus faciemque foricarii viuide adurendo, per aera adſcendit, feneſtramque papyraceam in quarta domus contignatione accendit. Aeger vero, facie menſe octobris 1749 vix ad ſanitatem perducta, ſequente menſe nouembris retentione urinae, intumeſcentia et diarrhoea vehemente correptus, diem ſupremum obiit.

p. 253. 7) Cl. MISSA *epiſtola ad Editorem huius diarii de penis tumore extraordinario ſphacelato, die ſexto mart. 1755. exarata.* Annulus tanta mala produxit, quem ruſticus viginti annorum ideo membro ſuo virili uſque ad pubem induxerat, ut mutuum amaſiae ſuae amorem ſibi conciliaret. Annulo vero lima ſublato, ſanitati reſtitutus fuit.

p. 257. 8) *Epiſtola medici cuiusdam Italici ad Auctorem epiſtolae, quae ad* Cl. BOVVART *exarata, et collectionis huius periodicae menſi martio 1755. inſerta eſt.* In qua Cl. Auctor Cl. VALKARENGHI et DVRETI famam vindicare, STAHLII vero meritis, haud parum detrahere, et de reliquo oſtendere conatur, ſcorbuti ſymptomata ſaepius tecta, plurimisque morbis implicata eſſe.

Articu-

Articulus II. continet

1) *Epistolam, qua dissertatio de puerperio, in quo foetus in cauitate abdominis a* Cl. THIBAVLT *inuentus fuit, diiudicatur* *. Explicationem a Cl. THIBAVLT sibi expetit, quo modo foetus, viginti libris grauior, vaginam intrare, et tunc demum, hac disrupta, una cum secundinis suis, in abdominis cauitatem peruenire possit; id, quod ipsi eo minus probabile videtur, quo magis causam, a Cl. THIBAVLT adductam, debilitatum scilicet vaginae nexum, per eum, qui septimum puerperium insecutus est, abscessum, gratis assumtum, atque sedem illius abscessus non in pelui minore, sed in vagina potius cellulari musculi psoas fuisse, ex variis aliis eiusmodi casibus euincere conatur. p. 265.

2) *Epistolam* Cl. LECAT, *ad* Cl. MARRA *de usu agarici, die decimo sexto martii 1753. Parisiis exaratam.* Cum Cl. MISSA in epistola responsoria ad Cl. SCHLOSSER asseruisset, *in nosocomio Rothomagensi crepitum lupi tam ad haemorrhagias amputatorum membrorum, quam ad alias quascunque fistulas fere unice adhiberi*, Cl. LECAT concedit quidem, se hoc remedio, quod agarico tanti aestimato longe praeferret, saepius cum successu satis felici usum esse, quia vero haemorrhagias maiorum membrorum non, nisi summa compressione adiutum, sistere possit, quae dolores in compressione cum ipsa ligatura excitare solet, inauditos excitet, se ideo quoque hoc remedium ex praxi sua prorsus relegasse, et ligaturam in amputationibus maiorum membrorum, ceu longe meliorem securioremque, omnibus fungis atque agaricis anteferre. p. 269.

3) *Obseruatio de vasis urinalibus et subligaculis eburneis* Cl. FAVVEL. Difficultati, qua machinae istae coria- p. 271.

* Inserta legitur Tomo huius collectionis I. mens. nouembr. Articulo II. no. 3. pag. 368.

coriaceae, urinam inuoluntarie effluentem excipientes, euacuari potuerunt, partim annexo in basi sua epistomio, partim vero alia adhuc machina, crumenae inserenda, atque hinc portatili dicenda, mederi
p. 272. studuit; Cl. huius periodicae collectionis Editor vero, in nota addita, epistomii loco aliud inuentum proponit, quod fortassis paullo commodius foret. Perizomata quoque eburnea contra hernias, aliaeque eiusmodi machinae, contra prolapsum uteri, ani etc. commendantur.

p. 276. 4) *Epitome theseos de subligaculis a* Cl. MISSA *die nono maii* 1754 *propositae.* In qua praeter alia, sex quoque notas subligaculorum species inuenisse atque descripsisse dicitur, scil. 1) contra hernias regionis epigastricae, 2) pubis, 3) contra herniam cruralem, 4) descensum uteri, 5) vaginae uterinae et 6) ani, de quibus vero ob descriptionum defectum nihil ad lectores nostros referre possumus.

In Articulo III. occurrit.

p. 283. *Observatio medico-chymico-oeconomica de diuersis stanni usibus a* Cl. MISSA. Ob arsenicales, purissimo etiam stanno adhaerentes, plumbeasque ipsi admixtas particulas, eius non solum internum externumque usum medicum interdicit, sed stannea quoque vasa ab omni usu oeconomico, nec non pharmaceutico-chymico prorsus ableganda esse iubet.

In mensis maii 1755 *Articulo I. continetur*

p. 307. 1) *Relatio de morbo et sectione cadaueris Regnard, a* Cl. SERON *Consiliar. regio etc. die tertio martii* 1755. *instituta.* In huius nephritici 75 annorum infimo ventre omnia viscera inflammata sphacelataque, renem sinistrum suppuratione corruptum, vesicam urinariam vero urina et octoginta sex calculis paruis absque distensione repletam inuenit, quorum aliquot tamen nucis magnitudinem adaequarunt.

2) *Quid*

2) *Quid agendum ſit, antea quam determinari poſſit, utrum variolarum inſitio in Galliae prouinciis introducenda ſit nec ne? ad* Cl. M*** *Pariſ. die viceſimo ſept.* 1754. p. 314.

3) *Sacci ex umbilico dependentis omniaque infimi ventris viſcera continentis, menſe ianuario Tom. II. huius collect. period. pag.* 31. *deſcripti, diiudicatio, auctore L. M. C. P.* Poſteaquam primo contra Cl. MARIGVES deſcriptionis exactitudinem quaedam modeſte monuit; oſtendere conatur, hunc ſaccum hernioſum nequaquam exomphalon, nec vitium primae conformationis, ſed herniam ventralem, fuiſſe, cuius cauſam in compreſſione quocunque modo facta, ſubſecutaque forſitan plenaria obliteratione fibrarum muſcularium anteriorum, et in maiore incremento, maioreque acquiſito robore fibrarum muſcularium infimi ventris lateralium ponendam eſſe cenſet. Hac enim ratione fieri non potuiſſe, quin fortiores laterales, viſcera abdominis ſenſim, per anteriores admodum debilitatas, vel prorſus obliteratas, expulerint, atque poſtea ſeſe rurſus ſenſim adeo accurtauerint, ut collum ſeu annuli ſpeciem repraeſentarent. Id, quod ſimili foetus exemplo, et duabus aliis notatu dignis exemplis, in duabus vetulis illuſtrat. p. 318.

4) *Continuatio relationis noxarum a carbunculi ſpecie in ſiniſtro faciei latere productarum in Tom. II. menſ. martii Artic. I. no. 7. exhibitae die viceſimo primo mart. exarata.* Omnibus in peius ruentibus, palpebrae quoque inflatae plus quam quatuor pollices a ſe inuicem diſtant, et ſuperior in duos lobos diuiſa deprehenditur. Carnes fungoſae, quibuscum orbitae fundus repleri videtur, circumcirca ad minimum attactum ſanguinem fundunt. p. 326.

5) *Obſeruatio de ptyaliſmo ſcorbutico.* p. 327.

6) Cl. DIANNYERE *obſeruatio de colica inteſtinali, ventoſa et periodica die quarto april.* 1755. Femina quinquaginta annorum menſe ianuar. 1753 doloribus p. 330.

infimi ventris, pilae luforiae ad inftar extenfi, vehementiffimis corripitur. Ex longo tempore aluum fere nunquam depofuerat. Variis autem clyfteribus fomentationibusque adplicatis incredibilis quantitas fecum aluinarum feceffit, quo facto venter fubfedit, aegraque prorfus reftituta vifa eft. Cum hoc fymptoma vero fingulis fex vel feptem diebus rediens, iidemque remediis toties remotum tandem poft fex vel feptem feptimanas ulterius obedire nefciens aegram iugularet, ex eius abdomine aperto odor foetidiffimus exhalauit, inteftinis aere nimium extenfis fphaceloque corruptis, in quorum interna facie, fub finem coli, et initium recti, tumor fungofus fphacelatusque, tres digitos longus, totam inteftini diametrum, fecumque aluinarum viam, obturans, inuentus fuit.

P. 337. 7) Cl. THIERI *defcriptio morbi mal de la Rofa dicti.* Morbus hicce, ex cruſta, ſicca, ſcabra, nigricante, fiſſuris interdiſtincta, multum dolente, odoremque foetidiſſimum ſpargente, facile cognoſci, et haec ulnas quidem, brachia, caput, abdomen etc. occupare poteſt, ab *Aſturiae* incolis vero, quibus endemius eſt, non ita adpellatur, niſi metacarpos aut metatarſos obſideat. Ordinarie verſus aequinoctium vernale, rarius aliis anni temporibus, cum ſimplici rubore aſpero, in veras ante dictas cruſtas poſtea degenerante, ingruit. Hae regulariter aeſtate exſiccantur, et tunc metacarpi, aut metatarſi, a cruſtris puſtulisue, prorſus liberi, eorum loco tantum ſtigmata rubicunda, ſplendentia, polita, pilis orbata, reliqua cute profundiora, cicatricibusque, poſt ambuſtionum curationem relictis, admodum ſimilia, exhibent, ex quo colore rubicundo morbus etiam procul dubio nomen, *mal de la Roſa*, obtinuit. Hae cicatrices de reliquo in iis, qui diu hoc morbo laborarunt, per totam vitam remanent, et quolibet vere nouis cruſtis obducuntur, quae ſingulis annis peio-

res

res euadunt. Non ſemper ambas manus, ſed interdum unicam manum unicumque pedem, interdum ambas manus unicumque pedem, interdum vero etiam utrosque pedes manusque occupant. Ad palmam vero manus plantamque pedis non extenduntur, ſed conſtanter dorſum occupantes, modo totum metacarpum metatarſumque, modo minorem tantum eorundem partem obtegunt. Quidam etiam alia cruſta coloris cineritio flaui partem anteriorem inferioremque colli occupante, ac utrinque ſeſe iuxta clauiculas, extremitatemque ſuperiorem ſterni extendente, taeniamque duos digitos latam formante infeſtantur. Haec raro poſteriorem colli partem occupat, ſed portionem mediam muſculi trapezii ſaepiſſime liberam relinquit. Eius modi adpendix vero eiusdem latitudinis ſupra ſternum uſque ad medium thoracem extenditur, ita, ut hic morbus haud incongrue monile ordinis cuiusdam repraeſentet, quo Aſturiae incola ita miſere adfectus facillime ab omnibus reliquis Hiſpanis diſtingui poteſt. Perpetuus quoque capitis, totiusque ſuperioris trunci partis, tantusque ſaepius tremor hunc morbum comitatur, ut aegri vix erecti ſtare valeant. Praeter ea oris quidam ardor dolens, veſiculaeque in labiis, linguaque ſordida illos infeſtant. Conqueruntur quoque de ſumma ventriculi totiusque corporis, praecipue vero coxarum debilitate, ut et de grauitate corporis omnem agilitatem tollente. Noctu ardorem urentem ſentiunt ſaepius ſomnum auferentem. Minimus frigoris calorisue gradus ipſis aeque moleſtus eſt. Melancholici triſtesque ſaepius absque ulla ratione plorant clamantque, rationis uſu alias non deſtituti. Quibusdam vero etiam leuia deliria, certa quaedam ſtupiditas, ſenſuum et praecipue guſtus tactusque deperditio, cruſtae, ulcera, eryſipelata in diuerſis partibus, febres irregulares, ſomnus inquietus, cutis prorſus decolarata, leuiorque elephantiaſeos gradus

 accedunt.

accedunt. Hic morbus saepissime per hydropem, tumores lymphaticos seu scrophulosos, et per marasmum terminatur. Versus solstitium aestiuum mania correpti solitaria loca quaerunt, quae mania, a *mal* scil. *de la Rosa* orta, reliquis grauior et magis lethifera esse solet. Cum *Asturiae* incolae quoque plerumque scorbuto, tumoribus scrophulosis, nephritide atroci, melancholiis, malis hystericis epilepticisque omnis generis, tandemque etiam lepra copiosissime adficiantur, huius morbi naturam in complicatione quadam leprae et scorbuti ponendam, atque hanc morborum farraginem nimiae istius regionis humiditati, aeri nebuloso, ventis non agitato, alimentisque nimis aquosis adscribendam esse arbitratur. Morbus vero *Mal de la Rosa* dictus incurabilis habetur; interim tamen femina plebeia in delirio quodam huius morbi melancholico, nimio butyrum vaccinum comedendi desiderio flagrans, omnia vendidisse, et hoc solo curata esse dicitur. Cl. THIERI quoque autumno 1753 feminam, decem vel duodecim, annos hoc morbo laborantem, et sanationis spe destitutam, duorum mensium spatio, aethiope minerali, antimonio crudo, croceoque martis, remediis quibusdam balsamicis et quibusdam purgantibus, immixtis, nec non regimine et ptisanis aptis a se restitutam esse asserit.

p. 346. 8) Cl. HATTE, *obseruationes de morbillis et febre miliari morbillosa.*

p. 356. 9) Cl. LE CAT *obseruatio de obstructione per congestionem in toto peritonaei ambitu suppurata, atque cum adhaesionibus et ulceribus intestinorum materias faeculentas per umbilicum transmittentium complicata.* Mense iunio 1752 haec in virgine decem annorum inuenit.

p. 358. *Articulus II. exhibet*

1) Cl. GAVLTIER *obseruationem de penis atque testiculorum strangulatione*, quos adolescens quindecim vel

vel ſedecim annorum die duodecimo octobr. 1753, ludendo annulo inſeruerat ferreo, ob inſecutum vero tumorem emphyſematicum retrahere non potuit, illos, Cl. Auctor, die decimo ſexto octobr. accerſitus, chalybe, retinaculis duobus, in tres partes, disrupta, immenſum in modum turgidos, nigros, liuidos, phlyctaenique obſeſſos, apta methodo intra quinque ſeptimanas feliciter reſtituit.

2) Cl. DESTREMAV *Chirurgi epiſtola ad* Cl. MISSA *de agarico, die ſecundo april. 1755. exarata.* Agaricum, cum Cl. LE CAT, in amputationibus maiorum membrorum, ligaturae longe poſtponendum eſſe cenſet, licet eius utilitatem in amputationibus humeri vel brachii, in aneuryſmate et vulneribus arteriarum circa carpum concedat. p. 361.

Articulus III. ſiſtit

1) *Excerptum epiſtolae a* Cl. DECKERS *ad* Cl. VANRVYVISC *die quarto april. 1755. exaratae.* Medicus Anglus ſocietati regiae Londinenſi diſſertationem exhibuiſſe dicitur, in qua oſtenderit, ſe tres hydropico-aſciticos repetitis tantum ſingulis diebus, et per horam continuatis, abdominis frictionibus, cum lana calefacta, feliciter curaſſe, atque frictiones, in eius modi caſibus, paracentheſi abdominis, longe praeferendas eſſe. p. 366.

2) Cl. MISSA *obſeruatio medico-pharmaceutica, de peruerſo teſtaceorum in morbis acutis infantum uſu.* Eiusdemque p. 368.

3) *Deſcriptio Conchae ſingularis et ad modum rarae.* Cuius imaginem quoque ligno inciſam exhibuit, eamque *Dolium Harpa dictum coſtarum, ſtriarum moleſtu inaequale, denſum, acuta baſis, corona ſimplex*, eſſe perhibet. p. 377.

In menſis iunii 1755. *Articulo I.* deprehendimus,

p. 387. 1 et 2) *Bigam epistolarum responsoriarum ad cogitata critica* Cl. PEYRAVLT DE LA TOVR *mens. aprili huius collectionis periodicae inserta a* Cl. LE CAT *Rothomagi die decimo nono et vicesimo secundo april.* 1755. *exaratam.*

p. 402. 3) *Epistolam Cl. M** ad* Cl. MISSA *de passione hysterica a vitio scorbutico orta, die secunda april.* 1755. Aegra, de qua hic agitur, a patre sexaginta quinque annorum, ulcere cacoethe per viginti annos laborante, progenita, per totam vitam variis morbis atque symptomatibus conflictata, omnem, a Cl. Auctore per quinque annos, adhibitam diligentiam, superauit ita, ut nondum ullo modo subleuari potuerit.

Articulus II. continet

p. 408. 1) *Epistolam* Cl. MORAND, *de instrumento Roonhuysiano.* Comparatione instrumenti a Cl. RIGAVDAVX mense martio huius collectionis periodicae Artic. II. p. 197. descripti, cum *Roonhuysiano* instituta, dataque huic posteriori praerogatiua, utraque eo in casu tantum utilia esse censet, ubi portio quaedam capitis infantilis v. g. facies vel posterior capitis pars in peluis cauitatem descendit, atque istic nimis coarctata vel quasi inclauata subsistit. Quodsi vero caput infantis recta descenderit, et reuera intra peluis ossa inclauatum, ob omni parte, exacte constringatur, tunc ambo quoque instrumenta inutiliter adhiberi, neutrumque caput amplecti vel orificium matricis dilatare posse, ostendit. Quo vero eo securius adplicari possit, instrumentum Roonhuysianum ex ebore confici curauit, id, quod, secundum eius sententiam, aeque et forsitan magis flexibile ac ferrum, semper longe magis expolitum, blandum, leue, lubricumque deprehenditur, ita, ut longe facilius dirigi possit, nec unquam inuolucris munimentisque opus habeat.

2) *Epi-*

2) *Epistolae* Cl. REMON DE VERMALE *de primis successibus extractionis cataractarum a* Cl. DAVIEL *inuentae atque feliciter peractae ad* Cel. CHICOYNEAV, *Illustr.* VAN SWIETEN, *et* Cl. MAVCHART, *cum posteriorem responsis.* In quibus Generosissimi liberi Baronis *de Sickengen* post duas frustra institutas cataractae depositiones, a Cl. DAVIEL extractionis ope feliciter terminata curatio enodate exponitur, atque tres aliae adhuc ab eodem Cl. DAVIEL cum visus restitutione feliciter peractae crystallini extractiones sedulo descriptae deprehenduntur. p. 418.

X.

Prodromus praeuertens continuata Acta Medica Haunienſia, quae per clementiſſima regia auſpicia, ad veneranda maiorum exempla, in ſincera incrementa quarumcunque ſcientiarum, quae ullo modo forum medicum ſpectant, quotannis a collegii medici regii membris, ex ſuis et ſociis aliorum operis publici iuris fiunt. Hafniae 1753. 4. alph. 1. tab. aen. 4.

Quo grauius adhuc dolet eruditus orbis Actorum medico-philoſophicorum Haunienſium finem, cum morte auctoris et editoris celeberrimi, THOMAE BARTHOLINI, qui ſuis et aliorum magnorum virorum adnotationibus, obſeruatis, experimentis illa locupletauerat, praemature nimis factum; eo inſignior ex hoc prodromo, qui ante aliquot annos prodiit, quique certam renouandorum continuandorumque illorum actorum ſpem facit, ad omnes litterarum cultores et in primis medicos redundat laetitia, eoque lubentius a nobis, quamuis paullo ſerius, huius prodromi iam tradenda viſa eſt expoſitio. Etſi

igitur ab anno ſupra milleſimum, quingenteſimum, ſeptuageſimo nono ad haec uſque tempora, quae viuimus, longum ſatis interceſſit interuallum, ex quo deſiere in publicum prodire Acta Haunienſia, maxima tamen nunc iterum adfulget ſpes, fore, ut longum hocce ſilentium longamque hanc moram breui compenſent continuata eadem, ſelectiſſimis obſeruationibus tentaminibusque ditata. Optimi enim Principis, FRIDERICI V, bonarum artium et ſcientiarum ſtatoris, clementia factum eſt, ut ſub auſpiciis Ill. L. B. a GÜLDENKRONE, maecenatis ſummi, et praeſide D. BALTHASAR. IOH. de BVCHWALD collegium medicum Hauniae conditum, nouisque immunitatibus et priuilegiis exornatum, quod rerum medicarum et pharmaceuticarum per omnem Daniam curam adhuc adminiſtrauerat ſolam, ſuorum etiam laborum documenta in publicum edere, atque laudabili facto conſilio, Actis medicis continuatis haec inſerere, nuperque hunc quoque, quem indicamus, praemittere coeperit prodromum. In quo quidem iam egregia exhibita legimus obſeruationum, quaeſtionum, tentaminumque medicorum omnis generis ſpecimina, ut in ipſis actis breui ſequuturis plura omnino eaque grauiora exſpectare poſſimus, non nulla tamen etiam in praefixo praefamine de noui huius inſtituti ratione praemiſſa ſunt, quae in praeſens iuuabit prius enarraſſe, quam illorum pleniorem tradere adgrediamur recenſionem.

Inuitat nimirum in eodem Ill. DE BVCHWALD, Decanus Collegii Medici Haunienſis, omnes, quicumque artem ſalutarem in Dania et Norwegia profitentur, medicos, ut ſi qua ſingularia, noua, certaque ad rem medicam illuſtrandam amplificandamque ſpectantia datum ipſis fuerit adnotaſſe, cum ipſo communicent, atque ſuam quisque ad continuanda Acta conferat operam. Omnis autem, quam late patet, ſcientiae medicae et naturalis ipſis, ut inde

theſauros

thesauros suos colligant, aperitur campus, in primis tamen ex therapeutice, pathologia, historia naturali et oeconomia inquilina petitae cupiuntur obseruationes et tentamina, atque ex his etiam potissimum practicae. Qui enim therapiam specialem et patrii climatis corporibus propriam nouis experimentis et obseruationibus illustrare tentaturus sit, prae reliquis fatetur Ill. BVCHWALD eum meriturum esse laudem atque gloriam. Vt autem aliqua practicarum in primis obseruationum elaborandarum norma sit, idem tria speciatim vult in iis conscribendis attendenda momenta, nimirum ut sint *nativae*, *strictae* et *plenae*, siue ut phaenomena in morbis occurrentia, breui quidem sermone et sine addito hypothesium fuco, exponantur, nihil tamen etiam praetermittatur, quod ad distinctam describendi morbi cognitionem scitu necessarium fuerit, atque hinc antecedentia, concomitantia et consequentia in omnibus eiusmodi obseruationibus sedulo adnotanda esse videantur. Ad quos quidem subeundos labores ciues suos medicos Noster non excitat solum egregio maiorum exemplo artisque ipsius inde capiendo emolumento, sed obseruationis optimae auctori etiam tribuendum posuit Ill. DE GÜLDENKRONE viginti aureorum numo- p. 163.
rum praemium. Haec de instituto, iam ad prodromi nostri contenta propius nos conuertimus, atque ex iisdem praecipuas visas obseruationes breuibus exposituri sumus, alias leuioris argumenti neglecturi.

BALTH. BVCHWALDI *methodus cito, tuto et iucunde curandi quartanam.* p. 9.
Quartanae causa Cl. Auctori videtur esse viscidum aliquod, sed mucosum et glutinosum, quod difficulter moueri possit; hinc in senibus frequenter obuium. Ipsa vero mitior dicitur reliquis intermittentibus. Illa duplicata rarissime, triplicata prorsus non obseruatur, et si qua fuerit visa, ad catarrhales anomalas referri meretur, cuius

etiam

etiam exemplum adfert Noſter. Quartanae curatio tria in primis poſtulat attendenda momenta, ut nimirum praeparetur ad excretionem febrilis materia, ut praeparata excernatur, et ut poſt factam excretionem motus febriles, ex conſuetudine plerumque redeuntes, prorſus compeſcantur, ſine metu relicta recidiuae. Cuius quidem indicationis primae et ſecundae parti a medicis facile poteſt fieri ſatis, ſed illam tertiam difficile vel prorſus non explet ſpecificorum omnium atque arſenici ipſius laudatus a multis uſus. Omnibus anteponi meretur crocus martis antimoniatus. Ob minimam enim molem, qua dari ille poteſt, ob ſaporem haud adeo nauſeoſum, et ob recidiuae timorem prorſus ſublatum ipſum corticem peruuianum antecellit. Modus eum applicandi hic eſt, ut, quando duo vel tres iam ſuperauerat aeger paroxyſmos, demum remittente nouo paroxyſmo datus fuerit veſperi puluis ſalinus, cui minima doſis croci laudati addita eſt, deinde ſequente alio et quando imminet, et quando remittit, doſis ad ſcrupulum unum augeatur, in apyrexia vero pilulae balſamicae cum croco iſto etiam acutae redditae et alexipharmaca eſſentia propinentur; atque ita aucta ſenſim croci doſi felix ſequutus eſſe affirmatur effectus, ut a pulnere dicto bis vel ter ſumto non modo remiſerit, ſed etiam prorſus ceſſauerit febris; cuius confirmandi gratia aliquot exempla adducuntur, in quibus optime ſucceſſit haec medendi methodus. Nos vero, ni fallimur, Cl. STAHLIVM iam uſum fuiſſe croco martis in multis morbis atque etiam febribus, ex ſcriptis eius cognouiſſe recordamur, multum tamen adhuc dubitantes, tantamne prae ipſa china china crocus laudatus mereatur laudem.

p. 18. Idem *corticis chinae uſum in clyſteribus* confirmat exemplo matronae, quae quartana autumnali laborabat, cum anxietate praecordiorum, niſu vomendi, multoque amarorum quorumuis faſtidio, quam vero

ab

ab eadem restituebat enema emolliens cum seminum corticis chinae aliquoties ante et post paroxysmum iniectum, aliis tamen simul haud neglectis medicamentis.

Eiusdem *historia monstri gemelli coaliti et compositi* traditur, cum addita icone. Fuerunt duae puellae, cetera bene conformatae, sed a superiore parte sterni ad umbilicum usque coalitae; dextra duos pollices longior, quam sinistra; utraque sese brachiis amplectebatur; unicus funiculus umbilicalis; pedes tres liuidi atque fugillatione obfuscati; quartus pes et reliqua forma exterior naturalis. Viscera abdominis p. 21. sua quisque foetus habebat propria, praeter hepar. Peritonaeum enim in regione epigastrica deficiebat, hinc hepar dextri foetus cum illo sinistri adeo arcte cohaerebat, ut ubicum hepar unitus foetus sensi portarum, unicus canalis venosus atque unica esset umbilicalis vena. Porro diaphragmatis in dextro foetu erat naturalis structura, illud sinistri deficiebat in sinistro latere. Sterni loco aderat substantia cartilaginea, a clauiculis ad tertiam costam extensa, inferius relinquens rimam apertam, ad ipso pectore apparuit cor unicum cum pericardio suo, ad dextrum magis pertinere visum foetum, in sinistro nullum. Situs eius naturalis, figura et fabrica haud aeque. Desiderabatur connexitas externa, atque internum septum; crassities etiam sinistri ventriculi maior erat dextro. Pulmones erant dextro foetui unicus, isque dexter, sinistro foetui duo, quorum sinister valde paruus e tribus modo constructus erat lobulis. Vasa maiora omnia aderant, sed arteria pulmonalis minor, quam aorta, tribus factis ramis ad pulmones sese distribuit, quorum ramorum primus ad carotidem usque adscendens, flexu dein facto in aortam sese immisit, canalis arteriosi nomine. Aorta sub initium p. 23. valde ampla sursum et dextrorsum adscendit, arcuque facto

facto iterum descendens multos dedit ramos, nimirum arteriosum canalem, carotides sinistram et dextram, subclauiam utramque; alius vero ramus ex eadem loco, ubi coronaria oriri alias solet, acuto sub angulo ortus, inter auriculas progrediendo ad ipsum cor et pulmones sparsit ramulos, auctaque diametro transiit ad sinistrum foetum, aortae vices subiens. Ex pulmone dextri foetus venae quaedam in dextram auriculam, reliquae ex sinistri pulmonibus in sinistram ingrediebantur. Venae cauae erant binae superiores, et una inferior in quolibet foetu. Cava superior dextra et inferior maioris foetus in dextram aurem, reliquae omnes in sinistram intrabant. Vena autem cava altera suam ex iugulari et subclauia coniuncta traxit originem. Quae venae omnes ampliſſimum formabant auris sinistrae saccum, ex pluribus constructum visum sacculis, sed deficiebat internum septum medium atque foramen ouale, eratque unica cauitas, valuulis tamen adhuc instructa et columnis carneis.

p. 29. Sequuntur b. ANDREAE THVE, Pharmacopoei Norvegici de chymia bene meriti, *salis communis descriptio physica et examen chymicum*, ex danica, in qua primum exarata fuerunt, in latinam translata linguam, atque sex absoluta quaestionibus. Prima demonstrat salis communis naturam et partes constitutiuas, nimirum spiritum acido-volatilem grauem et terram alcalino-calcaream, quae coniuncta inuicem sistunt sal medium vel neutrum. Spiritus iste est acidum sui generis, summe volatile, ipsa essentia salis communis, et ad salium fere omnium, mineraliumque complurium, immo vegetabilium generationem et mutationes instrumentum aptissimum. Terra a sale suo vix separari potest, neque post destillationem spiritus in retorta, neque post coctionem salis in ahenis pura residua est, sed aeris et aquae

mutata

mutata acido: alcalinam tamen eam probat ſalis mirabilis non modo ex calce inſipida ahenorum, aeri per aliquot annos expoſita, ſed ex ipſo etiam ſale communi hieme ſponte liqueſcente facta geneſis. Praeter illam alcalino-calcaream ineſt etiam portio aliqua inflammabilis atque vitreſcibilis terrae. Inflammabilem docet color flauus ſpiritus ſalis et ipſius ſalis cum aliis inflammabilibus iuncti in putreditnem procliuitas, nataque inde volatilitas: vitreſcibilem vero negata calcis ahenorum cum aqua, ſpiritu ſalis oleoque vitrioli ſolutio, factaque contra ex ea cum oleo vitrioli geneſis ſalis ſelenitici plumoſi, metallorum ſali, AKVNKELIO deſcripto, valde ſimilis.

Altera quaeſtio enumerat ſalis communis in Da- p. 39.
nia et Noruegia frequentius obuias ſpecies, nimirum portugalenſe, hiſpanicum, gallicum, anglicum, noruegicum et luneburgenſe, rarius ſal gemmae ex Polonia adlatum.

Tertia vero eorum diſcrimen et praerogatiuas explicat. Virtute et praeſtantia reliquis antecellunt portugalenſe, hiſpanicum et anglicum; gallico praefertur ob pelluciditatem et puritatem noruegicum, quod ex aqua marina paratur, et ventorum ope in domibus gradatoriis et ignis vi in patinis ferreis facta liquidi euaporatione, cuius vero coctturam maiori cum emolumento inſtituendam docet Noſter ex muria frigoris intenſiſſimi ope concentrata, in foſſas peculiares, quas deſcribit, hunc in finem translata.

In quarta quaeſtione recenſentur optimi ſalis com- p. 43.
munis notae ab externo habitu, cryſtallorum forma, ſapore atque examine chemico petendae.

In quinta autem ex eodem praeparata medicamenta ufualia, quorum adeo inſignis numerus eſt, ut huc transferre haud liceat, ſileri tamen non poteſt, boracem etiam atque nitrum a Noſtro huc relatum fuiſſe: quamuis enim utrumque hoc ſal inter natiua numeretur, Cl. THVE tamen experientia didicit boracem

racem cum oleo vitrioli destillatum dedisse sal volatile narcoticum vitrioli, residuum autem sal mirabile, atque fatetur se casu aliquando produxisse ipsam boracem ex sale communi cum aliis simplicibus aeri exposito; nitrum vero etiam arte componi posse certo persuasus est ab eo, qui calleat sal commune tractare cum pinguibus inflammabilibus; ut putrefactionem cum iis subeat.

p. 50. Sexta tandem quaestio ostendit, quaenam salia naturalia educi possint ex acri sulphureo lixiuio residuo in ahenis, postquam sal commune coquendo et crystallisando, quantum licuit, inde separatur. Quod quum plerumque soleat tamquam res nullius usus reiici, Noster ciues suos hic docuit lixiuio illo maiori uti cum emolumento: multa enim ipsi adhuc inesse salia, in primis sal mirabile, sal ebshamense, sal commune, atque sal seleniticum, et ab eodem separari posse, copiose demonstrat.

p. 59. Excipit hanc salis communis descriptionem noua ab eodem b. THVE proposita quaestio: *an sal commune sit sal primigenium?* Vitriolicum quidem acidum primigenii et uniuersalis nomen sibi vindicare Nostro videtur, fatetur tamen illud commune omnino esse acidum sui generis, a vitriolico neque ortum, neque vitriolici, quamuis multorum aliorum salium, constituere basin. Ipse addit se eiusdem naturam multos annos sollerter examinasse, multa tamen ei adhuc inesse, quae attentius disquiri a chemicis mereantur.

p. 64. D. SAM. CNOLL litterae autographicae *de boracis artificialis compositione*, Tranquebaria Indorum orientalium Fridericopolin Noruegiae missae, germanica lingua exaratae leguntur. Peritus quidam Brachmanus Cl. CNOLL docuit boracem praeparari ex alumine, succo lacteo euphorbii et oleo sesami. Verum
p. 67. subnexa Epicrisis laudati THVE fidem Brachmani valde dubiam

dubiam reddit, in primis ex eo, quod alumen non poſſit ſuppeditare terram iſtam vitreſcibilem, quam ineſſe boraci experimenta euincunt. Terra potius quaedam alcalina, quam abundare in Malabariae agris idem CNOLL enarrauerat, boracis baſis eſſe a Cl. THVE affirmatur.

D. CHRISTOPH LODBERG FRIIS. *methodor* p. 73.
varias tractandi dubie mortuos expoſuit, quas tamen tamquam cognitas ſatis, non tangimus.

Inter plures morborum hiſtorias, quas noſter p. 87.
prodromus in ſe comprehendit, et quarum non nullas intactas praetermittere cogimur, notatu digna viſa eſt *cephalagrae*, *pelle medicata*, *gallis* peau diuine *dicta*, *retropulſae et lethalis hiſtoria*, a D. SEVERINO HEE, P. P. Gymnaſii Othinienſis propoſita. Senem ſexagenarium, qui olim veneri, gulae, et otio multum indulſerat, aetate prouectiori inuaſit vexauitque ſaepius, in primis poſt commiſſos diaetae errores, dolor capitis acutus, multis ſtipatus ſymptomatibus, vere potiſſimum et autumno ſaeuiens adeo, ut omnes pene exhauriret aegri vires. Quem quidem Cl. HEE, in conſilium vocatus, profitetur ſe debellaſſe, praeter clyſmata, pediluuia et decocta emollientia, in primis cinnabari antimonii in puluere data, aquarumque ſelteranarum uſu per aeſtatem adhibito. Tres annos vixit ſenex liber a dolore, ſed ob neglectam hieme diaetam, vere nouo rediit multo, quam ante, vehementior. Eum ex inſtanti profligauit pellis gallica capiti impoſita, breui autem poſt laſſitudo, horror, dolor colico-ſpaſmodicus, febris acuta inflammatoria, diarrhoea accedunt; mox ſequitur virium proſtratio aluique pertinax obſtructio; ceſſante dolore colico angina, vomitus, ſingultus, veſicae ſpaſmus mingendique continuum, ſed impeditum deſiderium, pulſus calorque auctus, oris ſiccitas et ſitis,

ſomnus turbulentus. Cl. HEE tunc demum vocatus mitigare malum tentauit acidis, veſicatoriis, gargarismatis, balneis adhibitis; ceſſauit vomitus, et mitior redditus fuit ſingultus, ſed angina perſtitit, tandem urina excreta eſt cum ſedimento purulento, albo, glutinoſo; febris incenſa nulli que cedens remediis, taciturnitas, mentis alienatio, tandemque mors tantorum malorum finem fecit.

p. 58. D. WILHELMI HANNAEI, Regii Cancellariae Conſiliarii et Phyſici ordinarii in Inſula Lalandia, Obſeruatio *de miris abdominis contentis.* Feminam ſanam et alacrem, uxorem fabri ferrarii, poſt rixas et potam cereuiſiam cum lacte, inuadunt truculenti dolores ventris, et poſt triduum ſequitur ventris tumor valde magnus, quinque annos, et quod excurrit, permanſit, dolores autem poſt viginti quinque hebdomades remiſerunt. Poſt mariti obitum, alteri nupta viro tulit abdomen ad rupturam diſtentum, donec in regione epigaſtrica ad lineam albam tria nata tubercula, atque preſſione variisque tractata remediis, ab applicatis bardanae foliis, ſeſe aperierint, fundentia liquidi albi, viſcidi, lactis ebutyrati inſtar, ſedecim cantharos vel ſexaginta quatuor libras, idque intra aliquot hebdomades. Liquido ſupernatabat in vaſe materia pinguis, flaueſcens, veluti ſeuum bubulum, eique admixta pilorum magna copia erat. Imminuta ſenſim liquidi iſtius excretione, aucta fuit tabes et breui ſequuta mors aegram, anno aetatis quadrageſimo, a cruciatibus quinque annos et viginti ſex hebdomades perdurantibus, liberauit.

p. 103. Sectione cadaueris facta, primum apparuit ſaccus, omnem ventrem imum occupans, poſterius cum vertebris lumborum cohaerens, ex membrana craſſa factus, parum ichoris nigricantis continens. Sub apertura, quae ante nata ſponte fuit, magna latuit pilorum fuſcorum, intricatorum, libere tamen

fluctuan-

fluctuantium congeries. Inferius circa peluim obtulit sese frustum duplex osseum, carne albicante pilisque paruis obductum, cui nouem dentes durissimi inclusi erant. Iungebat illud inuicem membrana sacci crassior facta. Sub eodem saccus alter apparuit in pelui inter uterum et intestinum rectum haerens, ex simili membrana factus, similique liquore albido plenus. Vterus, ouaria, tubae firmiter ipsi adhaeserunt, ceteroquin a naturali conditione non recedentes, praeter tubas fere coalitas. Vesica urinaria valde expansa fuit et friabilis, ut digitis laederetur, ureteres peluisque renum itidem expansi. Viscera reliqua versus diaphragma protrusa, inter se coalita fuerunt; ventriculus continuit humorem albidum, pinguibus moleculis scatentem. Nostro visus est hic morbus hydropis saccati nomen mereri, a vulgari multum diuersus hydrope. Addita etiam fuit icon tumorem sistens, pilos, frustaque ossea cum dentibus.

Idem HANNAEVS *rariorem partus historiam* tradit. Mulier quaedam in primo coniugio filium enixa est, sed alteri nupta marito, grauidaque facta anno 1728 sensit quidem dolores ad partum, verum irritos per aliquot hebdomades durantes; qui dein remiserunt, venter detumuit, mammae lac fuderunt, permansit in sinistro hypochondrio ponderis embryonis mortui sensus. Tres annos post 1732 grauida facta filium feliciter enixa est. Tandem post quinque annos 1737 horrendis cruciatibus ventris infestata, repetitis vicibus excreuit e genitalibus copiam materiae foetidae, annoque sequenti 1738 ossa embryonis cum carne putrida et materia simili. Numero fuerunt sexaginta nouem; distingui potuerunt costae, humeri, femora, cranii ossa. Quinque annos lecto affixa demum conualuit 1742, ab istis tamen non prorsus libera ventris doloribus. Suspica- p. 107.

tur Noſter foetum mortuum haeſiſſe extra uterum in ouario vel tuba ſiniſtra, aliusque vix ſupereſſe modus nobis videtur, qui fieri potuit foetus vitalis incrementum et partus, haerente ſimul in ventre alio foetu demortuo, putrido.

p. 110. *Tumorem in capite infantis recens nati* idem Cl. Auctor obſeruauit. Tumor erat in dextro oſſe ſincipitis, oui magnitudine, mollis, a ſitu peruerſo in utero natus viſus, applicatis reſoluentibus non cedens. Accuratius ſub eodem perluſtrato, digitis diſtingui potuit deficere cranium: mutata medendi methodo, applicatisque emplaſtro de betonica, lamina plumbea et faſciis conſtringentibus, ſenſim nouae oſſis abſoluta fuit geneſis. Notari meretur auum maternum habere atheroma in dextra parte ſincipitis connatum.

p. 112. *Raram calculi hiſtoriam* idem exponit Cl. HANNAEVS. Senex ſeptuaginta quinque annorum poſt vehementes dolores ſpaſmodico-colicos, intra tempus unius anni, plus, quam mille et ſeptingentis vicibus, ultra ducentos calculos cum urina excreuit, omnes magnitudine coriandri ſeminis, colore ſubluteo, dodecaedros, angulis aequalibus, quaſi ex marmore polito factos, compactos; non laminas diffracti, ſed ſtrias a centro ad peripheriam ductas oſtenderunt. Tandem ceſſarunt dolores et calculorum excretio; ſenex conualuit. Noſter calculos hos aſſerit delituiſſe in pelui renum, natos forte ex ſale, quod alias ignis ope elicitur e calculis renalibus. Metuit vero ob pondus, quod ſentit aeger in regione hypogaſtrica, latere adhuc veſicae calculum.

p. 124. D. PETRI RVDOLPHI WANDELER, Phyſici Metropolitani, obſeruatio *de calculis veſicae felleae, qui, licet molis egregiae per ductum choledochum tranſierunt,*

fierunt, feliciter excretis. Femina quinquaginta trium annorum ſenſit dolorem vehementem in regione hypochondriaca dextra; ſequuntur vomitus frequens, aluus obſtipata, virium debilitas, icterus, linguae totiusque cutis ſiccitas, poſt vomitum vero ſudor. Adhibitis mucilaginoſis, acidis, carminatiuis, datoque in primis apozemate laxante, per aluum excretus eſt calculus figurae inaequalis, coloris fuſci, flaui, mollis fractuque facilis, pondus duarum drachmarum granorumque quinquaginta adaequans. Poſt triduum alter ſimilis figurae et ponderis eadem via eliminatus fuit. Ceſſarunt ſymptomata, conualuit aegra nullaque amplius ſentiens incommoda. Calculus unus ſeruatur adhuc a Noſtro, alter vero experimentis variis ſubiectus fuit. Flammam concepit ad ignem, odoremque foetidum ſparſit; ab acidis aeque ac alcalicis non ſolutus eſt; ſuccus citri tinctus; ſpiritus nitri etiam tinctus multum ſoluit; plus ſoluit oleum tartari per deliquium, viridi inde imbutum colore.

Aphidem tremulae populi, abdomine ecorni, deſcribit P. ASCANIVS, medicinae cultor. Vpſaliae addiſcendae ſalutaris artis cauſa degens, inter excurſiones botanicas cum Cl. LINNAEO caſu inuenit in luco populeo inſecti huius magnam copiam, et quum a nemine adhuc deſcriptum ſit, ipſi, ut deſcriberet, demandauit Cl. LINNAEVS. Inſectum igitur hoc pertinet ad ordinem Hemipterorum, ſed genus definitu difficile eſt: coccum inter et aphidem refertur. Adultum eſt piſi magnitudine; colore plumbeo, ob villos minimos nigricante; dorſum eius conuexum; abdomen planum; ſex eleuationes ab utroque latere; anus retuſus, capite obtuſior; pedes ſex; roſtrum directe reflexum inter pedes anteriores; antennae breuiſſimae; immotum inſidet ramulo. Pulli vero thorax eſt albeſcens; abdomen luteum; roſtrum lon- p. 127.

gum et erectum, horizontaliter ſub pectus inclinatum; antennae duplo longiores illis matris; pedes expediti; diebus aliquot colorem rubicundum induunt, et adoleſcunt. Mater a medio maio ad iunium medium inceſſanter parit, adeo, ut intra horam plus, quam quinquaginta pulli numerari poſſint, tandem vero abdomine euacuato et collapſo moritur. Pulli poſteriora primum prodeunt, deinde caput. Statim ſeſe congregant, petuntque ramulos ſub extremitatum foliis, atque haec coniunctis petiolis ita retrahunt et complicant, ut petiolis deſtitui videantur; tuti ſub his tegminibus viuunt ab aeris iniuriis. Viuunt in ſocietate pulli, mater vero ſolitaria, hinc mater ad coccum, pulli ad aphidem referuntur. Domicilium earum eſt populus tremula. Feminae an alas habeant, certo definiri nondum potuit. Femina autem linguam ſubtiliſſimam per roſtrum emittit, arboremque, cui inſidet, perforat. Pulli etiam quatuor alas iam habuerunt, duas inferiores vix longiores abdomine, duas ſuperiores duplo maiores margine ventris externo, macula fuſca notatas. Mater et pulli corniculo, quo ſuccum aliquem dulcem emittunt, in abdomine cur deſtituantur, haud definit Cl. ASCANIVS. Icon addita matrem pullumque repraeſentat.

p. 138. D. HENR. FRIDER. PETERSEN, Phyſicus Prouincialis et urbis Altonauiae, *Herniae cruralis hiſtoriam et curam* germanico ſermone tradidit, quae in latinam conuerſa hic exhibetur. Virgo quadraginta annorum, calidioris temperiei, ſpirituoſo potui indulgens, eleuando grandioris molis ciſtam, ſibi ſtatim contraxerat dolores inſignes inguinis et pudendorum, ſed nemini aperiendo malum illud adauxit, ut in febrem inflammatoriam abiret cum vehementi vomitu. Medicus vocatus dedit laxans e rhabarbaro et ſtomachica, ſed malum incipiens non ceſſare, ſed creſcere

in

in dies viſum eſt. Tandem Cl. PETERSEN vocatus inuenit eam delirantem ex febre acuta, obſcoenisque in lecto velut immerſam excrementis: quibus remotis tota regio iliaca dextra et inguinalis, labium pudendorum et crus gangraena et ſphacelo occupatum, ſubnigrum; in inguine vero, ſub ligamento Poupartii, portio inteſtini ilei ſubnigra, foraminulis pertuſa apparuit; ligamentum omnem, quae illud ambit, cutem et pinguedinem perdidit, hinc relaxatum conſtringere amplius non poterat. Inteſtinum forcipe extractum ad duos pollices corruptum fuit. Poſt ſcarifatas partes corruptas, plumaceolos ſpiritu vini camphorato et ſtyrace liquida imbutos iis impoſuit, inteſtino vero applicuit plumaceolos et ſplenia tincta liquore ex aquae calcis libris duabus, ſpiritus vini camphorati unciis ſex, et ſalis ammoniaci uncia una parato. Clyſmate aluus ante ſtrictior iterum libera facta fuit: venae ſectio vero repetita ſanguinis diatheſin inflammatoriam imminuit. Deligatio ſingulis tribus horis facta eſt. Altero die iam in melius mutatae res fuerunt, natura enim per exfoliationem reiicere tentauit corruptas partes, id, quod etiam ſenſim feliciter ſucceſſit, noua renata cute et cicatrice, paruis remanentibus foraminulis inteſtini, ex quibus chylus profluxit, in primis ſi flatulenta adſumta fuerint alimenta. Aluus quoque naturali modo foeces quotidie excreuit. Aegra tandem conualuit, laboresque ſuos iterum ſubiit. Vulneri autem turunda cum melle roſato, emplaſtrum de lithargyrio et bracherium applicatum aegre tulit ipſa, hinc Noſter aliud coriaceum fecit, quod etiam omne abdomen contineret, et haud adeo premeret. Diaeta ſtrictiore obſeruata, ſalua fuit aegra, ſed poſt biennium ab empirico ſumtum draſticum purgans nouos eosque vehementes dolores excitauit, quos tamen opportunis adhibitis remediis iterum profligauit Cl. Auctor.

XI.

RVDOLPHI AVGVSTINI VOGEL, Medicinae Doctoris et in Vniuerſitate Gottingenſi Profeſſoris Academiae Naturae Curioſorum Sodalis, Inſtitutiones Chemiae ad Lectiones academicas accommodatae. Gottingae, apud Eliam Luzac, MDCCLV. 8. 1 alph. 3 pl.

Ab eo tempore, quo STAHLIVS fundamenta ſua, et BOERHAAVIVS ſua elementa dederunt, chemia adeo aucta et emendata eſt, ut praeſens eius facies longe differat a priori. Multae nimirum nouae ac utiliſſimae obſeruationes poſt illos viros a variis, iisque praeſtantiſſimis chemicis, HENKELIO, POTTIO, MARGGRAFIO, aliisque factae atque collectae ſunt, quibus non ſolum uniuerſa chemiae doctrina, ſed et in primis ſpecialia quaedam huius capita, veluti illud de naphthis, de phosphoris, de ſolutione, praecipitatione, fuſione atque reductione inſigniter locupletata ac immutata fuerunt. Cum igitur Cl. Auctor chemiam docere, et quidem in eius modi praecepta, quae non minus breuitate, quam perfectione materiae tractatae ſeſe commendarent, dicere voluerit, nihilque eorum, quae ſupra nominati viri contulerunt, in contractiores libellos, quos compendia vocant, receptum eſſe omnino cognouerit, operae pretium ipſi viſum eſt, ſuam manum tali operi elaborando admouere. Sed haec, quamuis grauiſſima atque princeps, ratio non ſola fuit, quae Cl. Auctorem compulit ad inſtitutiones chemiae ſuas conſcribendas et euulgandas, verum acceſſit alia. Scilicet defuit quoque hactenus bibliotheca quaedam ſelecta chemica, quae praecipuos libros porrigeret atque optimos auctores traderet, e quorum lectione tirones operam, quam in chemiae ſtudio collocant, egregie facilitare poſſint. Cl. Auctor igitur ſuarum quoque

quoque partium esse credidit, ut et in hac re auditoribus suis prodesset, iisque breui bonorum scriptorum commemoratione expeditiorem viam monstraret, qua ad rerum chemicarum cognitionem peruenire, ulterioresque in hac progressus facere possint.

Primo capite istarum institutionum Cl. Auctor p. 1.
sistit chemiae definitionem, originem, obiectum, usum atque diuisionem. Chemia est pars physicae atque scientia practica, quae corpora tam naturalia, quam ex his eruta, quatenus mixta sunt, et mixtione sua aliquem effectum producere possunt, indagare docet. Subiectum igitur chemiae in genere est quodcunque corpus naturale et coercibile, in quantum mixtio huius potissimum considerator; obiectum vero mixtio indaganda. Mixtio corporum varia ratione exploratur; vel combinando corpora cum aliis, vel ea resoluendo per se, vel combinando et separando simul, id, quod saepissime contingere potest. Ve- p. 3.
rum non explorandi mixtionem corporum desiderium primos huius artis inuentores videtur compulisse ad chemiam excolendam, sed necessitas sola ac utilitas, quae ab illa prouenire solet. Sic pariter haud certo constat, quo tempore, et a quibus, chemia primum culta fuerit, ad vetustissima tamen tempora eam referendam esse, ex sacris aeque atque profanis scriptoribus intelligere licet. Quibus omnibus praemissis p. 4.
subiectum chemiae specialius declaratur. Nempe primo corpora naturalia dispescuntur in quatuor classes, seu uti etiam aiunt, regna, quorum primum aquas, alterum fossilia, tertium vegetabilia, quartum animalia comprehendit, ista deinde singulatim definiuntur ac diuiduntur in suas species, et post harum ipsarum indoles atque discrimen ostenditur. Sic aqua definitur corpus fluidum pellucidum, quod certo quodam frigoris gradu totum quantum in glaciem conuertitur. Hoc fluidum est plus minus compositum, quatenus terreas, salinas, sulphureas partes,

modo maiori, modo minori et minima copia complectitur. Aquae igitur partim ſunt ſimplices, ſeu communes, dulces etiam dictae, partim minerales. Aquae minerales, vel ob immixtas minerales particulas ita nominatae, vel ob medicatas virtutes, quas in corpore humano exerunt, ſoteriae dictae ſunt acidulae aut thermae, ſeu frigidae et calidae. Ambae easdem partes conſtituentes, in genere conſideratae, habent, aſt ratione proportionis, mixtionis, ſubtilitatis harum partium et reſpectu caloris a ſe inuicem recedunt. Mineralia ſiue foſſilia ſunt eius modi corpora, quae in profundioribus locis vel ſuperficie terrae, ſine vaſis creſcunt, et per appoſitionem partium
p. 6. ſaltem augentur. Horum autem varia deprehenduntur genera; videlicet terrae atque lapides, ſales, bitumina, metalla, ſemimetalla, ſuccique minerales, e quorum numero aliqua recenſebimus. Terrae v. g. ſunt corpora ſicca, friabilia, cum aqua in paſtam facile abeuntia et diſtinguuntur in alcalinas, argillaceas, gypſeas, ſiliceas. Bitumina deſignant inflammabilia corpora, quae, dum comburuntur, grauiter olent, et vel in forma ſolida, veluti ſulphur cum ſuis mineris, auripigmentum, aſphaltum, gagates, vel in
p. 12. fluida apparent, ſicut naphta, petroleum. Sub ſuccis mineralibus eius modi liquida ſubterranea intelliguntur, quae aquis mineralibus ob plures qualitates diſſentaneas non facile accenſeri poſſunt. Pertinent huc aquae illae vitriolicae cupreae, *Caement-Waſſer*, ſuccus ille aquoſus, mineralia fluentia continens, *Guhr*, et mercurius viuus. Vegetabilia dicuntur corpora naturalia organica, externa quadam ſui parte aliis corporibus adhaerentia, deque ipſis nutrimenti atque incrementi materiem capientia. Quodcunque vegetabile habet proprium ſuccum, ſed praeter hunc variae plantis intextae ſunt ſubſtantiae, quae ſi ad earum geneſin atque indolem reſpicitur, communes dici poſſunt, quales ſunt olea, ſapo, ſeuum, mucilago,

lago, resina, balsamus liquidus, cera, gummi, sacharum, manna, camphora, quae omnia seorsim expenduntur. Animalia tales vocantur substantiae, p. 19. quae vi crescendi, viuendi atque sentiendi gaudent. Harum omnes ac singulas partes, solidas et fluidas, quotquot colligi possunt, explorandas sibi sumit chemicus, ast notiones earundem ex physiologia petendae erunt. Postquam Cl. Auctor omnia ea dixit, quae ad curatiorem subiecti cognitionem necessaria ipsi visa sunt, peruenit ad usum chemiae. Iste sane multiplex ac varius est, optime tamen ex variis artibus, quae ex chemia, multa ac varia emolumenta hauserunt, cognoscitur. Hinc ille primo physicam, deinde medicinam, post metallurgiam, demum alchemiam contemplatur, qualem utilitatem hisce artibus praestet chemia, praetereaque varias quoque mechanicas artes nominat, in quas chemiae usus sese diffundat. Quem ad modum igitur usus chemiae valde diuersus est, ita ista diuidenda erit, in physicam, medicam, metallurgicam, mechanicam, oeconomicam, transmutatoriam. Vsu atque diuisione indica- p. 24. tis, tandem commemorantur praestantissimorum virorum scripta, quaecunque in excolenda chemia, tam uniuersa, quam singula eius parte, legi merentur.

Altero capite agitur de principiis chemicis corpo- p. 30. rum naturalium. Principia chemica appellant eius modi substantias, quae in dissimiles partes amplius resolui nequeunt, et ex quibus varia proportione combinatis reliqua corpora mixta nascuntur. Eorum quinque in uniuersum sunt assumenda, terreum nempe, aqueum, salinum, sulphureum, arsenicale. Primo igitur consideratur terra elementaris, et quidem sic dicta vitrescibilis BECHERI, dicitur, qualis substantia sit, in quibus corporibus reperiatur, et quomodo ex variis corporibus eruatur, qualem mutationem monstret, postquam ex fluidis, quae eam inuisibiliter retinuerunt, secessit atque purgata est ab adhaeren-

haerentibus particulis, et quid ex iſta mutatione de terreo principio innoteſcat; deinde peruenitur ad principium aqueum, quod aquam in ſimpliciſſimo puriſſimoque ſuo ſtatu exhibet, et cauſa eſt omnis fluiditatis atque humiditatis, pariter ac ſoliditatis et cohaerentiae duriorum, neque minus reliquorum
p. 40. principiorum chemicorum vehiculum; tum declaratur natura ſalis primigenii, et uſus eiusdem in producendis variis ſalibus, et cum argumenta, quae ad demonſtrandam ſalis primigenii in aere praeſentiam vulgo adduci ſolent, Cl. Auctori valde dubia eſſe videantur ſimul ab ipſo proponitur aliud quoddam experimentum, quo iſtius exiſtentia in aere certisſime ſine commiſſa fallacia demonſtrari poſſe arbitratur; oſtenditur poſtea principii ſulphurei, ſeu terrae pin-
p. 44. guis, ſulphureae ſecundae BECCHERI indoles, tandem principium arſenicale ſeu mercuriale et terra tertia BECCHERI expenditur, et potiſſimum indicatur, quid metallis largiatur, nempe pondus, fuſionem atque ex aliqua etiam parte malleabilitatem, porro,
p. 50. ubi plus, ubi minus reperiatur. Praeterea ſub finem huius capitis ſententia quaedam de principiis chemicis uniuerſim aſſumenda proponitur; quod nimirum unumquodque horum principiorum, ubicunque demum corporibus inhaereat, eandem ubique naturam oſtendat, adeoque quod nullum plane diſcrimen eſſentiale inter principium aqueum et aqueum, terreum et terreum, ſulphureum et ſulphureum, ſalinum et ſalinum, arſenicale et arſenicale occurrat. Huius aſſerti veritas ſequentem in modum demonſtratur. Quod ſi calci cuidam metallicae priſtina forma per corpus quoddam inflammabile ſiue phlogiſton reddenda eſt, perinde erit, num pro hoc ſcopo ipſum ſulphur ex regno minerali, an ſeuum ex animali, an tartarus aut carbonum puluis ex vegetabili recipiatur; ſi quidem calx metallica ubique priori formae reſtituatur. Veluti autem, ſecundum illud experimentum

tum phlogiſton, ubicunque demum latitet, eandem eſſentiam monſtrat, ita quoque reliqua principia.

Tertio capite exhibentur inſtrumenta chemica actiua. Inſtrumenta chemica in genere definiuntur eius modi corpora, quae obiectis explorandis applicata, requiſito modo eadem mutant. Horum duo numerantur genera, nempe actiua et paſſiua. Ad illa referuntur, ignis, aer, menſtrua, aqua, terra, ſub his vero intelligitur omnis ſupellex chemica. In conſideratione ignis primum eius effectus in quolibet ſibi commiſſo corpore determinatur, deinde oſtenditur, quid in ſingularibus corporibus diſſoluendis atque componendis valeat, ubi ſimul de partibus corporum *ſimilaribus* ſiue homogeneis, et *diſſimilaribus* ſiue conſtitutiuis, pariter ac de producto atque educto agitur. Quo facto varii ignis gradus eorundemque effectus, et modi, quibus ſinguli excitari, ſuſtineri atque imminui poſſunt, perpenduntur. Denique dicitur, quomodo ignis corporibus explorandis admoueri debeat et quaenam cautelae circa ignis uſum uniuerſim obſeruandae ſint. Dum ad aerem, ut alterum cardinale principium chemiae actiuum, Cl. Auctor peruenit, docet, ad quas potiſſimum operationes iſte requiratur, quanam vi actionem ſuam exerat, qualem vim aer elaſticus incluſus conſequatur, quomodo et in quibus vaſis digeſtio atque extractio inſtituenda ſit, cur digeſtiones citius in loco calidiori, quam temperatiori perficiantur, quomodo promtius digeſtiones ſuccedant, cur lentius in vaſis vitreis, quam in machina Papiniana fiant, quod ſolutiones quoque aer quam maxime perficiat, et quod ipſe menſtruum ſit, quotuplici ratione potiſſimum ſolutiones iſte promoueat, quod aer ad fermentationem, euaporationem, deſtillationem, fuſionem atque detonationem concurrere debeat. Quod ad menſtrua pertinet, ea Cl. Auctor definit et liquida corpora commemorat, quae nomen menſtrui merentur, de quibus

p. 51.

p. 69.

p. 72.

p. 77.

quibus autem alio loco differit. Sic et ultimis paragraphis huius capitis breuissime causas enarrat, ob quas aqua et terra inter instrumenta chemiae actiua ponenda sit.

p. 78. Quartum caput tradit supellectilem chemicam. Potest ista apte diuidi in quatuor classes, scilicet in furnos, in vasa, in alia instrumenta, et denique in luta. Adeoque hoc capite omnia ea, quae ad notitiam et usum harum rerum singularum necessaria videntur, speciatim proferuntur.

p. 112. Quintum caput comprehendit destillationem in genere consideratam. Destillatio definitur, atque in quatuor stadia diducitur primum, quo subtiliores a crassioribus particulis segregantur, alterum, quo eaedem vaporum forma eleuantur, tertium, quo eleuatae iterum coagulantur in guttulas, quartum, quo coacte in guttas, delabuntur in excipulum. Causae horum quatuor stadiorum dispiciuntur, et quomodo illae effectum suum producant, ostenditur. Vasa, quae ad hanc operationem necessaria sunt, nominantur, et ubi singula adhiberi oporteat, indicatur. Vltimo indigitantur variae destillationis diuisiones atque singulares effectus, qui sequentibus capitibus multo curatius exponuntur.

p. 124. Capite enim sexto Cl. Auctor in specie agit de aquis destillatis; capite septimo de oleis aethereis; capite octauo de spiritibus inflammabilibus; capite nono de spiritibus acidis; capite decimo de spiritibus acidis dulcificatis siue naphtis; capite undecimo de spiritibus urinosis; capite duodecimo de oleis empyreumaticis; capite decimo tertio, de phosphoro urinae. Hisce capitibus igitur describit modos et rationes operandi cum enchiresibus, quibus omnia ista effecta impetrantur, et quidem non solum sincera, pura, sed etiam in requisita quantitate. Indicat ubique corpora propria, ex quibus ista effecta destillando producuntur, indolem uniuscuiusque effecti, partim

ex

ex ſuis, partim ex aliorum praeclariſſimorum virorum experientiis optime definit, adducitque omnia ea, quae ad perficiendam harum rerum cognitionem requiri poſſunt. Sic v. c. capite ſeptimo doctrina de oleis eſſentialibus aethereis pertractatur. Olea aetherea ſunt liquida inflammabilia, penetrante ſapore atque odore praedita, in vini alcohole ſolubilia, aquae per ſe contra minus miſcibilia. Odorifera et balſamica vegetabilia, quae ſpiritum volatilem cum reſinoſis particulis mixtum continent, ſuppeditant primaria horum oleorum ſubiecta. Olea aetherea eundem odorem et ſaporem habent, ac vegetabilia, unde accipiuntur. Aſt minime abinde concludendum eſt, omnia vegetabilia fragrantia oleum aethereum redditura eſſe. In aliis plantis oleum per ſingulas partes promiſcue diſtributum reperitur, in aliis vero, et quidem quam plurimis, in ſingularibus tantum partibus, modo radice, modo fructibus etc. hoc deliteſcere ſolet. Quibus praemiſſis herbae, radices, flores, ſemina, fructus, ligna, cortices, inuolucra ſeminum, balſama naturalia, gummi reſinae, et ſtamina florum denominantur, quae abundare oleo aethereo adſeritur, quicquid olei in praedictis plantis earumque partibus haereret, in peculiaribus cellulis ſeu folliculis eſſe depoſitum; determinatur copia olei, quam varia horum recenſitorum vegetabilium exhibent monentur, quae artifici attentenda et facienda ſunt, ubi copioſum olei prouentum cupit. Poſt ea ſermo inſtituitur de partibus oleorum aethereorum conſtitutiuis eſſentialibus, reliquisque qualitatibus, veluti de odore, ſapore, colore, fluiditate et ſpecifica grauitate. Olea aetherea ex duabus partibus compoſita ſunt, altera craſſiori et reſinoſa, altera ſpirituoſa et volatili. Olea aetherea a ſpirituoſa illa volatili ſubſtantia, unice propemodum recipiunt ſuum odorem, volatilitatem ac fluiditatem, aliasque ſingulares dotes. Si quis ad penitiorem oleorum mixtionem

p. 129.

p. 135.

nem respicit, eam constituunt quatuor substantiae, nimirum humor aqueus, partes terreae teneriores, substantia inflammabilis, partes salinae eaedemque speciatim acidae. Hae partes, quamuis inter se summissime cohaereant, ita, ut proportio earundem atque quantitas nullo modo definiri queat, tamen singulae a se inuicem aliquantum separari ac demonstrari possunt. In oleorum aethereorum spiritu eorum pars salino acida residet praecipue, sic et ab ista oleorum integra natura dependet. Sapor oleorum aethereorum, qui in genere acris est, ubique diuersus solet deprehendi. Quaedam olea longe mitiore sapore gaudent, dum nondum ex matrice sua pulsa sunt, quaedam contra multo acriora inueniuntur, in-
p. 142. tra matricem, quam extra eam posita. Destillatione ipsa saporis acredo augetur, sapor nunquam penitus cessat, spirituoso dissipato, ut adeoque tam a volatili oleorum, quam fixiori parte oriri omnino pateat. Odor contra ex toto euanescit, abeunte volatili parte unde iudicandum esse videtur, illum ab hac unice dependere. Color oleorum varius est, albus, frequentius limpidus, flauus, viridis, caeruleus. Color oleorum primitiuus communiter non diu perdurat.
p. 145. Inter causas oleorum colorem mutantes referenda sunt, 1) aeris ad olea accessus, 2) diuersus ignis gradus, in eorum destillatione adhibitus, 3) solum, in quo planta nascitur, 4) ipsa aetas plantae, 5) aestiui caloris diuersitas, 6) ipsum vas destillatorium. Olea quoque ratione consistentiae et fluiditatis inter se differunt, sic et respectu grauitatis specificae, cum quaedam horum aquae supernatent, quaedam in fundum eius descendant. Reperiuntur quoque olea, quae ipsi spiritui vini, non adeo rectificato innatant, veluti de oleo formicarum et lauendulae obseruatur. Examen hydrostaticum quoque demonstrat oleorum grauitatem specificam. Est singulare quoddam phaenomenon de oleis aethereis obseruatum, quod olea

temporis

temporis ſucceſſu in ſubſtantiam quandam cryſtallinam, pellucidam atque friabilem tranſeant. Obſeruatur hoc in oleo cinnamomi, in oleo ligni ſaſſafras, in oleis maioranae, terebinthinae et matricariae, thymi et petroſelini. Praecipuae qualitates huius ſubſtantiae cryſtallinae hae ſunt, 1) ſapor et odor ipſi communis eſt cum oleo, in quo exſtitit, 2) ſapor praeter ea eſt acidiuſculus ac punctorius, odor minus fragrans, quam olei, 3) ad ignem accendi ſe patitur, 4) ſolutionem in aqua reſpuit, 5) contra eam admittit in ſpiritu vini, ſpiritu vitrioli et oleo tartari per deliquium, 6) in ſpiritu vitrioli promtius, quam in oleo tartari per deliquium ſoluitur, ſed neque cum hoc, neque cum illo conflictatur, 7) pro pondere olei ſpecifico modo in aqua deſcendit, modo ſuperficiem eius occupat, 8) admoto calore ad priſtinam olei formam redit, ſed tamen ab igne remota eandem iterum perdit, et denuo in corpus ſolidum tranſit. Haec ſubſtantia nec ſal, nec camphora, veluti alii conſueuerunt, iure meritoque nominari poteſt. Interim res eſt demonſtratu difficillima, unde ſingulare iſtud concretum proueniat. Sententia GEOFROY, de eo propoſita, maiori probabilitate, quam aliorum virorum ſuperſtructa eſt. Nimirum deducit iſte eius ortum a fixiore quodam principio acido, quod tempore explicitum cum ſulphurea et terrea parte ſe coniungat et in unum ſolidum corpus coeat. Poſt haec omnia Cl. Auctor peruenit ad ipſam oleorum aethereorum deſtillationem, ubi de maceratione ſpecierum, deſtillationi pro oleo aethereo obtinendo ſubiiciendarum, de additamentis macerationem promouentibus, de modo et ratione deſtillandi agit. Denique monſtrat, quomodo olea ab aqua ſeparentur, quomodo oleis corruptis priſtina integritas reſtituatur, qua ratione olea adulterari ſoleant, et fraus commiſſa detegi queat.

p. 151.

p. 156.

p. 272. Caput decimum quartum complectitur ſublimationem. Definitione huius operationis ſuppeditata indicantur ſubiecta eiusdem, una cum effectu, quem iſta edunt combinata cum aliis corporibus: ſubiecta ſunt 1) ſalina quaedam, nominatim ammoniacalia, hoc eſt, talia, quae ex acido et ſale urinoſo conflantur, deinde urinoſa, tum acido oleoſa, veluti ſal ſuccini, flores benzoes, fuligo 2) mercurialia, 3) ſulphurea, 4) ſemimetallica plurima. Quibus praeuiſis definiuntur vaſa, in quibus ſublimatio fieri poteſt, et oſtenduntur neceſſarii ignis gradus, ſimul cum fine, quem ſibi quis in ſublimandi negotio proponere de-
p. 275. bet. Poſt haec deſcribuntur variae ſublimationes, ut ſublimatio mercurii corroſiui atque dulcis, cinnabaris factitiae, florum ſalis ammoniaci martialium, ſalis ſedatiui HOMBERGII, et ubique ea, quae ad indolem horum ſublimatorum corporum cognoſcendam pertinent, et alia plura annectuntur. Sic quoque Cl. Auctor, ubi ratio proceſſus florum ſalis ammoniaci martialium perpenditur, in medium profert curioſum quoddam experimentum, a peritiſſimo pharmacopoeo Goettingenſi IAEGERO factum. Scilicet quando corpus a ſublimatione iſta relictum et ad aera deliquatum, quod ſic dictum oleum martis per deliquium eſt, mercurio viuo inſtillatur, is protinus coagulatur, et in denſam membranam argenteam commutatur. Et ſi talis mercurius cum ipſo oleo, quod denſauit eum, in retorta expellitur, ſublimatur ſplendens atque cryſtallinum corpus, mercurio dulci per omnia ſimile. Reſidua ab hac ultima operatione maſſa iterum deliqueſcit, aeri humido expoſita, terram deiicit fuſcam, aſt leuem, et liquor denuo acceptus eandem rurſus mutationem in mercurio producit.

p. 282. Capite decimo quinto dicitur de ſalibus alcalinis
p. 295. fixis; capite decimo ſexto, de ſalibus alcalinis volatilibus; capite decimo ſeptimo, de ſalibus acidis ſic-

cis;

cis; capite decimo octauo, de salibus mediis, seu salsis. Cl. Auctor nihil in harum rerum doctrina praetermisit, quod ad indolem et genesin horum salium, ad notas eorundem characteristicas, atque genuinam praeparationem spectat. p. 304.

Capite decimo nono pertractatur fusio. Postquam Cl. Auctor notionem huius operationis dedit, diuisionem facit corporum solidorum, quae fusioni subiici possunt. Sunt scilicet corpora solida, quae per se vi ignis liquantur, sunt alia, quae per se minime, ast fusilibus additis funduntur; sunt alia, quae per se non fluunt, mixta vero cum aliis, quamuis ad fusionem ineptis, in fluorem coniunctim nunc deducuntur; sunt quoque quaedam corpora, quae neque per se, neque cum aliis liquabilibus combinata funduntur, sed modo tum demum, quando tertium quoddam corpus minus fusile iis admiscetur. Hasce varias corporum fundendorum species probat exemplis, et varia notatu digna adiicit de volumine et grauitate specifica metallorum aliorumque corporum sub fusione mutata. Quae cum dicta sunt, ostendit, quomodo fusio uniuersim instituenda atque peragenda, quibus adminiculis perficienda sit, et qualem in genere usum habeat. p. 324.

Haec proxime sequitur specimen quoddam fusionis et tale, quod ad medici maxime officinam exigitur, nempe antimonii fusio, pro obtinendo eius regulo. Monstrat igitur qua ratione regulus antimonii, tam simplex, quam martialis conficiendus sit, quibus partibus constet et quibus usibus pharmaceuticis impendatur. p. 334.

Fusionem excipit vitrificatio capite vigesimo, ubi natura huius operationis, eiusdemque subiecta primum declarantur, deinde varia de vitris vulgaribus, tinctis atque saturninis exponuntur. p. 339.

Vitrificationi succedit calcinatio, capite vigesimo primo tradita. Effectus calcinationis in eo positus est, ut corpora solida cohaesionem amittant, et fragilia p. 343.

gilia aut friabilia euadant. Quaeuis fere corpora mineralia, vegetabilia atque animalia isti operationi subiici possunt, ast minime sub una eademque ratione procedendi. Tres enim modi dantur calcinandi, nempe calcinatio fit, vel per solum ignem, vel per materias acres salinas, fluidas et siccas, vel per ignem et salia simul. Atque potissimum ignis tali vi gaudet, principium cohaesionis corporum solidorum materiale, quod in variis corporibus solidis varium est, aut unguinosum, sulphureum aut tenerius saltem phlogiston, ut in mineralibus; aut gelatinosum, ut in animalibus; aut mucilagineum, terro oleosum, ut in vegetabilibus, destruendi. Demonstratur hoc variis exemplis, veluti plumbo, stanno, ferro et aliis solo igne calcinatis, mercurio currente, sola protractiori digestione in puluerem conuerso et aliis pluribus. Istud calcinandi genus, nomen calcinationis perfectae recipit, cum illud contra, quod per materias acres fit, imperfecta calcinatio dicitur. Sic et variis exemplis probatur, quod per liquores acidos corrosiuos et salia, tam quae acidum humorem fouent, quam alcalina, varia corpora, igne concurrente in calcem abeant. Metalla atque mineralia materiis salinis vel humidis vel siccis calcinata, ratione pristinae naturae multo plus mutantur, quam, quae solo igne in calcem conuertuntur. Varia ceteroquin additamenta calcinationem adiuuare possunt, quorsum etiam refertur, candefacti corporis alterna extinctio in aqua frigida. Calcinatio porro comprehendit varias species, reuerberationem v. c. ustionem, tostionem, incinerationem, caementationem, detonationem, decrepitationem, corrosionem, fumigationem, prouti diuersi modi sunt, quibus haec operatio instituitur. Praecipue calcinatio in metallurgia et medicina adhibetur. His subiungitur quoddam exemplum calcinationis speciminis loco, nempe processus, quo antimonium diaphoreticum

cum

cum paratur ſimulque varia huc ſpectantia monentur.

Capite vigeſimo ſecundo conſiderantur pyrophori, ut pote peculiares calcinationis effectus. Hoc enim capite docetur, qualia corpora pyrophori ſint, ex quibus materiis et quibus modis iſti praeparentur cur tam protinus ab aere incendantur, et in quanam re diſcrimen pyrophori a phosphoro praecipue ponendum ſit. Nempe pyrophori in uniuerſum conficiuntur ex parte animali molli, aut vegetabili uſtulata et alumine crudo. Pyrophori igitur conuenientiam habent cum phosphoro ratione acidi ſalis communis et acidi vitriolici, quod in utrisque eſt, ſed ratione terrae a ſe inuicem diſcrepant. In pyrophoris enim latet terra calcarea, quam ab alumine, iſtam continente, acceperunt, in phosphoro contra terra vitreſcibilis. p. 352.

Caput vigeſimum tertium tradit ſolutionem. Exhibetur igitur hic ſolutionis notio; commemorantur corpora, quae vi ſoluendi inſtructa ſunt ſcilicet, aqua, aer, olea, ſpiritus vini, oleum vitrioli, ſpiritus nitri, ſpiritus ſalis, aqua regis, acetum, acidum formicarum, acidum phosphori, acidum ſalis fuſibilis urinae, liquor mineralis anodynus, ſpiritus urinoſi, lixiuium alcalinum; de ſingulis hisce dicitur, quaenam corpora ſoluant, quaenam minus, quid notatu dignum circa ſolutionem horum obueniat, quibus adminiculis ſolutio potiſſimum promoueri ſoleat. p. 358.

Solutioni annectitur doctrina de extractione, quam comprehendit caput vigeſimum quartum, in quo Cl. Auctor oſtendit, quaenam ſolutio eo nomine inſigniatur, quotuplices partes ſint, quas artifex extrahere cupit, quomodo effecta huius ſolutionis partialis vocentur, nimirum eſſentiae, tincturae, elixiria, extracta, mucilagines, gelatinae, reſinae, infuſa, de quibus deinde ſeorſim omnia ſcitu neceſſaria in medium adducit. p. 578.

p. 384. Capite vigeſimo quinto continetur praecipitatio. Declaratur, in quanam potiſſimum re iſta conſiſtat, quod diuidi ſoleat in humidam et ſiccam, perfectam et imperfectam, ſpontaneam et coactam, quae ſingulae quoque deſcribuntur. De praecipitatione humida Cl. Auctori tantum ſermo eſt. Huius cauſas iſte primum inueſtigat, putatque, praecipitationem fieri poſſe partim intuitu rei ſolutae, partim intuitu rei ſoluentis; deinde indicat nominatim res, quae talem mutationem vel rei ſoluenti, vel ſolutae, vel utrisque inferunt, ut praecipitatio eueniat: ſunt autem hae aqua, ſpiritus inflammabiles, liquores acidi, ſalia alcalina, ſalia media, ignis, frigus, euaporatio, corpora ſolutis ſecifice leuiora, corpora aliqua glutinoſa. Tum de his omnibus ſingulatim agit, quaenam corpora ſoluta a re ſoluente ſeparent. Poſt res praecipitatas et praecipitantes curatius conſiderat, et quid mutationis acceperint, oſtendit. Tandem quasdam regulas in praecipitandi negotio obſeruandas praecipit.

p. 400. Capite vigeſimo ſexto ea proferuntur, quae ad reductionem pertinent. Deſcribitur iſta operatio, eiusque fundamentum expenditur. Duplici nimirum modo metalla deſtructa reducuntur, partim, dum ipſis inflammabile, quod perdiderunt, principium redditur, partim, dum menſtrua corroſiua, quibus deſtructa ſunt, vel ipſa deſtruuntur, vel remouentur. Prius reductionis adminiculum ſuppeditat quodcunque corpus, inflammabilibus partibus refertum, qualia ſunt, carbo, ſapo, tartarus, ſeuum, pix, ſacharum, cera, fuligo, oleum lini, ſulphur, cinnabaris natiua, argilla, imo metalla ignobiliora. Poſterius praebent corpora vel alcalino terrea, vel alcalino ſalina, quorſum pertinent ſalia alcalia fixa, fluxus niger et albus, borax et creta. Attamen iſta reducendi norma non ſemper et ubique ſeruanda eſt; ſiquidem ſulphurea corpora calcibus metallorum ſali-

nis

nis reducendis, et alcalina calcibus non ſalinis reſtituendis impendi poſſunt. Paradoxa reductio eſſe videtur, cum calces metallorum ab acidis factae, per acida iterum reducuntur. Rem vero ita eſſe Cl. Auctor demonſtrat ſolutione auri, cui ſi acidum phosphori adiiciatur et miſcela e retorta deſtilletur, pars auri aliqua in reſiduo reducta deprehenditur. Reductio metallorum acidis corroſorum poteſt quoque ſine alcali adiecto fieri ſola fuſione, ſed modo ſub certa conditione. Calces metallorum ſunt vel fixae, vel volatiles, ad quas poſteriores refertur luna cornea atque ſaturnus corneus; utraque calcium genera peculiares procedendi rationes in reductione exigunt, quae a Cl. Auctore ante oculos ponuntur. In reliquis paragraphis adduntur quaedam de pondere, quod metalla ſub reductione perdunt, et de difficiliori fuſione calcium metallicarum.

Capite vigeſimo ſeptimo comprehenditur amal- p. 504.
gamatio. Statim ab initio huius capitis dicitur, quaenam operatio chemica ſub illa intelligenda ſit. Quo facto metalla definiuntur, quibuscum mercurius facilius aut difficilius coit; ſcilicet iſte cum plumbo, bismutho, zinco atque ſtanno promtiſſime in amalgama abit, paulo difficilius cum auro et argento, aegrius cum cupro et regulo antimonii, omnium difficillime cum ferro. Poſt modi et rationes traduntur, quibus mercurius optime cum ſupra dictis metallis amalgamatur. Sic auro, argento, plumbo atque ſtanno mercurius optime unitur, quando corpora iſta ante comminuta aut granulata, aut laminata, calefacta aut fuſa ipſi mercurio probe calefacto miſcentur, isque ipſis dupla aut tripla uſque ad decuplam adiicitur, maſſaque ſpatula lignea agitatur, donec facta ſit miſcela intimior. De amalgamate argenti ſimul notatur, quod hoc maiorem grauitatem ſpecificam monſtret, quam haec duo corpora ante commiſtionem coniunctim habuerunt. Amalgamatio

mercurii cum ferro ſequentem in modum praeſcribitur: *ſume elimatam ferri ſcobem, eique adfunde ſolutum in aqua communi vitriolum ſiue Hungaricum, ſiue aliud venereae naturae; ita concuſſo fortiter vaſe, notabis mox omnem illam ſcobem, aenea quaſi bractea obuolutam; quo conſpecto, affunde triplum, vel eo amplius mercurii, quaſſa hinc inde vaſculum, et videbis pene momento confectum amalgama, in ſpeciem optimam.* At enim vero recte monet Cl. Auctor, hoc eſſe nihil, niſi perfunctorium amalgama. Mercurius metallis ac ſemimetallis amalgamatione unitus, iſta adeo ſubtilia reddit, ut non ſolum ex parte per corium, accedente preſſione, transgrediantur, ſed et ex parte, deſtillatione fortiori adhibita, euehantur.

p. 410. Subiungitur huic capiti vigeſimo octauo reuiuificatio, eoque capite inſtitutiones chemiae ad lectiones academicas accommodatae finiuntur. Mercurius reuiuificandus ſeu reſuſcitandus, vel ſulphure, vel ſalibus, vel metallis cinctus eſt, prout videre licet, in aethiope minerali, cinnabari, mercurio ſublimato, mercurio dulci, mercurio praecipitato albo, turpetho minerali, amalgamate; ſi prius, liberatur optime metallis, excepto auro; ſi alterum, alcalinis fixis ſalibus, et terris alcalinis; ſi tertium, ſolo igne: deſtillatio autem ſimul adhibenda eſt, et ſingularis deſtillandi ratio. Reſuſcitatur quoque e ſolutionibus ſola praecipitatione, veluti ſpiritu vini, aquae forti, quae mercurium ſolutum tenet, adfuſo, itemque zinco, cupro atque plumbo. Ex combinatione corporum mercurialibus in deſtillatione additorum varia noua compoſita exſurgunt.

XII.

XII.

De Incruſtato agri gottingenſis commentatio phyſico-chemica, Auctore RVDOLPH AVGVST VOGELIO, Med. Doct. et Prof. publ. acad. imper. nat. cur. ſodali. Gottingae, apud Eliam Luzac. 1756. 8. pl. 3½.

Cum neminem ex literato ordine magis deceat foſſilium rerum contemplatio, quam eum, qui in corporum chemica diſquiſitione verſatur, mirum non eſt Cl. Auctorem, utut in Chemia ſollertiſſimum, productum quoddam ex minerali regno ſuis experimentis dignum iudicaſſe, et quae ad eius naturam cognoſcendam inſtituit, pericula cum lithophilis communicaſſe. Eum vero in tractatione ſequutus eſt ordinem, p. 5.
ut prius, quam ipſam incruſtati deſcriptionem et diſquiſitionem tangat, pauca quaedam de aqua ſimplici, utpote omnium incruſtatorum materiali cauſa praemittat. Non vero aquam ut elementum, ſed ut mixtum ac diſſimile corpus conſiderat et data eius definitione, de partibus, conſtitutiuis hoc liquidum, agit, quas vel putrefactionis vel deſtillationis vel ſolius agitationis ſeu triturationis ope detexit atque cognouit. Exhibet vero his tentaminibus explorata p. 9.
aqua tum terreas, tum ſalinas, tum inflammabiles partes. Terream partem ex calcarearum genere eſſe conflictus eius cum acidis liquoribus; expulſio ſalis urinoſi, quam praeſtat cum ſale ammoniaco mixta; ſolutio eius in ſalis acido, quae adfuſo alcali praebet praecipitatum ſeleniticum, utut characterem terrarum calcarearum proprium, comprobant. Cum vero interdum eueniat, ut haec terra in ſalis acido non ex toto ſoluatur, ſed reſtet parca portio haud ſoluta actionemque omnium acidorum reſpuens, aliud adhuc terrae genus in aqua latitare dilucide apparet. Ex ſelenite p. 14.
euincit Cl. Auctor principium acidum vitriolicum

aquis licet non ſemper aperte immiſtum, cum nullum, niſi vitriolicum ſal, nec ulla, niſi calcarea terra mutuo congreſſu ſelenitem producere valeant. Ineſſe omni aquae ſalinum et quidem acidum principium ex ipſa terrae praeſentia patet, quae non niſi in acido quodam ſoluta, aquae ſeſe intime miſceri patitur. Duplex vero acidum et pluuiatili et niuali inhaerere aquae Cl. Auctor affirmat, ſalis nempe communis et illud nitri; cuius praeſentiam multis ac ſolidis demonſtrat experimentis, quamuis a plurimis iisque grauiſſimis Chemicis nitrum aquae immixtum ſoleat
p. 19. negari. Vnguinoſas ſiue inflammabiles partes aquae ex odore bituminoſo, quem ſpargunt terrae aquarum in ſalis ſpiritu ſolutae; ex ſpuma in filtro, per quod traiectum fuit inſpiſſata aqua; quin et ex ipſa, quam ſubit aqua, putredine ſatis ſuperque patere exiſtimat. Martiale demum aquae principium et Cl. MARGGRAFIVS, et quod inſtituit Auctor pulueris gallarum ope, experimentum docent.

p. 22. His igitur de aqua pura praemiſſis, de ortu incruſtatorum in genere exponit. Omnia incruſtata producuntur ab aqua, quanquam in ipſo oriundi modo differunt. De ſolius naturae in efficiendis incruſtatis opera agens, methodum, qua arte diſponitur ad terrae ſuae depoſitionem aqua, ſilens praetermittit. Sola ſibi relicta aqua vel guttatim deſtillans, vel len-
p. 13. tiſſime per canales fluens terram ſuam demittit. In priori caſu in lapidem mutari ſolet aqua, vel antea quam deciderit, et ſtirias in cameris pendentes format; vel cum eius guttae iam deciderint, vel et utroque modo. In poſteriori vero caſu, ſi nempe lente permeat riuos, vel cortice obducit conjecta in eam corpora, vel ad canalium parietes et fundum
p. 25. materiem terream deponit. De incruſtatorum tandem varietatibus dicit, et cum a WALLERIO quatuor, a CARTHEVSERO quinque conſtituantur ſpecies, tantum abeſſe monet, ut hic ſufficiat numerus, ut potius

tius in dies poſſit augeri ea propter, quoniam partium, aquam conſtituentium miſcela mire variet, et inde innumeras fere incruſtatorum differentias producere valeat.

Id, quod nunc diſquirere tentauit Cl. Auctor, in- p. 28.
cruſtatum copioſe ad officinam chartariam prope *Wendam*, pagum Gottingae proximum, inuenitur. Et circumiacentem regionem, et riuuli, cuius aqua hoc productum ſiſtit, ortum ac proprietates ulterius deſcribit. Obducit hoc incruſtatum corpora, vegetabilia maxime, e. g. muſcum, ita, ut integrum nec mutatum deprehendatur, et iure itaque ex petrefactorum numero eximatur. Ad latera vero canalium quod reperitur, ſiſtit corpus ſolidum, ex ſtratis ſibi inuicem ſuperimpoſitis conſtans, figura modo rotunda, modo, ut oſteocollae, fiſtuloſa, modo, quod tamen rarius euenit, tuberoſa. Duritie lapidibus cedit, quan- p. 31.
quam terris ſit ſolidius. Color ipſi eſt ex cinereo albicans, interdum viridis, qui a muſci foliis dependere videtur Cl. Auctori; ſplendet in quibusdam partibus ob ſeleniticas moleculas, quae ſuperficiem illius quodam modo aſperam reddunt.

Ad experimenta inſtituenda adhibuit fruſta maio- p. 33.
ra, nullis vegetabilium partibus inquinata, aqua abluta et a ſordibus repurgata, in tenuiſſimum puluerem contrita. Qui quidem puluis, et mineralium acidorum adfuſione, et calcinatione et ſalis ammoniaci admixtione et ſulphuris miſcela tentatus, prorſus ut alcalina terra fuit deprehenſus. Vt tamen certiores reddere queat Lectores de genere huius terrae, peculiare experimentum prioribus adiunxit. Separare p. 39.
nimirum repetita adfuſione aquae nouae terram hanc ab altera, quam admixtam cognouit, conatus eſt, et hoc modo duplicem, aliam ponderoſam ſubſidentem, aliam leuem et farinoſam accepit terram. Huius p. 41.
portionem cum dimidia parte ſalis ammoniaci mixtam, in crucibulo calcinauit fortiter, et hinc, emiſſo

prius

prius urinoſo vapore, maſſam obtinuit, quae deli-
p. 43. queſcens oleum ſiſtebat calcis. Ponderoſus vero pul-uis variis periculis exploratus ad vitreſcibilium terra-rum genus a Cl. Auctore refertur.

p. 47. Adiicit in fine, ut pateat interna incruſtati indo-les ac mixtio, ea, quae deſtillatione inde ſeparauit. Eduxit nimirum ex ſedecim unciis pulueris huius, igne reuerberii, duas drachmas limpidi et pellucidi liquoris, omnis empyreumatis expertis, et tam odo-re, quam aliis qualitatibus urinoſi. Qui tamen li-quor, quod mirum, cum liquoribus acidis nec effer-
p. 49. buit, nec in calcis oleo turbationem excitauit. Ex quo quidem clare patere affirmat Cl. Auctor ſalis uri-noſi in mineralibus ut educti, non ut producti, prae-ſentiam. Reſiduum puluerulentum nec colore mu-tatum erat, et cum ſale ammoniaco mixtum et de-ſtillatum moderato ignis gradu, ſpiritum dedit uri-noſum, cum acidis mineralibus, neutiquam vero ve-getabilibus, efferueſcentem.

XIII.

XIII.

Der krebsartige Kiefenfuß mit der kurzen und langen Schwanzklappe, beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *Evangel. Prediger in Regensburg, der königl. deutſchen Geſellſchaft zu Göttingen, wie auch der Geſellſchaft der freyen Künſte zu Leipzig Ehren-Mitgliede. Nebſt ſieben Kupfertafeln mit Figuren in Farben. Regensburg, gedruckt bey Emanuel Weiß.* 1756. 4. pl. 18.

i. e.

Apus cancriformis cum caudae proceſſu et breuiori et longiori, Auctore IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFERO.

Vtut ſaepius in aliis rebus, ſic et in hiſtoriae naturalis cultu ſolet fieri, ut ea, quae exterae alunt regiones, magni faciamus, iis vero in noſtris terris analoga pedibus calcemus vilique pendeamus. Idem contigit animalculo iſti, quod nunc deſcribere conatus eſt Cl. Auctor. Dudum enim ut Muſaeorum cimelium mirati ſumus *cancrum moluccanum*, cuius tamen ſimilitudinem hoc noſtrum inſectum ex aſſe exaequat. In tractatu, quem de apode piſciformi orbi literario tradidit, Cl. SCHAEFFER iamiam mentionem huius animalculi iniecit. A Cl. FRISCHIO * ſub nomine *vermis aquatici, ſcuto tecti, pedibus pinnatis inſtructi* (*Floßflüßiger Seewurm mit dem Schilde.*) a Cl. KLEINIO ** *ſub ſcolopendrae aquaticae ſcutatae*, et ab

* vid. *Beſchreibung von allerley Inſekten in Deutſchland.* X *Theil.* pag. 1. 2. Tab. 1.

** Philoſophical-Transactions. N. 447. p. 50.

ab Ill. LINNAEO * ſub *monoculi cauda biſeta* deſcriptum fuit. Cum tamen horum cell. virorum deſcriptio ob varias, quas adduxit Noſter, cauſas breuis admodum et ad rite cognoſcendum hoc inſectum vix ſufficiens deprehendatur: fuſiorem et accuratiorem diſquiſitionem eius inſtituere nullus dubitauit.

p. 4. Diuidit libellum in quinque ſectiones, in quarum *prima* de externis apodis partibus, in *ſecunda* de internis organis agit; in *tertia* eorum viuendi, nutriendi ſeſe et propagandi modum explicat; *quarta* experimenta cum ipſis inſtituta una cum comparatione eius cum cancro moluccano, et *quinta* tandem nouam ſiue alteram apodis ſpeciem continet, cui accedunt et nominis vindicatio et varia addita corollaria. Fuſe omnes externas partes animalculi exponit, quas tamen cunctas hic apponere inſtituti vetat ratio. Sufficiat tantum allegare pauca quaedam ut ſibi ideam eius quilibet formare poſſit. Corpus ex annulis ſibi appoſitis, variisque ſetis inſtructis conſtat, quod tegitur ſcuto quodam corneo, figurae ellipticae, in parte poſteriori in trianguli modum exciſo. Prominent antennae tres, a primo pedum pari prodeuntes, et cauda in duas terminatur ſetas longas. Pedum ſeu coſtarum, ut nominat Auctor, numerus non ita definiri poteſt; conſtant vero ex articulis corneis, rotundis, quibus adhaerent ſquamulae membranaceae et veſiculae liquore quodam repletae. Primum par, ut iam ſupra dictum fuit, antennas ſiſtit, et a Cl. Auctore *remiges* (*Ruderfüße*) appellatur.

p. 22. Nouem, quae ſequuntur, paria in articulorum extremo forcipe ſunt munita, et *forcipatorum* (*geſcheerte Füße*) nomine inſigniuntur. Decimum par *uterinum* (*Mutterfüße*) vocat Auctor, cum ouarium in ſe contineat. Vndecimum et, quae hoc ſequuntur, reliqua a prioribus eo tantum differunt, quod dicta forcipe ſint deſtitu-

* Syſtema naturae p. 68. n. CII. 11. Fauna Suecica pag. 344. n. 1181.

deſtituta, cuius loco ſquamula ipſis eſt. Ampliores in artuum deſcriptione eſſe non poſſumus, cum nimis longa foret haec explicatio, quippe cum, ut ex adiecta patet tabula, plus quam 2000000 membra in hoc animalculo detexerit ac deſcripſerit Cl. SCHAEFFER. p. 62.

Ad alteram ergo accedamus ſectionem, et quae in ipſa adtulerit Auctor, breuiſſimis indicemus. Agit in ea de internis partibus apodis, quas duplici modo conſiderat. Alia in cranii, alia in abdominis latent cauitate. Prioris generis ſunt oculi, cerebrum, vaſa ſecretoria, et quaedam, quibus nomen impertire non audet. Secundi generis ſunt cor, ventriculus, inteſtina, ouarium cum tubis, et alia, quae pro more ſuo, id eſt, doctiſſime et accuratiſſime delineat omnia.

De viuendi, ſeſe nutriendi ac generandi modo horum vermium tertia exponit ſectio. Habitant in aquis ſtagnantibus paludoſis, in quibus aeſtatis tempore copioſe inueniuntur. Raptu viuunt, et inſectis minimis aquarum ſtagnantium veſcuntur. Cuticulam, ut cancri deponunt, de quo phaenomeno multa diſputat Cl. Auctor, et nouam cutim ex ſucco, in veſiculis pedum detento, formari coniicit. Generantur ex ouis, dubium tamen, num ſexus differentia in iis deprehendatur. Addit huic ſectioni, quas microſcopii ope detexit, obſeruationes. p. 81.

In quarta ſectione continentur varia, quae et de viuendi et mouendi ratione inſtituit, experimenta, quibus tandem addit *moluccani cancri* comparationem, eumque maximam cum noſtro animalculo alere conuenientiam demonſtrat. p. 123.

Vltima ſectio nouam apodum ſpeciem deſcribit, qua in omnibus cum hacce conuenit partibus, excepto proceſſu intra binas caudae ſetas poſito. Varia tandem apponit et de nomine et de claſſificatione apodum, variaque conſtituit genera, *piſciformium* nempe, *cancriformium*, *conchaeformium* (quo nomine p. 134.

abyſſum

abyſſum ſatanae LINNAEI indigitat) et *puliciformium*; ſpecies tamen diuerſas, non niſi in cancriformium genere, ipſi innotuiſſe declarat. Coronidem libello imponunt varia adhuc adnotata, quibus numinis diuini ſapientiam et ex hoc animalculo euincere ſtuduit. Monemus inſuper hocce apodis genus et hic Lipſiae in locis paludoſis copioſiſſime inueniri, quamquam poſterioris ſpeciei exemplum nunquam a nobis fuerit deprehenſum.

XIV.

Hans Maj:ts Adolf Friderieks vaor allernaodigſte Konungs Naturalie Samling innehaolande ſaolſynte och fraemmande Djur, ſom bevaras pao kongl. Luſt-Slottet Vlricksdahl; beſckrefne och afritade ſamt pao naodig befallning utgifne af CARL LINNAEVS. Stockholm, tryckt uti kongl. Tryckeriet. hos direct. Pet. Momma. 1754.

et

Muſaeum S:ae R:ae M:tis Adolphi Friderici Regis Suecorum cet. in quo animalia rariora, imprimis et exotica quadrupedia, aues, amphibia, piſces, inſecta, vermes deſcribuntur et determinantur latine et ſuecice cum iconibus. Iuſſu ſac. reg. Mai. a CAROLO LINNAEO, Equ. Holmiae ex typographia regia direct. Petr. Momma. 1754. fol. reg. 1 alph. 3 pl. c. tab. aen. XXXIII.

Quantum et ad conformandos ſubditorum mores et ad excitandos eorum ad hoc illudue tractandum ſtudium animos facere poſſit regis exemplum, intelligens Sacra Regia Suecorum Maieſtas; ut ad hiſtoriae

ſtoriae naturalis culturam ſuſcipiendam et inde oeconomicum ſtudium perficiendum concitaret ſuos, ex variis exteris regionibus apportari iuſſit ea, quae eruditorum attentam mereri viſa ſunt conſiderationem. Splendidum igitur in arce ſua, cui eſt nomen *Vlrichsdahl*, Rex auguſtiſſimus exſtruendum ac colligendum curauit muſaeum, in quo conſeruatur in ſpiritu vini animalium fere omne genus, quadrupeda, aues exenteratae atque inſecta; ipſa vero Regina auguſtiſſima, ſtudii naturalis amore maxime ardens, arcem ſuam *Drotningholm*, conchyliorum, coralliorum et cryſtallorum inſigni numero ita exornauit, ut, an huius generis ulla exſtet collectio, quae cum hac conferri ac comparari queat, dubitandum ſit. Vt igitur populi ſui, qui ab aula diſcit amare creatoris miracula et naturae opera, felicitas exteris quoque innoteſcat gentibus, datum fuit Ill. LINNAEO horum theſaurorum indicem conſcribendi et publicae luci exponendi negotium, quo omnino digniorem ac huic operi magis parem inuenire non potuiſſent Auctorem. Prodiit igitur eius cura ſplendidiſſimum hoc, quod de animalibus exponit, opus. In eorum diſpoſitione ſyſtema naturae ab ipſo elaboratum adhibuit eumque ſecutus eſt ordinem, ut primo loco genericum nomen, poſtea ſynonyma locumque, quem inhabitat, tunc ipſam animalis eiusque partium organicarum et ad ſyſtema condendum aptarum deſcriptionem apponeret, tandem quibus a congeneribus ſpeciebus differat partibus, ſedulo annotaret. In praefatione praemiſſa docte ac ſolide, ut ipſi mos eſt, de variis animalium proprietatibus, colore, magnitudine, corporis fabrica ac figura, munimentis, et quae ſunt alia, diſſerit, atque quod inde ad ſummi creatoris ſapientiam celebrandam, et ad naturae ſtudium excolendum incumbat homini, officium optime declarat. Cum enim, multa quamuis ſint detecta, plura tamen adhuc recondita et nepotibus forſan reſeruata deprehendan-

hendantur, allaborandum ſemper eſt cultoribus, ut detegant ea, quae latent, ut inde omnes ſcientiae, antiquitates, hiſtoria, geographia, phyſica, ſcientia naturalis, botanica, mineralogia, diaeta, pathologia, medicina, materia medica, oeconomia, artesque manuales in diem incrementum capiant et poſteritatis muſaea augeantur et inſtructiſſima euadant. Nitidas ſummaque arte celatas figuras addidit, quibus exprimuntur duae ſimiarum ſpecies, *appellam* nominat priorem, *capucinam* alteram, quas anguium ſerpentumue genera excipiunt plura.

XV.

Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch, das iſt, ELISABETH BLACKWELL *Sammlung der Gewächſe, die zum Arzney-Gebrauch in den Apotheken aufbehalten werden, deren Beſchreibung und Kräften; aus dem Engliſchen überſetzt, angezeiget, die Abbildung großen Theils nach der Natur verbeſſert, mit Beyfügung der Theile der Blume und Frucht, wie auch des äußerlichen Anſehens eigenen Kennzeichen vermehret, und alle Arten mit bewährten Nahmen der Kräuter-Lehrer erläutert werden. Zweytes Hundert. Mit einer Vorrede Herrn Doct.* CHRISTOPH IACOB TREWS. *Verlegt, gemahlt und in Kupfer geſtochen von Nicolaus Friedrich Eiſenberger. Nürnberg,* 1754. fol. text. pl. 23. praef. et catal. pl. 8.

h. e.

Herbarium Blackwellianum emendatum et auctum, id eſt, ELISABETHAE BLACKWELL,

WELL, Collectio Stirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum uſum aſſeruantur, quarum deſcriptio et vires ex Anglico idiomate in latinum conuerſae ſiſtuntur, figurae maximam partem ad naturale exemplar emendantur, floris fructusque partium repraeſentatione augentur, habitus externi notae propriae adduntur, et omnes ſpecies probatis botanicorum nominibus illuſtrantur Centuria II. Cum praefatione D. CHRISTOPH. IACOBI TREW. Excudit, figuras pinxit atque in aes incidit *Nicol. Frid. Eiſenbergerus.*

Serius quidem, ac titulus indicat, prodiit huius herbarii, cuius ſupra potiora momenta adduximus*, centuria ſecunda; nuper enim demum integra in lucem emiſſa eſt: nemo tamen retardatae editionis culpam in eos, qui ad eius perfectionem promouendam laudabilem et aſſiduam adhibent operam, coniiciendam eſſe exiſtimabit, quod a non nullis factum fuiſſe ſcimus, qui curatius rem penſitauerit. Quodſi partim eas acceſſiones, quae exemplari Blackwelliano fuerunt adiunctae, et tum in iconum emendatione, tum in laborioſa et difficili auctorum diſquiſitione, comparationeque conſpiciuntur, attente conſiderauerit, partim illos viros, qui in elaborando emendandoque hoc libro operam nauant, eius modi diſtentos negotiis audiuerit, quae minime permittunt, ut omnem, quam velint, huic ſoli dicent laborem, multum temporis requirentem, non oſcitantiae, ſed feruoris, ne plane incomta prodeant, ſignum iudicabit impeditam et protractam editionem. Varia habuit haec emendata editio fata, quae iam eo tempore, ubi de prima diximus centuria, ſimul ex-

 poſui-

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 73.

posuimus, post Ill. TREWIVM cura eius commissa est Cl. LVDWIGIO nostro, illo tamen aliis, quae tempus subripiebant, negotiosis actionibus detento, eius ex voluntate tum Cl. BOEHMERO, nunc penes Vitebergenses Anatomiae et Botanices professori, tum Cl. BOSIO, in nostra academia Botanices professione fungente, cura illius demandata fuit, quibus, etsi omni studio operis strenuam continuationem molientibus, tantum tamen supereſſe semper non dabatur occasionis, quae haud interruptam permitteret editionem. Nunc autem rem eo deueniſſe sciendum est, ut breui tertia sequatur centuria, et superstites reliquae intra anni circiter spatium ad finem perducantur.

Praemisit autem huic etiam centuriae beneuole Ill. TREWIVS praefationem, animusque ipsi fuit, duos adhuc adiungere indices, quorum alter non plenos tantum allegatorum operum titulos et primaria eorum momenta traderet, verum etiam breuia simul de iis iudicia contineret, quae vero ad auctorum singulorum famam fidemque pertinent, scire cupientes ad Ill. HALLERI opus de methodo studii medici ablegauit: alter opera botanica, in collectione splendida et fere completa Ill. viri occurrentia, sisteret. Verum ingruentes varii morbi hominumque, quibus suum consecrat leniendis studium Ill. TREWIVS, miseriae, ne ulterior iniiciatur mora, ultimum hunc promissum indicem in aliam opportunitatem reseruare eum coegerunt.

Quae tandem in ipso opere fuerint praestita, multis edocere non putamus necesse futurum, quum eadem prorsus sit ac primae centuriae ratio, nisi, quod varii recentiores scriptores botanici fuerint additi, totiusque plantae et earum partium, ad fructificationem potissimum spectantium, subiectae descriptiones. Obscurae admodum sunt veterum descriptiones plantarum, aliqua non satis clara in ipso BLACK-

WEL-

WELLIAE opere, hinc etiam ab humanitate lectorum expectandum est, ut, si hinc inde aliquid, quod naturae non respondeat, inuenerint, modeste moneant, data occasione emendandum. Interim et ii, qui plantarum conquirendarum facultate destituuntur et earum potissimum, quae officinas ingrediuntur, quandam cognitionem sibi comparare voluerint, qua nullus destitui debet medicorum nomen ingenuorum tuitus, largam admodum messem in hac quoque centuria collectam inuenient, in primis, quod exoticarum etiam numerus rariorumque haud est exiguus, simulque habet eorum, ex quibus ulterius proficere licet, scriptorum indicem.

XVI.

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften, aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Hamburg und Leipzig. Bey Georg. Chriſt. Grund, und Adam Heinr. Holle. 1756. 8. *Sechzehnter Band* 1 *Alph.* 19 *Bog. Siebzehnter Band* 1 *Alph.* 20 *Bog.* 4 *Kupfertafeln.*

i. e.

Promtuarium Hamburgenſe ſiue collectio ſcriptorum ad phyſicam humanioresque litteras ſpectantium. Vol. XVI et XVII.

In recenſendis iis, quae continebat Promtuarium Hamburgenſe, multi hactenus fuimus, ita, ut ſingula fere cuiusuis Voluminis capita copioſo ſermone exponeremus, vel eorum, ſi ex aliis ſcriptis cognitis translata erant, titulos tamen et inſcriptiones adderemus; ſed mutare hanc expoſitionis rationem ob plures cauſas iam animus eſt, in primis quod paruus ſcriptorum, quae primum hic in publicum eduntur,

inſignis contra eorum, quae ex aliis translata inſeruntur, ſit creſcatque numerus: atque adeo nos tantum eorum, quae hic primum prodeunt, mentionem tribus verbis iniecturi ſumus, reliqua ut verſiones, excerpta et compendia, ex aliis facta ſcriptis, vel controuerſiarum gratia inſerta, vel leuioris argumenti lubentes praeterituri ſilentio.

p. 92. *Vol. XVI. Part. I. no. 7. Spiritum balſamicum conſeruandis auibus quadrupedibusque animalibus perquam idoneum* parare docet Anonymus quidam Auctor ex ſpiritus vini unciis duodecim, gummi ſandrac et camphoraeana uncia una, rad. angelic. caryophyll. aromat. flor. ſpicae ana drachmis duabus. Praeter quem ſe etiam calce viua et ſale communi cum ſucceſſu optimo uſum fuiſſe in conſeruandis variis animalibus fatetur idem, ita, ut exuuiarum illarum materie iſta farcitarum forma, pili vel plumae ab omnibus externis iniuriis diu permanſerint liberae.

p. 95. *No. 8. In cornicis cerebro lapidea concretio* ſedecim granorum, alba, bulbi in modum ex tunicis multis compoſita, caſu quodam inuenta fuit, quum puer aliquis ſibi a venatore quodam expeteret cornicis cerebrum, veluti ſpecificum ad pernniones diſcutiendos vulgo laudatum.

p. 97. *No. 9. Virum quendam a pectorali medicamento alui purgationem vehementiorem expertum* fuiſſe traditur. Vir fuit octoginta circiter annorum laborans tuſſe et haemorrhoidibus; quarum fluxu ſublato, ſuperfuit tuſſis et materiae viſcidae albae ſputum. Deſideratur a medico purgans, ſed miſſum ab hoc fuit potius pectorale ex Elix. pect. Wedel. eſſent. Succin. ſaſſafr. ana drachma una Gummi ammon. drachma ſemiſſe paratum. A bis ſumtis huius medicinae guttulis quinquaginta ſaepe vehementerque aluus mota fuit, ut etiam ob dolores et tormina medicus vocaretur; qui accedens datis laudani cydoniati granis duo

duobus, in vini rhenani uncia una ſolutis, applicatisque ventri ſacculis calidis, herbarum intus contentarum vapore grauidis, mox ſedauit dolores omnemque ventris fluxum nimium. Quum ſenex iſte a medico purgans poſtulauerit, Anonymus Auctor ponit in eius imaginatione cauſam contrarii huius effectus.

No. 10. *Puer quidam globulum orichalceum, quo utimur ad induſia ſubliganda, faucibus octo hebdomades haerentem tuliſſe* legitur. Ioci forte gratia globulum iſtum in ore tenens puer, inopinato eumdem deglutiit, ita, ut haereret adhuc in faucibus. A data aqua calida butyrata et pane multo nullum leuamen ſequitur, globulus potius profundius protruditur; neque unguentum aliquod adſumtum auxilium adfert. Deglutitio ſolidioris cibi prorſus impeditur, naſcitur doloris acuti et preſſionis in faucibus ſenſatio, interdum etiam nauſea. Tandem vel fluidioris alimenti prohibetur deglutitio. Quatuor ſeptimanas poſt doloris non adeo vehemens fuit ſenſus, ſed obſcura aliqua corporis cuiusdam per oeſophagum deſcendentis perceptio tentatusque ſaepe deglutiendi niſus, licet, quod deglutiret, non haberet. Ad anonymum huius obſeruationis auctorem puer aliquando acceſſit, morbique ſui dedit hiſtoriam, Noſter dedit puero puluerem abſorbentem cum purgante; quatuordecim dies poſt leuatum ſe retulit puer ab adſumtis medicinis, ut iam deglutire paullo ſolidiorem cibum poſſet, ſuperſtite tamen adhuc in faucibus ponderis moleſto ſenſu. Noſter iuſſit puerum ſe replere multis cibis atque ſtatim redire ad ipſum pleno ventriculo. Id, quod quum puer eodem die perfecerat, Noſter ipſi dedit potionem vomitoriam. A qua pota duas horas poſt felici euentu reiectus fuit vomitu globulus. Huius inter vomendum e carne factam ſeparationem ſe percepiſſe narrauit puer. Multum ſanguinis et puris ſimul reiectum eſt. Magna pars globuli conſumta et circum circa viridi tincta colore apparuit. A p. 103.

dato ſpermate ceti cum ſaccharo et oleo amygdalarum dulcium intra tres dies ſanata fuerunt omnia, conualuitque puer.

p. 106. *No.* 11. *Plantaginem anguſtifoliam* obſeruauit alius, qui nomen ſuum ſiluit, in horto cerdonis cuiusdam tam lautum cepiſſe incrementum, ut caulis ulnam unam et dimidiam, folia autem ſingula ulnam ſemiſſem aequarent longitudine. Tanti incrementi cauſa inuenta fuit magna pilorum calce viua permixtorum congeries, latens ſub radice plantae iſtius. Cuius vero cauſae virtutem foecundantem ut experiretur Noſter, vere nouo ſub mali, pruni et pyri radicibus proiecta fuit maſſa ex reliquiis coriaceis cerdonum, calce viua et putreſcente aqua facta. Arbores omnino laetius inde floruerunt, praeter malum, cuius rami non nulli emarcuerunt, forte calcis viuae vi nimium adeſi; quibus tamen reſectis, arbor iterum viguit fructusque tulit. Sequenti anno eadem cum vite, cum braſſica capitata alba et caulorapa tentata felici euentu fuerunt, ita, ut uuae citius maturuerint, braſſicae vero folia et radices lautius ceperint incrementum.

p. 109. *No.* 12. Cl. SCHVLZE tentamina exponit *cum ſpecie Asbeſti*, extus ligno carioſo ſimilis viſi, inſtituta. In muſeo regio dreſdenſi ſeruatur haec Asbeſti ſpecies, pondere valde leuis, ceterum colore reliquaque forma adeo ſimilis ligno guaiacino fere corrupto, ut illum vix crederent plures eſſe asbeſtum vel minerale corpus. Hinc Noſter eius naturam accuratius diſquiſiuit variis factis experimentis, inuenitque omnino eſſe illum Asbeſti martialis ſpeciem. In aqua enim mox fundum petiit eius iniecta portio parua, breuique poſt intumuit multum, odorem ſimul ſpargens terreſtrem, argillaceum. Contrita aquam calidam colore flauo, nullo contra ſapore imbuit. Aqua fortis huic corpori ſuperfuſa non efferbuit, tincta vero colore luteo. Portio asbeſti hic tentata alba facta,

magis-

magisque asbesto similis fuit. Sub microscopio integra et contrita et igne et aqua forti tractata portio ostendit parua filamenta sibi inuicem superimposita, nullis tamen, ut in ligno solet esse, inter ipsa relictis cauernulis. Igne vehementi iniecta portio sparsit aliquem odorem bituminosum, nullum vero fumum nullamque flammam. Ex igne exemta apparuit maculis ex flauo rufescentibus inquinata, ceterum immutata, ponderis nondum amisso grano unico. Sub speculo caustico, intra minutam secundam alteram, absque ullo emisso fumo, transiit in vitrum nigrum satis durum et compactum.

Part. III. no. 5. *Ad pigmentum coeruleum berolinense cineribus clauellatis aeque uti nos posse ac nitro fixo*, demonstrat G**, non nulla addens de pigmenti istius genesi. Quum alcali fixo opus sit ad pigmenti dicti genesin, perinde erit, immo utilius, adhibere cineres clauellatos depuratos, qui purum dant alcali fixum viliorique pretio acquiri possunt, quam nitrum fixum. In essentialibus enim utrumque a se inuicem non differt, neque nitrum fixum aliquid insuper in se continet, quod desideretur in cineribus clauellatis, quodue ad pigmenti laudati naturam multum faciat. Pigmentum autem illud generari Nostro visum est, quando terra aluminis et ferrum, quod inest vitriolo, addito alcali fixo, suo acido priuantur atque praecipitantur; ferrum autem, ab addito phlogisto, coeruleo colore imbuitur, et ne rubigine exedatur, veluti vernice quodam obducitur. p. 317.

Part. V. n. 1. D. IOHANN. FRIDERIC. GLASERI Physici adiuncti Suhlensis ad D. FERDINAND. CHRISTOPH. OETINGER Physicum Vracensem epistola responsoria legitur, exponens *usum et fabricam machinae, qua sanguinis e vena missi pondus et mensura definiri potest.* Cl. GLASER a se inuentae machinae p. 451.

chinae huius deſcriptionem iam dederat alio tempore in diario, quod inſcribitur: *Berliniſche Bibliothek*, 3 *Band. pag.* 536. Cl. OETINGER autem in alio diario, *Stutgardiſcher Sammlungen 8ten und 9ten Stücke* inſeruerat litteras ad Noſtrum GLASERVM datas, in iisque tum huius auctoris inuentum laudauerat, tum generatim, quam neceſſaria ſit ponderis et copiae ſanguinis miſſi diſquiſitio, demonſtrauerat. Ad quas litteras iam reſponſio Cl. GLASERI data eſt fuſo ſatis atque copioſo ſermone exarata, ut excerptum inde vix huc transferri poſſit.

p. 486. *No.* 3. I. F. O. Correſpondens ſocietatis Gottingenſis, enarrat *ſe etiam in Holſatia obſeruaſſe polypos.* Ipſe fatetur noua et, quae differant a TREMBLEY et SCHAEFFERI obſeruatis, ſe non propoſuiſſe. Confirmat autem ſuis obſeruationibus Virorum illorum dicta egregie. Quae enim illi de colore, motu, voracitate et ex diſſectis generatione polyporum expoſuerunt, eadem Noſter ſimili modo obſeruauit.

p. 551. *No.* 7. Cl. SCHVLZE *de lapidibus cochleatis* (*Schraubenſteine*) de quibus iam alibi fuit expoſitum* non nulla adnotauit. Lapides hos nimirum neque ſub eodem volumine, neque ſub eadem forma, quae ipſis fuit propria atque naturalis, iam a nobis conſpici affirmat. Sunt enim adhuc inter ipſorum latera et lapidem ferrugineum, in quo deliteſcunt, caua relicta, quae non tota explent: porro in ipſis his cauis et quidem lateribus lapidis ferrei apparet typolithus, cuius eminentiae et ſulci non adeo profundi ac illi lapidis cochleati ſunt, atque inuicem etiam ſeſe mutuo coniungunt, ita, ut eminentia matricis attingat illam methroliti: tandem autem ipſi ſulci non ſunt ſpirales, ſed ſinguli ſingularem efficiunt circulum. Ex quibus colligit Noſter omnino mutatam aliquando eſſe ſuperficiem lapidum cochleatorum, cauſamque huius mutationis eamdem exſtitiſſe, quae mutauerit matricem in ferrum,

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. III. p. 477.

rum, aquam puta martiatam in caua eius introductam. Quum autem porro adſerit idem multam deprehendi horum lapidum atque entrochorum, *Walzenſteine*, analogiam, atque hos ipſos a ſtella marina pedunculata, qualem nuper deſcripſit MYLIVS * atque ELLIS ** ſuam traxiſſe originem ſatis conſtet; iure ſuo etiam Cl. SCHVLZE arbitratur eamdem ipſis hisce lapidibus ſtatuendam eſſe originem.

Part. VI. n. 1. Vulnerum reſpectu lethalitatis diſtinctiones non nullae exhibentur. Vulnus generatim ſi ſpectes, eſt ſolutio omnis partium mollium viui corporis, inſtrumentorum externorum ope facta. Si vulnus ita comparatum eſt, ut aeger eodem mori poſſet, vel non, illud *lethale*, hoc *non lethale* dicitur. Vulnus autem lethale adnotat anonymus Auctor non definiendum eſſe id, quo aegrum oporteat mori, ſed quo poſſit ille mori. Si porro lethalitas naſcatur vel ex natura vulneris, vel ex aliis cauſis externis, illud *per ſe*, hoc *per accidens lethale* dicitur. Natura vulnerum ita comparata ſi fuerit, ut vel partes internas adficiat, quibus chirurgi manus auxilium adferre non poſſit, vel externas, quae ante auxilium adlatum omnem effundunt ſanguinem, oriuntur inde duo genera *vulnerum per ſe lethalium*, nimirum *interna* et *externa*. Ad *interna* vulnera quaedam pulmonum, illa pericardii, quaedam cordis, illa paris vagi neruorum, aliqua diaphragmatis, hepatis, lienis, omenti, veſiculae felleae, ventriculi et inteſtinorum, meſenterii, ciſternae lumbaris, renum, uretérum, veſicae urinariae, uteri; ad externa autem aliqua cerebri et medullae ſpinalis, thoracis, illa intercoſtalium vaſorum, p. 563. p. 568.

* *Beſchreibung einer Grönlaendiſchen Thierpflanze. London*, 1753. 4. *m. K.*

** *Eſſay towards a natural Hiſtory of the Corallines* etc. London, 1755. 4. c. f. p. 96. et Comment. noſtr. Vol. V. Part. III. pag. 526.

rum, multa arteriarum venarumque vulnera referri debere ex Cll. PARAEI, HILDANI, BOHNII, STVARTI, VAN SWIETEN aliorumque teſtimoniis, quorum ſcripta ubique a Noſtro citata addun-
p. 572. tur, confirmatur. Porro per accidens lethale vulnus ab externis cauſis fieri ſupra monitum fuit, iam vero has cauſas vel in chirurgi imperitia et negligentia vel in vulnerati ipſius commiſſis diaetae vitiis aut morbis prioribus poſitas eſſe oſtendit Noſter, quo clarior inde naſcatur vulneris per accidens lethalis notio. Pergit autem nouam proponere vulnerum per ſe lethalium diuiſionem: nimirum ſi vel functiones ad vitam peragendam abſolute neceſſariae cohibeantur, vel non, in priori caſu erunt *abſolute lethalia*, in poſteriori *hypothetice*. *Illa* ſunt cerebelli, aliqua medullae ſpinalis et cordis, iſta vaſorum maiorum cordis vel pulmonum, ea, quae reſpirationem, vel chyli ad ſanguinem tranſitum tollunt, maiorum denique arteriarum venarumque vulnera, *haec* vero per ſe facile intelliguntur. Ex quibus non nulla colligit Auctor corollaria, atque ad nouam exhibendam diuiſionem eo-
p. 577. rumdem ſe accingit. Siquidem vulnera abſolute lethalia hominem vel ſtatim, dum infliguntur, vel poſt aliquod tempus quum interficiant, inde haec *mediate*, illa *immediate lethalia* appellanda eſſe videntur; atque hypothetice lethalia quum vel per ſe curatu difficilia ſint vel non, hinc illa *periculoſorum*, haec *non periculoſorum* nomen ſortiuntur.

p. 581. *No.* 2. *De quercu marina* (*Seeeiche*) diſſerit Cl. MICH. CHRISTOPH HANOW. Sententiae phyſicorum de hoc naturae producto multum adhuc inter ſe differunt, ita, ut Cl. HEBENSTREIT illud ad fucos, LINNAEVS et DONATI ad algas et fucos referant, alii alias eiusdem effecerint diſtinctiones. Praemiſſis non nullorum in primis TOVRNEFORTII, CLVSII, atque ipſius THEOPHRASTI de eodem adſertis et deſcriptionibus, ipſe deſcribit Noſter duos lapides,

lapides, quibus planta marina eius modi accreta infigitur, et qui plus quam quinquaginta annos in Gymnasii Gedanensis bibliotheca adseruantur, factaque cum iis recenset tentamina. Ex quibus patet dictam quercum marinam esse plantam marinam, ulnae altitudine, duris infixam absque radice et placenta corporibus, e cuius latiori caulis extremo exsurgant ad digiti distantiam nouae ramificationes latiusculae, atque angusta crassa folia, externo fine latiore instructa, numquam tamen digitum superante; siccam eam fieri duram, fractu autem, ut lignum, non adeo facilem; in igne, instar carbonis candefieri et corii odorem spargere; colorem madidae adhuc atque humidae esse ex obscure-flauo rufescentem, siccae autem purpurascentem, licet in locis, ubi pellucida est, nigrum visum, ignitae contra candidum; florendi autem eius modum et propagationem, donec plus lucis in hac re ipsi affulserit, explicare iam differt Noster. p. 593.

Vol. XVII. Part. II. no. 2. *de gonorrhoea virulenta, qua canis laborauit, deque tentaminibus cum duabus canibus feminis institutis* exponit anonymus Auctor. Canis, mas salax valde, vix octo dies quum catuliuerat, contraxit sibi gonorrhoeam, eamque post mingendum copiosiorem, quae in dies aucta fuit, aucta simul salacitas, mutatusque sensim materiae effluentis ex albo in flauum et virideſcentem color. Oestro percitus canis vehementer eiulabat, allatrabat aduenientes, sese pedibus anterioribus erigendo, fluxum illum experiebatur. Materia ipsa acrior et rodens reddita, colorque eius magis flauus factus est. Intumuit penis, vesiculis ubique obsitus et ulceribus, facto ante pilorum defluuio. Post continuos eius eiulatus, quos, si quam catulam inclusus odore perceperat, emiserat, tandem catulam in carceres eius immisit Noster. Canis aeger mox coitum celebrauit, sed inter congressum vehementer eiulauit. Catula in principio p. 133.

cipio nihil mali inde percepit, ſed aliquot horas poſt male ſe habuit: hinc ſeparatim incluſam dum obſeruaret Noſter, eam vidit cibos datos haud appetere, maiori veluti percitam libidinis oeſtro: cutis obſita foedis exanthematibus; ipſaque inter perpetuos eiulatus contabuit; tandem ab Auctore ſtrangulata et diſſecta plura oſtendit notatu digniora phaenomena. Vterus enim apparuit multum inflammatus atque intumefactus; in primis orificium uteri adeo intumuit, ut inde anguſtius redditum vix admitteret ſetam. Intus uteri lateri adhaeſit congeries materiae viſcidioris, drachmam ſemis pondere aequantis, et quae ipſam lancem viridi colore obduxit. Renes etiam iam coeperunt in abſceſſus abire. In veſica urinaria aeque ac fellea parum liquidi fuit. Exanthemata ſub cute ſcatuerunt ſimili materie, ac ipſum effluens ſemen. Carnes cum
p. 138. cute parum cohaeſerunt, valde intumefactae. Canis autem maris malum in peius ſemper mutatum fuit. Rigiditas penis valde aucta, ut arcus in modum ſaepe incuruatus eſſet; quae quum durauit, nulla fluxio materiae, qua ceſſante, haec rediit. Altera cum catula iterum coiit canis; catula ſimilia perpeſſa ſymptomata tandem miſere obiit, quam vero Noſter ob
p. 157. foedum cadaueris foetorem non diſſecuit. Cum tertia tandem congreſſus canis cum multa moleſtia ob rigorem et conuulſiones membri incuruati, parum materiae in matricem catulae immiſit. Neque catula adeo male ſe inde habuit, uti priores, ſenſit tamen etiam dolores, cutisque obſita fuit puſtulis; uterus diſſectus etiam inflammatus apparuit et ſanguinolentus. Canis mas tandem perpeſſus ubique pilorum defluuium, ulceribusque toto corpore obſeſſus, contabuit. Quae ſymptomata omnia Noſter docte explicauit, illud in primis inde comprobaſſe ſibi perſuaſus, poſſe aliquando benignam gonorrhoeam per leuiores cauſas mutari in malignam, atque ea propter etiam in homine ad luem progignendam non opus

eſſe

eſſe contagio. Quam rem forte alio tempore ſe fuſius pertractaturum fore ſpondet Auctor.

No. 5. Cogitata quaedam *de terra quadam combuſtili* et *turfa* exhibentur auctore, nomen ſuum qui ſiluit. In tanta caritate lignorum, quae in his terris in dies augetur, ſuadet ille effodere terram quandam obſcure brunam, pluribus in locis ad colles reperiundam, atque eidem, quum difficile inuicem cohaereat, argillae admiſcere ſextam circiter partem. Ipſe experimentis vidit eam ita tractatam arſiſſe egregie, exponitque copioſe, quot quantisque inde impenſis parcere poſſint in variis locis, ſi ſollertius inquirerent in eius modi terram: Id, quod etiam de turfa monet, cuius magnam latere copiam in pluribus pratis paludoſis et humidis, cuiusque effoſſae molem aliquam ſtatim impenſas compenſaturam eſſe affirmat. p. 205.

Part. IV. no. 4. *Puſtulae in mento lethalis factae hiſtoriam* tradit D. IOH. TIMOTH. GERKE, Phyſ. Prou. et Ciuitatis Einbeccenſis. Ex parua ſaepe ſcintilla magnum naſci poſſe incendium, leuis morbi, qualis eſt puſtulae cutaneae confirmat euentus lethalis. Femina undeuiginti annorum, tenerioris corporis habitus, paruae ſtaturae, carne quidem denſa, ſed multa quoque inſtructa pinguedine, ventre tumidulo, facie pallida, animo tranquillo et ſatis aequo, filium ante nuptias enixa, nutricis munia in familia melioris conditionis in ſe ſuſceperat, nullis vexata incommodis, praeter dolores colicos, quos tamen dato a medico rhabarbaro, atque inſuper baccarum lauri contuſarum cochleari uno ſponte ſumto prorſus ſuſtulerat: Sed naſcitur in mento nutricis puſtula parua, quae vero digitorum unguibus ſaepe irritata atque etiam diſcerpta, duos dies poſt inflammationem excitauit. Noſter vocatus faciei in primis latus ſiniſtrum tumefactum, menti inflammati colorem rutilum et obſcure rufum, maxillae motum difficilem, appe- p. 383.

appetitum proſtratum, ſitim ingentem, pulſum frequentem et durum obſeruauit. Datum temperans ex nitro, camphora et ſacharo parum profuit. Venae ſectio ob metum deficientis lactis neglecta eſt. Sequenti die, quamuis ſomnus fuerit tranquillus, aluusque libera, motus maxillarum prorſus fere impeditus erat, ut neque loqui, neque pituitam albam viſcidam inter vomituritiones exſpuere poſſet, in-
p. 386. flammatio autem in gangraenam tranſierat. Tunc tandem vena in brachio ſecatur, daturque cortex peruuianus, applicato ſimul affectae parti cataplaſmate emollienti. Leuamen inde aliquod ſenſit aegra; maxillae enim motus liberior, vox diſtincta, potulentorum deglutitio expedita rediit: verum poſt breues has inducias rediere priora ſymptomata auctiora. Febris, aeſtus, ſitis ingens; inflammatio verſus thoracem radios veluti emiſit. Repetita venae ſectio fuit, facta menti ad oſſa uſque ſcarifatio. Ex ſcarifatis partibus parum cruoris nigricantis, puris loco, prodiit. Partibus ſectis ſpiritus ſalis ammoniaci affricatur, atque mixtura ex ſolutione ſulphuris et unguento aegyptiaco applicatur; enema euporiſton iniicitur, nuchae imponitur veſicatorium amplum. Sequenti die aliqua apparuit leuaminis ſpecies, remiſeruntque ſymptomata; ſed febris iterum vehementius incenſa fuit, ſphacelumque iam adeſſe oſtendit repetita ſine doloris ſenſu ſcarifatio. Tandem altero mane multis anxietatibus vexata et conuulſionibus obiit.
p. 388. In diſſecto deinde cadauere apparuerunt facies pallida, menti color carni putridae bubulae ſimilis, ſuppurationis incipientis veſtigia. Gangraena occupauerat totum mentum inferius ad thoracem uſque ſeſe extendens: palatum, velum palatinum, larynx vicinaeque partes carneae ſphacelo multum corruptae, maculae gangraenoſae etiam in inteſtinis tenuibus paſſim occurrerunt. Reliqua viſcera ſana atque integra fuerunt.

Part.

Part. V. no. 8. F. C. LESSER *de membrana in pratis poſt inundationes reperta* (*Grasleder*) quaedam exponit. Geneſin eius deriuat Noſter a fibris et filis graminum aliarumque plantarum, quas ſecum abripuit impetus undarum prata agrosque deuaſtantium, quae vero ſenſim putreſcentes etiam fibrarum facile patiuntur rupturam et ſeparationem. Fibras has et fila undae huc illuc mouent, undarum autem ſpuma easdem connectit, ut inde naſcatur quaſi operis ſericei ſpecies. Ex eadem enim pileo, tibialia, ellychnia, pannumque, ſub veſtibus goſſypini operis loco nectendum, (*Watte*) parata fuiſſe Noſter refert, admiraturque manifeſtam hac in re ſummi numinis ſapientiam, quae aliorum eorumque ditiorum iacturam ex inundatione aliis iisque egenis commodo et utilitati eſſe futuram voluit. Hi enim ex inutili viſa iſta membrana multam ſibi aliisque pararunt utilitatem. p. 556.

XVII.

Quaeſtio medica eaque therapeutica ſub hac verborum ſerie: An raro Peripneumoniae vomitorium? Reſp. MICHAEL DELZAVRDY et PERVERTEGVY, D. M. Facultatis Valentinae, Praeſide D. ANTONIO MAGNOL, Monſpel. Acad. Prof. Reg. pro gradu Baccalaureatus conſequendo, Monſpel. 1754. 4. mai. pl. 1½.

Omne diſſertationis huius argumentum breui hoc comprehendi poterit ratiocinio: In quauis inflammatione vera vomitoriorum uſus tutus eſſe nequit: quum itaque ad illud morborum genus pertineat peripneumonia, ad eam tollendam periculoſa aeſtimari debent emetica: attamen datur etiam aliud

peripneumoniae, nothae aliis dictae, genus, hiemali ut plurimum tempore obuium, in quo ſeroſa magis, quam bilioſa, humorum colluuies pulmones ſaepiusque ſimul primas vias obruit: aduerſus hoc igitur, ne in violentam degeneret inflammationem, lenioris emetici valebit uſus: interim, quum inflammationis vim ſemper reſpicere debeat medicus, ſub finem diſſertationis colligitur: *Ergo raro peripneumoniae vomitorium.*

Breui igitur inflammationis theoria praemiſſa, in obtinenda eius reſolutione totus eſſe iubetur medicus, cui vero contrariari dicuntur vomitoria, quorum quippe efficacia ſanguinis iam candentis nimium aeſtus augeatur, cordis arteriarumque motu inde magis aucto: perpauca enim eſſe Cl. Auctor aſſerit, quae ſine irritatione ventriculum atque inteſtina vacuent, lubricantium potius nomine inſignienda: quin et generatim dicendo, ea, quae per inferiora purgent, tutiora eſſe illis, quae ventriculum euerrant, quum ventriculo minus ſenſibilia et contractilia eſſe ſoleant inteſtina, ipſique illi medicamento decuplo maiorem, in quam agere poſſit, praebeat ſuperficiem: in vomitu quoque excitato, praeter motum vermicularem in contrariam actionem ſemper cum aliquo periculo immutatum, aliarum quoque partium, in primis diaphragmatis omniumque reſpirationi inſeruientium organorum, in conſenſum tractorum, functionem perturbari: maiorem vero in vaſis obſtructis, ad referandum infarctum, a non nullis quidem medicis expectari poſſe creditam, haud fieri oſcillationem; metum e contrario eſſe, ne, vicinorum vaſorum tantum ab inflammatione liberorum, elatere aucto, rumpantur ea, pectorisque igitur aeque ac abdominis inflammationes, funeſta inde ſanguinis oborta profuſione vel gangraena, finiantur: quid? quod praeposterum vomitoriorum uſum inflammationes ipſas ſubſequi ſaepius per experientiam compertum ſit.

Appli-

Applicantur deinde huc uſque in genere dicta ad ipſam peripneumoniam, cuius tria ſumma recenſentur genera, *catarrhoſae* nimirum, aliis non male *rheumaticae* dictae, *eryſipelatodis* atque *ſanguineae*, in quibus omnibus, pro anni tempeſtate, viuendi ratione aut temperamento aegri variis, maior minorue inflammatio ſanguinisque incendium obſeruari dicitur. Quodſi igitur primum illud genus occurrat, quod alii notham appellare malint peripneumoniam, magna quidem ſymptomatum ſimilitudine, ſed mitiorum ad reliquas vere inflammatorias eius ſpecies accedens, idque vel nullius, vel leuiſſimae tantum inflammationis particeps deprehendatur; ex nauſea vero, vomitu, diarrhoea ſeroſa, lingua humidiore, cute moderate tantum calente, hypochondriorum alterutro ſimul et ipſo pectore ſaepe vehementius affecto, arteria lenius molliusque pulſante, ipſoque ſanguine, ex vena extracto cruſta iſta inflammatoria non tecto; quodſi nempe ex his enarratis ſymptomatibus appareat, lympham crudam indigeſtamque pulmones atque primas vias obruere; ſiue praegreſſa ventris ingluuies, vel pituitoſum aegri temperamentum, vel frigida aura perſpirationem corporis ſupprimens atque repellens, in cauſa ſint: tum illico, ne grauius aliquod ſuccedat malum, redundantis iſtius ſeri copia, dato vomitorio, ex corpore eliminari debet.

XVIII.

Diſſertatio inauguralis de praecipuis balſamis natiuis Praeſide IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER, M. D. et Prof. Publ. Ord. Reſpond. *Dauid Gottlob Zebuhle.* Francofurti ad Viadrum, 1755. 4. pl. 4½.

Quantus ſit in perſcrutanda corporum naturalium per chemiam natura Cl. CARTHEVSERI labor, quantaque ſollertia, multa eaque pererudite elaborata, quae cum orbe cultiori communicauit, abunde teſtantur ſcripta: quorum quidem plura quum diu volui reuoluique eruditorum manibus cognoſcamus, unicum iam in noſtris commentariis ſpeciminis loco exponendum nobis ſumſimus, quo, quanta debeatur chemicis Cl. Auctoris diſquiſitionibus laus atque gloria, nos etiam publice profiteamur. Atque id, quod iam indicare adgredimur, ſcriptum academicum balſamorum natiuorum, quorum inſignis numerus multusque eſt in medicina uſus, hiſtoriam tradit atque examen chemicum. Praemittitur autem generalis eorum conſideratio, atque hanc excipit ſpecialior ſin-
p. 5. gulorum tractatio. Primum igitur omnium definit Cl. Auctor, quid ſub balſamorum nomine intelligendum ſit, nimirum eſſe reſinas liquidas ſeu rectius liquida reſinoſo oleoſa, ſpiſſiuſcula, tenacia, fragrantia, ſapore acri aromatico, aut ſaltim acriuſculo, eoque plus minusue amaricante, colore vario, albicante, flaueſcente, cet. donata. Originem ſi ſpectes, ſunt ſucci ex arborum truncis vel ramis ſauciatis profluentes, et in applicatis vaſis collecti; ex ſponte ruptis corticibus plorantes lacrumae vix colligi poſſunt. Hinc etiam nomen ortum fuit ab arbore, quae vulnerata verum fudit opobalſamum, *Beloſſan*, *Ballaſſam*, *Balſam* dicta; quod nomen balſami olim iudaico arabicoque proprium, temporis ſucceſſu etiam aliis

analogis

analogis aliarum arborum ſuccis datum fuit. Ita vero eorum natura comparata eſt, ut recentia ſint fluidiora et fragrantiora, actate autem et aere libero ſpiſſeſcant et in denſas reſinarum maſſas abeant, virtute ſua multum orbata. Chemicum examen docet eadem conſtare ex maxima parte ſubſtantiae reſinoſae, ex olei aetherei, ſpiritu fragrante turgidi, et aquae magna copia, atque ex modica quantitate ſalis acidi eſſentialis ſubtilioris et valde mobilis. Vnde etiam praeter antiſepticas et vulnerarias vires eorum neruinae, diureticae cet. patent, clariusque ex mox addito ſpeciali ſingulorum examine patebunt. Sequentes autem ſunt, quas fuſe et accurate deſcribit Noſter balſamorum praecipuae ſpecies, nimirum terebinthina vera, ſeu Veneta veterum; balſamum terebinthi Perſicae; balſamum lariceum; balſamum abiegnum et pineum; balſamum caburcicica; balſamum de copaiua; balſamum peruuianum; balſamum tolutanum; opobalſamum; liquidambarum atque ſtyrax liquidus. Horum ſingulorum ita tradit Noſter hiſtoriam, ut non externum eorum ſolum habitum et formam, colorem, ſaporem, odorem ſedulo adnotet, arborisque, ex qua quodlibet proueniat, ex optimis auctoribus, PISONE, MARGGRAFIO, CLVSIO ſubiungat deſcriptionem, ſed partes etiam conſtitutiuas, ignis et menſtruorum ope diſquiſitas atque erutas exponat, et vires inde medicas in multis variisque morbis experientia comprobatas peregregie declaret. In qua quidem tractatione Cl. Auctorem preſſius ſequi quum haud queamus, non nulla tantum huc transferre iuuabit momenta memoratu digniora nobis viſa. p. 8.

Terebinthinam veram ſeu Venetam veterum monet Noſter vulgo etiam dici Chiam et Cypriam, atque eſſe aliquam earum ſapore et colore et odore differentiam; ex inſulis enim Chio et Cypro iam utramque ad nos transferri idem addit, ubi ex *Terebintho*

vulgari C. B. ſauciata profluat copioſa, ſed breui inſpiſſata ſub forma reſinae molliuſculae ad exteras terras tranſportetur. Arborem iſtam etiam perhibet Cl. Auctor naſci in Arabia, Syria vicinisque orientalibus regionibus, nec non in Hiſpania, Luſitania et Gallia Narbonenſi, nullum tamen vel certe ignobilius plorare balſamum. Ipſa terebinthina multum in ſe continet olei aetherei eſſentialis, ut eius libra una ultra quatuor huiusce det uncias, ſalis vero eſſentialis acidi parua eſt portio, atqua aquae oleo admixtae et particulis acidulo ſpirituoſis refertae non minor quantitas. Solida maſſa poſt deſtillationem olei in cucurbita relicta exhibet terebinthinam lotam, atque in aperto vaſe longius adhuc coctione tractata picem brunam ſiue colophonium. Priſco aeuo multus fuit terebinthinae in morbis uſus, iam vero rarior vel nullus.

p. 12. Duplex deſcribitur ex KAEMPFERO balſamum terebinthi perſicae, quorum alterum vulgatius, terebinthinae chiae ſimile, ex *Piſtacia ſylueſtri* dicta prouenit et leni coctione ab incolis Perſiae inſpiſſatum, in primis mulierculis pro maſticatorio inſeruit, atque ad europoeas regiones prorſus non adfertur; alterum vero rarius eſt et parciſſime e pila pulcre rubella, rotunda, ſurculis extremis terebinthorum adcreta extrahitur, fragrantiſſimum, illi de Mecha analogum.

p. 14. Balſamum lariceum eſt terebinthina veneta officinarum moderna, atque ex *larice folio deciduo, conifera* C. BAVH. quae copioſa creſcit in alpibus apenninis, carinthiacis, ſtiriacis, gallicis, vere et auctumno euocatur. Sponte etiam interdum profluit, ſed deſinit in vetuſtioribus, quibus agaricus ſolet adcreſcere, profluere. Prae cypria multum abundat et ſale acido eſſentiali et oleo aethereo ſubtili valdeque actiuo, teſte Cl. GEOFFROI in Materia medica. Gaudet hinc multiplici virtute medica, antiſeptica, abſtergente, diaphoretica, diuretica, atque interne, ſi febris abeſt et inflammatio, contra plures internarum partium

partium exulcerationes, tussim, arthritidem, alios morbos in bolo vel cum vitello oui datur: mouet quoque aluum maiori copia adsumta; et cum urinam fortiter moueat, et sabulum simul exturbet, si suspicio grandiorum calculorum esset, circumspectus eius erit usus, ne illi violentius moti in urinae viis huius suppressionem periculosam excitent. In subiectis sensibilioribus et aliis casibus, qui mitiora postulant, lota terebinthina substitui potest. Externus etiam usus satis patet, sed notari meretur, eam quoque addi clysteribus in suppressione urinae, dysenteria et intestinorum exulceratione, non quidem in principio, sed mitigata iam vel sublata inflammatione.

Balsami seu terebinthinae abiegnae duplex datur p. 17.
species, altera fragrantior, e caudice abietis taxi folio, fructu sursum spectante TOVRNEFORTII, copiose in Heluetia, Germania aliisque montosis terris crescentis, elicitur; altera vero ignobilior e tuberculis vesiculosis, intra corticem locatis, a pastoribus parce exprimitur. In Canada etiam crescentem abietem minorem, pectinatis foliis, conis paruis subrotundis descripsit PLVKENETIVS, ex qua profluat terebinthina, quam tamen Noster dicit balsamum canadense, utpote diuersum ab abiegna nostrate. Vsu et virtute conuenit haec cum laricea, ob spirituosas tamen et teneriores oleosas partes, quibus abundat, fragrantior est et potentior. Pini syluestres etiam vulneratae dant terebinthinae aliquam copiam, sed tenacem, ponderosam, odore destitutam balsamico et pelluciditate, cuius usus tantum externus conuenit, internus prorsus exsulat.

Balsamum *caburcicica* siue *de capureiba* a GVIL. p. 19.
PISONE describitur collectum ex arbore *caburcibа* in Brasilia, peruuiano perquam simile quoad odorem atque virtutem, in nostris terris rarissime visum. Illud *de Copaiba* vero frequentius adfertur ex Brasilia, ubi arbor, *copaiba* ab indis, a RAIO *arbor balsamifera*

braſilienſis fructu monoſpermo dicta, vulnerata adeo copioſe fundit balſamum, ut intra tres horas nouem canthari, teſte MARGGRAFIO, colligi poſſint. Plus olei aetherei habet, quam reliqua, ut eius libra una reddat olei quatuor, ſexue uncias olei limpidiſſimi ſub deſtillatione humida: verum parcior ineſt ſalis acidi eſſentialis portio, hinc etiam virtute quidem conuenit cum terebinthina, mitior tamen eſt, et iſti ob neruinam et traumaticam vim praefertur in multis morbis, cachexia; tuſſi inueterata, aſthmate pituitoſo, aliis interne et externe adhibitum.

p. 23. In vaſto regno Peruuiano duplex ex eadem arbore extrahitur balſamum peruuianum, alterum ſponte ex inciſo cortice profluit pellucidum, tenue, ex albicante flaueſcens, fragrantiſſimum, apud nos rariſſime viſum; alterum coctionis ope ex diſſectis arboris foliis, cortice et ligno elicitur, craſſius, ſubrubro nigricans, ſapore et odore fragranti. Tertia ſpecies adſumta nomine balſami indici ſicci iure potius ad reſinas refertur; falſo autem Peruuianum cum illo de cabureiba confunditur. Arborem incolae vocant *Hoitziolitl*, et HERNANDEZ *arborem balſami indici* vel *balſamiferam primam*. Balſamum album conſtat ex ſolo oleo aethereo et ſubſtantia fixa reſinoſa, nigrum vero praeter oleum rubrum fragrans et reſinam, multas gummoſas partes continet. Reliqua deſcripta hactenus balſama multum ſuperat peruuianum virtute ſua, traumatica, neruina, antiputredinoſa, cet. atque magnopere ſe commendat in epilepſia aliisque affectibus neruorum, ab eorum imbecillitate et cacochymia natis, in debilitate itemque exulceratione aliorum viſcerum et organorum, interne aeque ac externe varia ſub forma adhibitum.

p. 27. Balſamum tolutanum ex americae meridionalis prouincia, *Tolu* ſeu *Honduras Hiſpanorum* adfertur, ubi ex arbore, quae LINNAEO *Toluifera* dicitur, neque deſcripta ſatis adhuc eſt, ſub ſolis arbore maximo

mo inciſa exſtillat et in paruis cucurbitis plerumque collectum ad nos transmittitur, ſub forma reſinae molliuſculae, ſaporis ſubdulcis, odoris illi benzoini et aurantiorum corticis perſimilis, coloris ſpadiceo aurei. Pars oleoſa parcior ineſt, reſinoſa maximam ponderis partem explet; viribus cum peruuiano conuenit liquidum illud, ſpiſſum vero vel alcohole ſolutum vel in pilulis aliaque ſub forma in uſus medicos vocatur.

Opobalſami ſiue balſami veri orientalis atque ae- p. 29.
gyptiaci, memphitici, iudaici, ieruchuntini, ſyriaci, arabici, de Mecha et de Gilead nulla datur differentia atque ſynonyma tantum a loco natali deſumta ſunt. Arbor, quae illud fundit, C. BAVHINO dicta eſt *Balſamus ſyriacus rutae folio*, BELLONIO autem *Balſamus lentiſci folio aegyptiacus*, olim in Arabia felici unice creuit, atque in Syriam, Aegyptum, Palaeſtinam transplantata fuit, ſed hodie adhuc circa Meccam et Medinam occurrit, in reliquis prouinciis prorſus non reperiunda. Ex eadem inciſione vel coctione elicitur balſamum: illud nobilius, ſed rarius, ad principum manus tantum peruenit, tenuius inſtar olei amygdalarum, albicans, odore ſuauiſſimo, citri odorem aemulante, ſapore acri, aromatico et amaricante; hoc, quod coctione elicitur, illi analogum eſt, ſed paullo ſpiſſius, in primis id, quod fortiori et protractiore coctura extrahitur. In noſtris officinis rariſſime genuinum proſtat, ſed adulteratum vel factitium. Quoad vires tolutano ſimile eſt, et ab auctoribus multum laudatur in plurimis morbis, tamquam alexipharmacum; externe etiam vt coſmeticum adhibent aſiaticae mulierculae.

Liquidambarum, Ambarum liquidum, vel ambra p. 33.
liquida eſt ſuccus ex flauo rubeſcens, ſpiſſior, acris aromatici ſaporis, odoris vero fragrantioris, ad ambram et ſtyracem accedentis. Arbor, ex qua ſtillat, creſcit in Virginia, Mexico aliisque Americae prouinciis, et ab incolis *Xochiocotzo-Quahuitl*, a RAIO autem *Styrax aceris folio* et a LINNAEO *liquidambar*

foliis palmatis appellatur. Triplex datur balſami huius ſpecies, quarum prima ambra liquida ordinaria ex inciſo cortice ſponte profluit, altera ex diſſectis ramis et cortice coctione extrahitur, tertia vero eſt pars liquidior et fragrantior oleoſa balſami recentioris ſupernatans et ſeparata, olei nomine interdum ad europoeas translata terras. Ex liquido balſamo interdum quoque parare dicuntur incolae *liquidambarum ſolidum*. Quum raro in officinis balſamum laudatum proſtet, rarus eius etiam eſt vſus medicus vel prorſus nullus, licet olim inter odoramenta, et adhuc inter unguenta atque emplaſtra adhibitum fragrantia ſua et virtute terebinthinam ſuperaſſe videatur.

p. 34. Styrax liquidus, ſi genuinus et ab admixtis peregrinis partibus mundatus fuerit, pellucet et terebinthinae inſtar lenteſcit, colore ex fuſco rubente, vel impurior cinereo-fuſco, odore forti, non adeo grato, ſtyracem ſolidum aemulante, ſapore oleoſo acriuſculo et aromatico. Circa eius originem eſt inter auctores materiae medicae diſſenſus, quorum alii eundem ex arbore certa quadam ſtillare perhibent, alii vero id negant ad factitia balſama eum referentes. Noſter utramque opinionem ita inter ſe conciliat, ut plerumque omnino in officinis adulteratum et arte compoſitum proſtare ſtyracem affirmet, ſed dari quoque natiuum liquidum ſtyracem exiſtimet, qui vel fluat ex inciſa arbore, vel teſte IACOBO PETIVERO * aqua marina ex detracto et contuſo cortice arboris cuiuſdam, *Roſa Mallos* appellatae et in inſula *Cobros* maris rubri creſcentis, excoquatur. Virtute et proprietatibus reliquis convenit cum liquidambaro et aliis deſcriptis balſamis; quum vero genuinus vix occurrat, ſed adulteratus, raro in uſum vocatur, externe tamen interdum in unguentis applicatur, imminente in primis ſphacelo, contuſis exulceratisque partibus.

* Tranſact. Philoſoph. No. 313. pag. 44.

XIX.

XIX.

Noua physico-medica.

Regiam artis chirurgicae Academiam *Parisiensem* optimae solutioni quaestionis *de membrorum amputationis determinanda necessitate* ad annum 1754 olim proposuisse praemium, deinde autem, duplicato isto, ad annum, qui nuper praeterlapsus fuit, 1756 denuo retulisse, iam olim commemorauimus *. A promisso illa quoque stetit et inter plures, quas accepit, super hoc argumento conscriptas, commentationes, chirurgi cuiusdam, apud legionem aliquam exercitus regii stipendia merentis, Cl. FAVRE, dignam iudicauit elaborationem, quae reliquis palmam praeriperet.

Alius etiam, quod placuerat *modo dictae Academiae*, instituti nuper mentionem fecimus **, ex quo nimirum aliud praemium, ducenta pondo gallica aequans, quotannis porrigendum, illi ex chirurgis offert, qui tractatu quodam cuiuslibet argumenti chirurgici, Academiae eum in finem tradito, ipsius promeruerit applausum. Quum in nuper praegresso autem anno voluntati ipsius nondum satis factum fuerit, huic, quem viuimus, anno 1757 duos, hoc olim a nobis iam descripto modo ipsi offerendos, commentarios se coronaturam spopondit.

Nummos autem illos aureos numero quinque, singulum pretii centum francorum (*francs*), quorum etiam distribuendorum rationem suo tempore exposuimus ***, totidem exhibuit *illa* chirurgis, qui transmissis obseruationibus illos prae aliis mereri visi fuerunt.

Insuper

* vid. Commenr. nostr. Vol. IV. P. II. p. 356.
** ibid. Vol. V. P. I. p. 175.
*** loc. cit.

Insuper in eodem publice habito consessu, in quo iam recensita decreuit praemia, alium quoque sibi constitutum finem declarauit *Ill. eadem Academia.* Quum enim multae eaeque saepius utilissimae inueniantur obseruationes in eorum commentariis, qui de consequendo praemio concurrerunt, quibus autem praemium dari non potuit: hasce ut in suos usus vertere publicique iuris facere sibi liceat, laudabili sane conatu optat. Itaque doctissimos eorum auctores, in primis eos, qui ab anno 1751, quo nimirum in singulorum suam tutelam recepit ipsam hanc Academiam Potentissimus Galliae Rex, suos cum ipsa communicarunt labores, et inter hos potissimum eos, qui de usu cauterii actualis siue ignis et de morbis ossium egerunt, humanissime rogat, velint sua nomina patefacere Academiae Secretario potestatemque ipsi tribuere hasce extrahendi obseruationes. De reliqua commentariorum parte certo sibi persuadere *illa* iubet viros doctos, eam prorsus secretam seruatum iri.

Post illud tempus nouam quoque *eadem Ill. Academia* proposuit quaestionem, cuius disquisitiones anno futuro 1758 publice dirimentur. *Casus* nimirum, *in quibus* sic dictae *iniectiones ad curandos morbos chirurgicos necessariae sunt, determinari regulaeque constitui debent, cum generales, tum speciales, circa illarum usum obseruandae.* Quum haec therapiae chirurgicae pars nondum satis huc usque exposita sit; eius tamen usus admodum pateat; illud potissimum in votis habet Academia, ut usus pariter atque incommoda inuestigent viri docti in hoc argumento elaboraturi, quae in variis morborum generibus diuersas corporis humani partes eiusque prae reliquis cauitates occupantium, ab iniectionibus expectari poterunt: ut porro, si quas singulares calleant praeparandarum iniectionum rationes, instrumentorumque, quibus applicentur, usum addant: tandemque ut allatam

theoriam

theoriam exemplis obſeruationibusque confirment. Reliqua, quae circa exhibendarum commentationum rationem ſcire debent eruditi, eadem, quae ſaepius iam enarrauimus, manent ideoque, ut ſatis cognita, denuo haud repetenda eſſe videntur.

Quae caeterorum inferioris forte dicendi generis praemiorum attinent rationem, haec primo a nobis iam ſuo tempore, uti paulo ſupra diximus, expoſito inſtituto ſemper adhuc conuenire deprehendimus.

Burdigalenſem ſcientiarum Academiam praemium nummi aurei trecentorum pondo gallicorum, ex legato b. Ducis DE LA FORCE, pro optima quaeſtionis alicuius phyſicae reſolutione quouis anno exhibere conſtat. In praeterlapſo autem anno 1756 huius conſequendi finis caruit opportunitate, quum ex commentariis ſuper propoſito themate *de optimo vina reddendi clara modo* conſcriptis, quos accepit, nullum eſſe deprehenderit, quem coronare poſſet. Duplex itaque praemium anno 1758 exhibitura, loco illius aliam iam mouet quaeſtionem: *quisnam optimus nimirum ſit modus diuerſas terrarum qualitates agri culturae aptas cognoſcendi?*

Quaeſtionem alteram ad eundem annum 1758 pertinentem, uti et binas alias huic praeſenti anno 1757 deſtinatas, iam olim commemorauimus*.

Vt tempus autem inſtituendis tentaminibus ſufficiens ſibi habeant relictum viri docti, iis iam exhibuit nouam quaeſtionem *eadem Ill. Academia*, de cuius elaborationibus anno 1759 iudicatura eſt. *Quaenam optima nempe ſit ratio quercuum arbores ſerendi, pangendi, traducendi, conſeruandi reſtituendique?* Quum totius quaeſtionis ambitus nimia forte complectatur, quam quae ſatis explicari poſſint, nec illi ſe denegaturam

* ib. Vol. V. P. I. p. 176.

turam esse promittit *Academia* praemium, qui vel unius modo partis explicationem, nouis utilibusque suffultam experimentis, ipsi exhibuerit. Ea, quae circa modum *Academiae* offerendi commentarios obseruanda sunt, ab iis, quae iam saepius enarrauimus, non immutata, nunc ut satis cognita, repetere nolumus.

Diuione constitutam scientiarum Academiam proposuisse olim thesin praemio ad annum 1755 referendo praefixam *de balneorum usu, quae ex simplici aqua parantur*, tum temporis retulimus *. Reportasse illud nunc legimus Cl. RAYMOND, Medicum Massilienſem.

Nouum vero ex doctrina rei oeconomicae petitum thema anno quidem 1756 ab *eadem Ill. Academia* praestitutum, ex ipsius autem voluntate eo tempore nondum solutum, denuo ad annum 1759 exhibet: quo *causae* nimirum, *cur vappam contrahat vinum, (les causes de la graisse du vin) determinari remediaque indicari debeant, quibus ea praecaueri vel corrigi queat?*

Quaestione ad hunc, quem agimus, annum 1754 ab *eadem* propositа, quum institutі nostri fines non attineat, a nobis iam praetermissa, commemoramus alteram, cuius disquisitiones futuro anno 1758 examinabuntur. *Quaenam* enim, *Academia* quaerit, *regulae sint generales, quae sub exorsum morborum epidemicorum ad ipsos curandos obseruari debeant? et qua ratione indoles iis ipsis propria detegi possit?* Quum saepius enim variam isti morbi prae se ferant faciem, eorumque causa proxima et singularis, quo decurrunt, modus siue proprius ipsis character latere soleant medicos, in hoc potissimum eruendo declarandoque

* ib. Vol. III. P. I. p. 163.

doque occupatos eos esse debere satis patet, ut veras deprehendant indicationes auxiliaque ipsis conuenientia. Latine aut gallice exarati et ita descripti esse debent commentarii, ut facile possint legi, talibus quoque circumscripti limitibus, ut, dum praeleguntur Academiae, longius quam unius horae spatium haud requirant. Id praeter ea obseruare velint viri docti, ut ante primum diem mensis aprilis cuiusuis anni labores suos tradant vel mittant Academiae Secretario, Cl. PETIT, aere tamen, quod cursus publici nomine debetur, soluto, adiecta, uti apud plurimas usu venit academias, schedula, quae contineat eorum nomen, dignitates locumque domicilii, exterius vero idem exhibeat lemma, quod ipsi commentario fuerit inscriptum. Praemium consistit in nummo aureo trecentorum pondo gallicorum.

Varia sunt ignis pabula, quibus ad vitae communis usum homines uti coguntur. Quibus enim in locis lignorum copia non suppetit, ibi stramentum, turfa, lithanthraces, quin et fimus aliaque, in illorum locum debent substitui. Quum eorum tamen omnium copiosus non ubiuis deprehendatur prouentus: in iis quoque rebus, ad rem familiarem quam maxime pertinentibus, prudens adhiberi debet parcimonia. Quam ob rationem scientiarum artiumque Academia *Ambiani* florens permota esse videtur, ut praemii causa, ad diem mensis augusti vicesimum quintum huius, quem agimus, anni 1757 distribuendi utilem hancce proponat quaestionem: *Quaenam ratio* nimirum *oeconomica habenda sit rerum, quae comburi possunt, in fornacibus uti et culinarum focis, sine ipsius ignis effectibus inde imminutis vel minus efficacibus redditis, respectu in primis fornacum.* Quodsi etiam commentationes super hoc argumento conscriptas acceperit Academia, quae non omnem huius propositionis ambitum emetiantur: illi tamen nihilo minus

adiudi-

adiudicabitur praemium, quae vel unam eius certe partem optime declaratam continebit. Transmittendae illae ſunt ante primum diem menſis iunii ad perpetuum Academiae ſecretarium, Cl. BARON, debita tamen pro curſu publico ſoluta pecunia.

Auctorem illius commentarii *de rubiae tinctorum Seelandicae cultura*, cui praemium a Regia Scientiarum Societate *Gottingenſi* adiudicatum fuiſſe nuperrime retulimus *, virum eſſe nunc legimus dexterrimum, NICOLAVM KVLENCAMP, artis efficiendi colores eorumque ope varia eleganter tingendi opificia peritiſſimum, *Bremae* illam facientem.

In perantiqua *Erfordienſi* uniuerſitate ** medicorum ibi docentium ordo poſt obitum HERMANNI PAVLI IVCH, a nobis ante breue tempus indicatum ***, inſignem expertus eſt mutationem. In locum enim beati iam dicti viri aſcendit Vir Ill. IO. HIERONYMVS KNIPHOF, Med. D. Pathologiae et Praxeos Profeſſor Primarius, (cuius profeſſoris muneri Senioratus et Aſſeſſurae primariae, quam vocant, dignitatem adhaerere accipimus,) nec non S. R. I. Academiae Naturae Curioſorum Adiunctus et Bibliothecarius.

Secundum in ordine locum obtinuit Vir Ill. HIERONYMVS LVDOLF, Eminentiſſ. ac Celſiſſ. Principis Electoris Moguntini Conſiliarius Aulicus et Archiater, Facultatis Medicae et Philoſoph. Profeſſor Publicus et Aſſeſſor Ordinarius, Ciuitatis Erfordienſis Phyſicus; qui, quum in aulam Moguntinam euocatus curam ſanitatis Celſiſſimi Principis gerat, poteſta-

* ib. Vol. V. P. VI. p. 720.

** ib. Vol. II. P. I. p. 171.

*** ib. Vol. V. P. IV. p. 548.

potestatem ab eo accepit, lectiones suas publicas, in primis in chymiam ab ipso exaratam editamque, alius Professoris vicaria opera curandi exhibendique.

Tertius locus Anatomiae, Chirurgiae et Botanices Professoris, quem vero nunc vacuum factum esse illico commemorabimus, adsignatus fuerat IO. CHRISTOPHORO RIEDEL, Med. D.

Ordine quartus Professor Institutionum Medicarum Ord. constitutus est Vir Cl. ANDREAS NVNN, Med. D. et Facult. Med. Assessor.

Quintum locum prima iam vice occupare iussus est Vir Cl. IOAN. GVILIELMVS BAVMER, Med. D. Praxeos Clinicae Profess. Ord. et Facult. Med. Ass.

Sextus denique locus assignatus est Viro Cl. CHRISTOPHORO ANDREAE MANGOLD, Med. Doct. eiusdemque, et Philosoph. Prof. Facult. Med. Ass.

Quintum iam dictum sextumque locum in hoc Medicorum Ordine siue vulgo sic dicta Facultate modo nunc demum hoc anno constituisse Celsissimum Principem Electorem Moguntinum, nobis relatum habemus.

Quos extra illum autem Ordinem Professorum Medicinae dignitatibus exornatos, Viros Cll. IO. HENR. MELCH. WINDHAVER et BERN. MARIAN. LVTHER, Med. DD. olim iam suo tempore nominauimus, ii muneribus suis fungi pergent, certiore nunc spe freti, fore, ut in locum b. RIEDELII ipsi illi Ordini adiungantur.

Modo enim dicti IOAN. CHRISTOPHORI RIEDELII praematura omnino morte insignem iacturam passa fuit *iam dicta Academia;* quippe qui nuperrime die quinto mensis martii, morbo acuto paulo antea oppressus, septimo huius die e viuis sublatus

fuit. *Erfordiam* ipſam, is quoque nactus fuerat patriam anno huius ſaeculi nono die menſis octobris quarto; patre uſus IOAN. HENRICO, ſacrorum ibi curam gerente; eo autem, quum duodecimum aetatis annum nondum expleuiſſet Noſter, orbatus, ab illuſtri quadam gente ibidem in amicitiam receptus, plurima auxiliorum genera in ſui educationem neceſſaria ab eadem liberaliſſime acceperat. Tam hilares citosque iam tum fecerat in cognoſcendis literis progreſſus, ut ſaeculi anno viceſimo ſexto Halam Magdeburgicam ſe conferre poſſet adoleſcens, ibidemque ſtudio theologico operam nauare, quod deinde in Academia Ienenſi, quam poſt biennium petebat, proſecutus eiusque integrum ambitum ita emenſus fuerat, ut anno 1734 artium magiſtri honoribus exornatus, ex ſuggeſto ſacro aliquoties ad concionem haberet orationes. Attamen, quum a teneris inde valde infirma uſus fuiſſet valetudine, mali hypochondriaci potiſſimum ſymptomatis vexatus, cui tandem acceſſerat haemoptyſis, dubius ſemper manſerat, num vires corporis umquam permiſſurae ipſi eſſent, qui ſacrorum curandorum alicui muneri praeeſſet. Itaque per plures iam annos et iuris conſultorum et medicorum ſcholas aſſidue frequentauerat. Quo denique factum fuit, ut arti medicae totum ſe dicaret, WEDELIVM in primis, TEICHMEYERVM atque HAMBERGERVM praeceptores ſecutus. Egregiam a praeſtantiſſimis illis viris nactus rerum medicarum cognitionem, vitae academicae amantiſſimus, ſub exitum anni 1735 *diſſertationem* conſcripſit *ſiſtentem conſiderationem medicamentorum aperientium horumque legitime adhibendi methodum*, eaque publice b. IVONE IOANNE STAHLIO Praeſide defenſa, Doctoris Medici honoribus in Academia patria exornatus fuit. Artem prae reliquis medicinae partibus anatomicam iam olim coluerat, eiusque nunc quoque ſtudioſiſſimus,

mus, *Profectoris*, quem vocant, muneri anno 1741 se admoueri passus fuit, multa quoque cum dexteritate ei satisfaciens. Anno 1746 in Academiam Naturae Curiosorum receptus Socius, et duobus annis post a Celsissimo Principe Electore Moguntino Professor Institutionum medicarum Ordinarius et Facultatis Medicae Assessor nominatus constitutusque, medicinam cum laude pariter docuit atque inter ciues suos fecit; physici sic dicti quoque absentis, Ill. LVDOLFII, singulari cum industria partes egit. Virum eum fuisse doctum, integrum vereque pium, tamque omnium officiorum diligentem, ut et laboribus obrutus iis tandem pro infirma sui corporis valetudine succubuerit, omnes adhuc in honorum eius testantur Erfordienſium boni ciues. Qui plura de eius vita bene acta et quibusdam ab eo editis scriptis scire cupit, is adeat Cl. BOERNERVM *de vitis medicorum celebrium* *.

Insuper silentio prorsus praeterire nolumus, quod in eadem, de qua iam egimus *Vniuersitate Erfordienſi*, Celsiſſ. Princeps Elector Moguntinus *profectoris* sic dicti munus tradiderit Cl. BOESEFLEISCH, qui in demonstrationibus anatomicis atque chirurgicis suam collocet operam.

Garianoni in Anglia superiore iam anno 1756 die mensis iulii tricesimo ex hac vita discessisse legimus GVILIELMVM BVRTON, Med. D. variis scriptis et inter haec in primis vita, quam conscripsit, BOERHAAVII, clarum inter viros doctos factum.

* vid. Eiusd. *Nachrichten von den vornehmſten Lebens-Umſtaenden und Schriften iztlebender berühmter Aerzte und Naturforſcher. Zweyter Band. Wolfenbüttel.* 8. 1752. p. 248.

Nosmet ipsi lugemus cum Berolinensibus praematuram valde mortem Viri, qui olim fuit ex nostratibus, scientiae medicae et studiosissimi et peritissimi, IOAN. LVDOVICI LEBERECHT LOESECKE, Med. D. et Imperialis Academiae Naturae Curiosorum sodalis, qui aetatis annum agens modo tricesimum tertium, nuperrime die mensis huius aprilis primo, e viuis ereptus fuit *Berolini*, quo in loco per plures iam annos cum laude fecerat atque docuerat medicinam, variis scriptis suo tempore a nobis expositis, inclarescens, a cuius indefesso studio plura adhuc expectari poterant.

Herbipoli iam sub finem anni 1755 die nono mensis nouembris vita defunctum fuisse IOAN. MARTIN. ANASTASIVM ORTH, Phil. Chir. et Med. Doct. et Prof. Publ. Ord. Medicorumque sui ordinis Seniorem *, suo tempore nominatum a nobis, aetatem septuaginta nouem annorum adeptum, paulo nunc quidem serius narrare, quam mortem eius prorsus silere, malumus.

Helmstadiensis Academia anno superiore 1756 die septembris undecimo virum amisit de re literaria pariter ac sua, cui admotus erat, academia bene meritum, eximia eruditionis et singularis industriae laude, variisque editis scriptis clarum factum, IO. NICOLAVM FROBESIVM, Mathem. et Physices Prof. Publ. Ord. quum aetatis annum ageret quinquagesimum quintum.

Historiae naturalis studium, uti iucundissimum est, sic et sui cultorum semper maiorem adipiscitur numerum. Inter alia insigne potissimum illi accedit incremen-

* vid. Comment. nostr. Vol. II. P. I. p. 171.

incrementum eiusque ampliantur fines, ſi naturalium rerum, quas ſingulae proferunt prouinciae atque regiones, copia eruitur, inueſtigatur colligiturque. Iis itaque, qui illius ſtudii amantes peritique ſunt, gratum fore illud opus opinamur, quod Cl. ADANSON ſuſcepit Pariſiis, et quo nimirum *Senegalliae Hiſtoriam naturalem* exhibendi cepit conſilium. Per aliquot annos in Africae occidentalis prouinciis commoratus ipſe Cl. Auctor optimaque igitur colligendi cuncta, quae ad finem ſuum pertinere videbantur, fruitus fuit opportunitate. Satis omnino amplos operis huius fore limites, inde coniicimus, quod primum volumen, in forma, quam dicunt, quarta proxime in lucem emittendum concharum tantum collectarum hiſtoriam complexurum eſſe legimus; quod ſub finem huius anni alterum excipiet volumen, reliquis poſtea eodem modo ſubſecuturis. Multas quidem tabulas aere expreſſas continebit opus; ut faciliorem tamen illud ſibi comparandi viam habeant eius amatores, rogantur, velint pro quouis volumine non ligato duodecim pondo gallica in anteceſſum ſoluere, quam pecuniam accipient bibliopolae *Pariſiis* CLAVD. IO. BAPTIST. BAVCHE et *Amſtelodami* MARCVS MICHAEL REY.

Ex operibus hiſtoriam naturalem illuſtrantibus illud, quod iamiam indicauimus, ad amplificandos eius cognoſcendae limites pertinere videtur. Aliud vero ſimile, ſed vaſtiſſimum, collectioni eorum, quae alii iam obſeruarunt, deſtinatum molitur BOMARE DE VALMONT, *Pariſiis* commercium faciens rerum naturalium, quarum uſus in officinis potiſſimum pharmaceuticis fieri ſolet, ſimplicium vulgo dictarum (*commercant en droguerie*) quippe qui integrum ſic dicendum *Hiſtoriae naturalis Curſum*, *mineralia*, *vegetabilia et animalia complectentem* ſe edere velle declarauit.

rauit. Omnia igitur non ſolum, quae in modo dictis tribus naturae regnis occurrunt; ſed varia etiam a veteribus aeque ac recentioribus ad explicandos naturae theſauros conſcripta ſyſtemata collecturus, eam ſuis laboribus ſe conciliare poſſe exiſtimat perfectionem, ut non ſolum hiſtoriae naturalis cultoribus grati, ſed et phyſicae, medicinae, pharmaciae e. ſ. p. ſtudioſis eueniant utiles. Viros itaque doctos ſingularia naturae in ſuis muſaeis aſſeruantes, ut ea cum ipſo communicent, orat; iis vero, qui librum poſſidere cupiunt, pretio ſeptuaginta duorum pondo gallicorum in antecеſſum vel ſemel vel per tres vices ſoluto, eum offert. Ne experientia, eruditio atque induſtria, ad opus tam vaſtum prudenter colligendum neceſſariae, Auctori forte deſint, optamus.

Eruditorum quandam ſocietatem duce Cl. HENRICO THEOPHILO ROTHIO, Artium Magiſtro, hic Lipſiae in opere aliquo iam elaborare percipimus, cuius inde expectandae utilitas, ut eius hic loci aliquam iniiciamus mentionem, a nobis exigere videtur. *In tanta experimentorum copia tam pauca inde duci ad uſum vitae* recte iam olim miratus conqueſtusque fuerat b. LEIBNITIVS: *duobus* igitur *opus* eſſe, iudicauerat: *inuentario experimentorum iam cognitorum, et applicatione matheſeos ad phyſicam**; quorum ex hisce *Leibnitianis* votis priori ſatisfactura iam dicta ſocietas eum ſibi propoſuit finem, ut titulos omnium commentationum, quae phyſici argumenti ſunt et in omnium academiarum actis aliisque ſcriptis periodicis, licet ea non ſola contineant phyſica, reperiuntur diſperſa,

* vid. Otium Hanoueranum ſiue Miſcellanea GODOFR. GVILIELMI LEIBNITII. Lipſiae, 8. 1718. p. 162.

diſperſa, ordine ſyſtematico ſumma cura et ad minimas uſque claſſes diſpoſito, colligat, quo ſtatim apparere poſſit cuilibet rerum phyſicarum ſtudioſo indagatori, quaenam et a quo facta iam fuerint tentamina ad unam alteramque omnium ſcientiarum phyſicarum partem illuſtrandam. Ne quem forte remoretur linguarum tam variarum, in quibus conſcripti ſunt ipſi commentarii, ignorantia, omnes tituli, praeter gallicos, uti vix non omnibus ſatis intellectu faciles, reddentur latine. Princeps quidem labor reſpiciet ea potiſſimum, quae ſic dictis *Collectionibus* ſiue *Actis* ſparſim inſerta deprehenduntur; alia tamen ſeparatim edita opera non prorſus omittentur; hac interim licet obſeruata cautione, ut illorum, quae non experimenta, ſed dogmata potius ſectarum exhibent, praecipua tantum, ipſorum nimirum alicuius ſectae auctorum aſſeclarumque ſcripta, enumerentur. Vna cum libris eruditorum quoque diaria adducentur, in quibus eorum mentio facta fuit; ſubque finem index alphabeticus ſubiungetur cuilibet parti. Ad phyſicae notionem Cll. Auctores referent omnes, quae vel ſtricte loquendo ad eam pertinent, ſcientias, vel eam ad vitae communis uſum applicant; itaque nec artis medicae diſciplinas ex laborum ſuorum limitibus excluſas volunt. Quam primum aliqua totius operis ſectio ad finem perducta atque typis expreſſa fuerit, ea tradetur ſubſcribentibus vulgo dictis, ſiue iis, qui pecuniam in anteceſſum ſoluerunt; ipſius autem conſtituendi pretii ratio quam proxime declarabitur.

Plurimas, niſi omnes, quas humana mens capit, rerum notiones per ſenſus, in primis illum viſus, excitari inter omnes conſtat. Interim, quum illos miſeros, qui coeci nati ſunt, ideas formare, cogitare, et acri ſaepius pollere iudicio experientia confirmet;

res omnino inueſtigatu eſt digniſſima, num tales homines et quasnam rerum, quas in viſus ſenſum potiſſimum incidunt, eiusque ope a reliquis hominibus oculorum uſu gaudentibus percipiuntur, ſibi forment ideas, licet eas nunquam videre potuerint? Vnica ſine dubio ad hanc rem detegendam via ſupereſt haec, ut ſomnia ſua enarrent coeci nati. Talia ab eius generis coecis, decimum aetatis annum iam ſupergreſſis, ideoque aliquam rem aperte, quantumque fieri poteſt, dilucide et compoſite enarrare atque deſcribere valentibus, ut annotentur, colliganturque a viris fide dignis mittanturque *Gottingam* ad V. Cl. FR. W. KLAERICH, M. D. humaniſſime rogantur. Nec habent, qui literas ideo ad eum dare velint, cur ſumtus nomine curſus publici ſoluendos faciant, quos eo lubentius ille ſe laturum eſſe profitetur, quo magis eius modi obſeruationes ab hominibus aetate proiectioribus conquirere cupit, quales iam a pueris inferioris aetatis, at rite enarrandi artem nondum callentibus, iam habet collectas.

XX.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1754 prodierunt.

Raccolta d'alcuni opuſcoli ſopra il moderno abuſo del mercurio nella Medicina. In Venezia, 8. (*Cl. Auctor eſt Comes* IOAN. BAPTISTA FELICI, Med. D. et Prof. Venet.)

Abdeker: or the art of preſerving beauty; translated from an Arabian manuſcript. London, 12.

The Uſeful Family Herbal: or an account of all thoſe English plants which are remarkable for their virtues: and of the drugs, which are produced by vegetables of other countries. With their deſcriptions and their uſes, as proved by experience. Illuſtrated with figures of the moſt uſeful English plants. With an Introduction — and an Appendix — — The whole intended for the uſe of families and for the inſtructions of thoſe who are deſirous of relieving the diſtreſſed ſick. London, 8. c. f.

A Diſſertation on Botany. By CHARLES ALSTON. Translated from the latin by a phyſician. London, 8.

CAROL. AVGVST. DE BERGEN, Cosmeticae in artis formam redactae ſpecimem primum. Reſp. *Michael. Maxai.* Francofurti ad Viadr. 4.

Eiusd. Diſput. ſiſtens chronologiam formularum medicarum et remediorum chirurgicorum. Reſp. *Carol. Steph. Ludouic. Weſenfeld.* ibid. 4.

SVENO BING, Diſſ. de tractu territorii Loſguddiani Kullen. Reſp. *Simon Petr. Sundins.* Lundini Sconiae.

Il Poema *de principiis rerum* di SCIPIONE CAPECE; colla traduzione in verſo Italiano ſciolto; e le annotazioni di FRANC. MAR. RICCI; etc. In Venezia. 8.

MARK CATESBY, the Natural Hiſtory of Carolina, Florida and the Bahama Islands, containing the figures of birds, beats, fiſhes, ſerpens, inſects etc. reviſed by M. EDWARDS. 2 Voll. London, fol. reg.

CHYDENII Diſſert. om gamle Carleby. Reſp. *Samuel Fabrell.* Abo.

Rifleſſioni ſul morſo d'un cane rabioſo; ſcritte dal PIETRO CLEMENTE LOMENI GALLARATI. In Milano, 8.

Beſkrifning öfwer Wäſtmanland med ſina ſtäder härader ock Socknar, af OLOF GRAV. Wäſteros. 8. c. f.

PEHR KALM, Diſſ. om Sättet at anſtälla meteorologiska obſervationer och theras nytta â oeconomien. Reſp. *Andr. Gudſeus.* Abo.

Eiusd. Diſſ. Adumbratio florae. Reſp. *Guſtav. Orraeus.* ibid.

Eiusd. Diſſ. de erica vulgari et pteride aquilina. Reſp. *Ioan Lagus.* ibid.

Eiusd. Diſſ. kort Beſkrifning öfwer den i Veſterborn gangbarn Boskaps - Suikan. Reſp. *Iſrael Holſtius.* ibid.

Eiusd. Diſſ. En fallige anmärkningar wid Saltkiällar. Reſp. *Matthias Forſinius.* ibid.

Eiusd. Diſſ. om maſſlupna hardwalls Ingars förbättrande. Reſp. *Sam. Norgreen.* ibid.

PEHR KALM, Diſſert. de poſſibilitate varia vegetabilia exotica fabricis noſtris utilia in Finnlandia colendi. Reſpond. *Carol. Frid. Leopold.* Abo.

A treatiſe on the gout; in which the cauſe is firſt briefly aſſigned; and ſecondly, an effectual and certain cure is pointed out. By ARENTIVS FERDINAND LAMBRECHTS. London. 8.

CAROL. LINNAEI Diſſ. Ceruus Rheno. Reſp. *Carol. Frid. Hofberg.* Vpſaliae.

Eiusd. Diſſ. de mure indico. Reſp. *Io. Iuſt. Naumann.* ibid.

ANTON. MAGNOL. Quaeſt. An raro peripneumoniae vomitorium? Reſp. *Michael del Zaurdy et Perverteguy.* Monſpelii. 4.

Extracts from an old Treatiſe of Surgery: ſchewing the ſucceſſful application of fungous ſubſtances in ſtopping violent bleedings ſo long ago as one hundred and ſixty years and upwards. With the ingenious coniectures of Mr. MORAND about the manner in which theſe ſubſtances act. By H. MASON. London. 8.

A new courſe of chemiſtry; in which the theorie and practice of that art are delivered in a familiar and intelligible manner; etc. By IAMES MILLAR. London. 8.

IO. CASPAR. ANTON. MÜLLER, Diſſ. inaug. de ſede et indole pleuritidis. Giſſae. 4.

NICOL. ROSEN, Diſſ. de epilepſia iuuenili. Reſp. *Petr. Sundius.* Vpſal.

Eiusd. Diſſ. de emeſi. Reſp. *Dauid Schulze.* ibid.

A col-

A collection of cases and obseruations in midwifery; by WILLIAM SMELLIE; to illustrate his former treatise or first volume on that subiect. Vol. II. London. 8. mai.

A Translation of the Commentaries upon the Aphorisms of Dr. BOERHAAVE, by GERARD VAN SWIETEN. Vol. IX. X. et XI. London, 8.

IO. MAR. TORRE, Institutiones physicae. Neapoli. 2 Voll. 8. mai. c. f.

CLAES BLIECHERT TROZELIVS, En tröskmahin som i naogra aohr med god Nytta och fördel warit brukad. Stockholm. 8.

De societate mentis et corporis, Disputatio psychologico-physica, a PETRO VBALDINO habita. Romae. fol.

T' geklemd Hoofd geredt door PAVLVS DE WIND. Middelburg. 8. mai.

XXI.

Supplementum indicis scriptorum physico-medicorum, quae anno 1755 prodierunt.

Mémoires de Mathématique et de Physique, redigés à l'Observatoire de Marseille; année 1755; seconde partie; à Avignon. 4.

Versuch einer Beschreibung historischer und natürlicher Merkwürdigkeiten der Landschaft Basel; 13tes Stück. Basel, 8.

Förlök

Förſök til de uti Swerige gangbare Siukdomars utrönande för ar. 1754. Stockholm. 8. (Auctor Cl. IOAN. PETRVS BERGIVS. M.D.)

Chymie du gout et de l'odorat, ou Principes pour compoſer facilement et â peu de frais, les Liqueurs à boire et les Eaux de ſenteurs; à Paris. 8. c. f.

Theatrum tabidorum; ſiue phthiſeos, atrophiae et hecticae, xenodochium. Auctore CHRISTOPHORO BENNET, M. D. Florentiae. 8.

Bet aenkande om Vattu-Minskningen; af IOHAN DROWALLIVS. Stockholm. 8. mai.

IOAN. NICOL. MILLIN DE LA COVRVE AVLT, Quaeſt. med. An Pariſinis variolarum inoculatio? Reſp. *Petr. Ioſeph, Moriſot des Landes.* Pariſiis. 4. mai.

A deſcriptive poem adreſſet to two ladies, at their return from viewing the mines near Whitehaven; by IOHN DALTON. London. 4. mai. (*Ipſum poema phyſici non ſolum argumenti, ſed et ſubiunctae animaduerſiones* Cl. BROCONRIGG.)

Traité des cauſes et Symptômes de la pierre, et des principaux remédes en uſage pour guérir cette maladie, contenant: l'hiſtoire de ceux de Mademoiſelle STEPHENS et ſa recette publiée par ordre du Parlement de la Grande-Bretagne en 1739: Obſervations et réponſes aux obiections, qu'on a faités contre cette compoſition: Avis à ceux qui en font uſage: l'Examen de l'eau de chaux, avec des cas des perſonnes qui s'en ſont ſervis: du Lithontriptique du Docteur IVRIN, ou leſſiue de ſavon, avec des remarques la-deſſus, et de cas des perſonnes qui l'ont pris: du Savon: de la Coquille liquide et

autres

autres ſecrets, ſur tout de celui de Mr. BLANCHARD de Londres et CARTIER de Paris: de Remédes qui forcent et de ceux qui adouciſſent: les Cas de perſonnes qui ont pris la préparation de Mademoiſelle STEPHENS en rouleaux ou pilules longues ou en maſſes, avec la ſuite de quelques autres, publiés ci devant. Par D. D'ESCHERNY. à Dublin. 8.

PHILIPP. CONRAD. FABRICII Oratio de vita bene morata, optimo valetudinis tutamento et ad longaeuitatem praeſtanti iuuamine. Helmſtadii. 4.

Eiusd. ſermo de praeſtantioribus huius ſaeculi emendationibus et incrementis ſtudii medici practici. ibid. 4.

Obſervations ſur l'Hiſtoire Naturelle ſur la Phyſique et ſur la Peinture, avec des planches imprimées en couleur, par Mr. GAVTIER. Année 1755. Treizieme — dix-huitiéme partie; à Paris. 4. mai. c. f. (*Volumen quintum et ſextum*).

Quaeſtio med. phyſiologica propugnata a IOSEPHO ALEXIO DVBOIS DE LA GVINARDIERE, in qua fluidi neruei exiſtentiam, originem, curſum, uſum et indolem probare conatus eſt. Monſpelii. 8.

Sull inſenſibilita e irritabilita di alcune parti degli animali, diſſertazioni de' Signori HALLER ZIMMERMANN e CASTELL, transportato in lingua Italiana dal I. GIAN VINCENZO PETRINI; colle lettere del l' VRBANO TOSETTI, ſullo ſtiſſo argumento. Roma. 4.

Pathological Obſervations, chiefly from diſſections of morbid bodies. By Dr. HALLER. London. 8.

IONAS MISCHEL IEITTELES, Diſſ. inaug. ſiſtens theoriam ac therapiam fluxus diabetici. Halae Magd. 4.

A Sua Altezza Reale, FEDERICA SOFIA GVGLIELMINA, Nata Real Principeſſa di Pruſſia e Margravia Regnante di Bareith, Elettriciſmo componimento ditirambico di PACHIMIO INICO. In Peſaro. fol. (*Verum Auctoris, Medici Fanenſis Primarii, nomen eſſe dicitur:* IACOBVS ALOYSIVS MICHINI).

CAROLI LINNAEI Flora Suecica exhibens plantas per regnum Sueciae creſcentes ſyſtematice, cum differentiis ſpecierum, ſynonymis auctorum, nominibus incolarum, ſolo locorum, uſu oeconomorum, officinalibus pharmacopoeorum. Holmiae. 8.

Magazino Toſcano d'inſtruzione e di piacere. Per ANT. SANTINI. In Livorno. 4.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia Londini in hortis curioſorum nutrita, manu artificioſa pinxit GEORG. DIONYS. EHRET; collegit, nominibus notisque illuſtrauit CHRIST. IAC. TREW; in aes incidit et viuis coloribus repraeſentauit IOH. IAC. HAID. Decur. V. Norimbergae. fol. reg. c. f.

Contenta

Contenta in hac Parte:

1. BÜCHNERI Academiae S. R. I. Leopoldino Carolinae naturae curioſorum hiſtoria p. 3.
2. FABRICIVS de fonte martiali medico Helmſtadienſi p. 19.
3. TRALLES *das Kayſer-Carlsbad in Böhmen* etc. p. 25.
4. MARTEAV Analyſe des eaux de Forges p. 30.
5. BRENDEL Diſſ. de ſeriori uſu euacuantium in quibusdam acutis p. 33.
6. Hiſtoire et memoires de l'academie royale des ſciences de Paris. an. 1751. p. 38.
7. VON HALLER Iconum anatomicarum Faſcicul. VIII. p. 58.
8. ALBINI Academicarum annotationum Liber III. p. 61.
9. Recueil periodique d'obſeruations de Medecine etc. Tom. I. et II. p. 66.
10. Prodromus praeuertens continuata acta medica Haunienſia etc. p. 105.
11. VOGEL Inſtitutiones chemiae p. 120.
12. IDEM de incruſtato agri Goettingenſis p. 137.
13. SCHAEFFER *der krebsartige Kiefenfuß mit der kurzen und langen Schwanzklappe* p. 141.
14. LINNAEI Muſaeum S. R. M. Adolphi Friderici Regis Suecorum p. 144.
15. *Vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kraeuterbuch* etc. p. 146.
16. *Hamburgiſches Magazin* XVIter *und* XVIIter *Band* p. 149.
17. M'AGNOL Quaeſt. med. An raro peripneumoniae vomitorium? p. 161.
18. CARTHEVSER Diſſ. de praecipuis balſamis natiuis p. 164.
19. Noua phyſico-medica p. 171.
20. Supplementum alterum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1754. prodierunt p. 185.
21. Supplementum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1755. prodierunt p. 188.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VI. PARS II.

LIPSIAE, MDCCLVII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Parisiis apud Briasson, Patavii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Kongl. Suenska Vetenskaps Academiens Handlingar foer aor 1755. Vol. XVI. Med. Kongl. Academiens Tilſtaond. Tryckte i Stockholm hos Lars Salvius pao deſs egen koſtnad 1755. 8. plag. 21. tab. aen. 10.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae ad annum 1755. Vol. XVI.

Trimeſtre primum:

1) Cl. WARGENTIN adhue agit *de uſu, quem vi-* p. 1.
ta defunctorum et natorum catalogi praebent. Hic potiſſimum oſtendit, quo modo incrementa aut decrementa multitudinis, regionem quandam incolentis, cognoſci inde poſſint. Ex quibusdam catalogis Academiae exhibitis numerus natorum ad numerum mortuorum eſt ut 140 ad 100, ſumto medio ex numeris pluribus. Quae ratio ſi per omnem Sueciam obtineat, incrementum vero cauſis extraordinariis non turbetur, annis 74 incolarum numerus praeſentis erit duplus, poſito ſcilicet natorum numerum ad viuentium numerum eſſe in ratione 1 ad 130. In p. 10.
cremento huic autem accelerando plurimum conduceret, ſi morbi, contagioſi in primis, praecauerentur,

tur, medici idonei ubique conſtituerentur, medicamenta etiam publicis impenſis diſtribuerentur. Fruſtra matrimoniis fauetur, ſi natorum magna pars mox rurſus perit. Quibusdam annis quinta fere pars viuentium, variolis aufertur, cui malo inoculatio mederi poſſet. Multum credit Noſter ad ſalutem publicam facturum, ſi verbi diuini miniſtri artis medendi eſſent periti. Quam rationem habeat vita defunctorum numerus ad numerum viuentium, coniecturis ſaltem adſequi laborarunt omnes, qui huc uſque
p. 14. de hoc negotio ſcripſerunt, Sueci vero ſcire poſſunt, tabulis, in quas incolae deſcribuntur, publica auctoritate conſtitutis. Ex his patet anno 1749, collectis omnibus Sueciae prouinciis, partem incolarum triceſimam ſextam vita exceſſiſſe. Singulae autem regiones alios aliosque numeros praebent, et annus hic inſalubris plurimum fuit aeque ac ſequens, quo priori iuncto efficitur quadrageſimum hominem circiter in Suecia quotannis mori, quae quidem ratio, aliis annis in poſterum adhibitis, poterit forte mutari. Holmiae ex tabulis trium annorum efficitur, hominem viceſimum quartum mori, ſed Cl. WARGENTIN credit numerum incolarum Holmienſium tabulis exhibitum eſſe iuſto minorem, cum multi, praedia in rure poſſidentes, ibi deſcribantur, etſi in urbe degant et ibi liberos procreent, ſuosque ſepeliant.

p. 15. 2) *Medelam hydropi, in noſocomio Kungsholmenſi adlatam, ſecunda relatione* deſcribit ABR. BAECK. Adhibita eſt ſalis ſeignette drachma dimidia, additis granis rhei quinque, item ptiſana ex baccis iuniperi contuſis, rad. taraxaci ana unc. un. c. ſemi., raſ. ſaſſafras unc. un. Tranſpirationi augendae data eſſentia alexipharmaca STAHLII, addito dimidio mixturae ſim-
p. 17. plicis. Interdum etiam datae ſunt pilulae aloeticae et puluis ſquilliticus antihydropicus. Ita ſudore et urina in primis aqua euacuata eſt, ut decembr. 29,

noſoco-

noſocomium bene valens reliquerit, quod nouembr. 31. ingreſſus erat. Morbi diarium hic exhibet et cogitata quaedam ſubiungit, quorum ſumma huc redit: Aſcitem, etſi grauem et corpori, immoderato ſpiritus frumenti uſu debilitato, inſidentem, accedente etiam anxietate et reſpirandi difficultate maxima, minus periculi tamen habuiſſe, cum febris ſimul adeſſet, viribus autem aeger non omnino careret. Igitur compeſcere febrem noluit medicus, ſed aperientibus adhibitis, illam ad fluida rarefacienda et mouenda aptam iudicauit. Sudor immoderatus, qui paroxyſmum febrilem initio comitabatur, ceſſabat aluo ſatis aperta. Cum vero aqua euacuata eſſet, debilitas inſignis ſuperuenit, procul dubio ob vaſa euacuata concidentia. Tunc ſquilliticum puluerem non amplius adhibuit, de corpore roborando autem cogitauit. Igitur datum tunc decoctum chinae chinae, tandemque china china ipſa una cum ſale anglico doſibus exiguis. Cum increuerant vires, et febris fere ceſſauerat, tutius dari poterant laxantia, puta infuſum ſennae et ſal anglicum. Magno uſui etiam fuit decoctum rad. Britannicae. p. 21.

Tertia relatio aſcitem ſimiliter enarrat leucophlegmatiae iunctam. Vbi in primis adhibitum eſt ſal anglicum, cuius libram, et quod excedit, breuiori ſpatio, quam menſtruo, aeger ſumſit. Additae poſtea pilulae reſoluentes, et potus ſennae, item puluis ſquillae, in primis vero uſui fuit cereuiſia antiſcorbutica ex Pharmacopoea pauperum Edinburgenſi. Chinae chinae non plane ſemunciis quatuor opus fuit cuius ſemuncia una febrim ſedauit, reliquum corpus roborauit. p. 22. p. 23.

Quarta relatio ad hydropem pertinet, a fluidis ſpiſſis et viſcidis natam, unde primum febris quartana orta eſt, quae cum rarefaciendis et propellendis humoribus non ſufficeret, ipſi extra vias circulationis conſtiterunt, vaſisque expanſis tumoris cauſa fuerunt, p. 27.

inteſtinis ceterum ſanis, et facile educebatur aqua puluere ſquillae, decocto britannicae ſimul aluum apertam tenente et roborante, putredini item reſiſtente. Radix rumicis, primum in America aduerſus oſſium morbos facere reperta, congener eſt britannicae, quae LINNAEI opera in Suecia aduerſus cachexiam et vetera oſſium ulcera introducta eſt, apud antiquos iam, quod ſcorbuto reſiſteret, celebris. Praeſenti caſu ſola quartanam ſuſtulit, quae alias non niſi chinae chinae cedit.

p. 27. 3) *De cauſis, cur aqua ex mari atlantico per fretum herculeum perpetuo in mare mediterraneum influat,* commentatur Ill. WAIZ, Conſil. intim. Caſſel. De phaenomeni veritate teſtibus fide dignis conſtat. Noſter primo examinat, cur maris mediterranei altitudo non augeatur, oſtenditque per ſubterraneos canales
p. 40. egredi aquam non poſſe. Ipſius autem phaenomeni rationes ſic concipit: euaporatione ex mari mediterraneo aquam dulcem ſolam tolli, reliquam igitur ſalſam magis euadere, hincque grauiorem, unde inferius per fretum rurſus in mare atlanticum exeat, minus ſalſa ex atlantico ſuperius irruente, ut duo flumina ſibi oppoſita exiſtant, qualia in boſphoro thracico
p. 42. MARSIGLIVS obſeruauit, ſimili ratione explicanda. Noſter autem explicationem hanc rationibus tuetur et experimentis illuſtrat.

p. 51. 4) *Erucam pedibus ſedecim, annulis bipartitis,* deſcribit DANIEL ROLANDER. Eorum, qui de inſectis ſcripſerunt, nemo illam habet. Veſcitur carne, vegetabilibus, libentiſſime lardo et butyro, neque notum huc uſque fuit inſectum, quod tali nutrimento utitur in phalaenam abire. Viuit, corpore etiam pinguedine obducto, miro enim artificio ſtigmata, per quae aerem ducit in ſaccos veluti, ex cute ope partitionis illius annulorum formatos condit,

ut

ut eo penetrare fluidum non poſſit. Phalaenae candelae conclauibus, quibus eſculenta ſeruantur, illatae aduolant. Femina vero comprehenſa et, acu in- p. 54.
fixa, firmata, mares aduolant coitus gratia, ſicque capi quam facillime poſſunt. Oua poſuit hoc in ſtatu femina numero ducenta, ſed ſterilia, forte quod recte fecundata non erant. Phaelaenae deſcriptio breuis data eſt a LINNAEO Faun. Suec. n. 915.

5) ZACHAR. WESTBECK oſtendit, *quo modo* p. 55.
ſeri commodius poſſit, quam machina illa in Suecia huic fini inuenta.

6) *De medela electricitatis ope paralyſi adlata* agit p. 59.
PETRVS ZETZELL, M. D. Sellarum equinarum parandarum artificis dextra ſubito inter laborandum paralytica facta eſt, nulla apparente cauſa morbi, nullo dolore aut tumore. Cum ad electricitatem confugeret, maiorem a ſcintillis dolorem ſenſit in quibusdam locis, ſcilicet ubi ramuſculi neruorum vergunt ex mediano ad muſculos, radiaeum internum, ſublimem et palmarem longum, item prope ramum trunci tertii prope ſupinatorem longum ad pollicem vergentis. Hi autem ipſi nerui ad digitos et muſculos vergebant, quorum facultas motrix perierat. Scintillis autem in ea loca fortiſſimis immiſſis, aeger quatuordecim dierum ſpatio ita ſanitati reſtitutus eſt, ut manu perfecte uti potuerit. Colligit hinc Noſter, paralyſi a preſſione nerui cuiusdam, lymphae ſtagnantis forte ope nata, ex dolore maiore, quem diximus, colligi poſſe, quo loco moretur cauſa mali, quam ſic diſpellere in poteſtate eſt. Idem duobus adhuc exemplis, ſed obiter ſaltem recenſitis, confirmat.

7) *Compendium obſeruationum meteorologicarum* p. 64.
Vpſalienſium anni 1752 exhibet BENEDICT FERNER.

Maximus calor umquam Vpſaliae obſeruatus incidit in huius anni menſem iunium, diem viceſimum quartum, et eſt graduum $31\frac{1}{2}$ ſupra punctum congelationis.

p. 71. 8) *Piſcem ſquali* (ARTED. Gen. p. 70. n. 14.) ſiue Canis Carchariae (*Hay*) *comitem* deſcribit PETRVS OSBECK. Dari piſciculi genus, quod cetis viam monſtret, antiqui tradiderunt, quibus illud ἡγήτος vel ἡγεμὼν appellatum eſt. Fabuloſum hoc eſſe, GESNERO retulerunt cetorum venatores, verum autem eſt, ſi de cane carcharia accipiatur, licet ad cetos non ſpectet. Scilicet piſciculus hic canem comitatur et praecedit, ſiue ut viam ipſi monſtret, ſiue ſui ipſius gratia, nautis ſuecicis ideo *Lods* vel *Losmantje* appellatus. Plures vidit Noſter in itinere Sinenſi annis 1751 et ſequentibus. Piſcis ipſi eſt: *Scomber coeruleo albus, cingulis transuerſis nigris, dor-*
p. 74. *ſo monopterygio.* Capi vidit aprilis octauo die, 1751, in latitudine boreali graduum 3, rete ſacciformi (*Hamen*) paullulum in aquam immerſo, reti vero imminens tenebatur canis carcharius ſemimortuus; ita piſciculi pro more ad canem natabant, et ſublato rete extollebantur. Saporem cocti habent valde bonum, fere ſcombrorum ſuecicorum.

9) *Ex diario Academiae* exhibentur:

1. Qualis hiems anni 1755. in Suecia fuerit, Academia enarrat, reſpondens deſideratis phyſicorum, auſtrales magis regiones, in quibus hiems hoc anno inſigniter ſaeuierat, habitantium. Frigus maximum fuit Holmiae initio februarii, et quidem februarii ſexto graduum 18 thermometri Reaumuriani. Relatum vero eſt, idem thermometrum in Europa auſtraliore deſcendiſſe ad gradus 21. Maior frigoris vehementia fuit Akerſundiae in Nericia, milliaribus octodecim verſus w. s. w. ab Holmia diſſita, ſed in regione

regione lacubus, fluuiis et ſyluis interrupta. Ibi thermometrum ultimis ianuarii diebus et primis februarii ad 24 gradus Reaumurianos deſcendit.

2. Legato comitis FRIDERICI SPARRII Academia uti decreuit ad danda quotannis praemia duobus, qui acta anni praeteriti inuentis utilibus ditaſſent. Id conſilium hoc anno prima vice in effectum deductum eſt, praemiaque data ſunt LINNAEO, qui, quae plantae in alpibus lapponicis ſeri debeant, oſtendit, et STRIDSBERGIO, qui de lupuli cultura optima commentatus eſt. Nummus datus eſt cuiuis aureus pondere ducatorum decem; altera facies comitis SPARRE inſignia oſtendit, addita epigraphe: *Superſtes in ſcientias amor Friderici Sparre comitis.* HEDINVS ſimilem nummum accepit, ſed argenteum, quod parochiam, cui paſtor praeeſt, *Kraeklinge* in *Nericia* utiliter deſcripſit. Si immediate ad oeconomiam pertinentes diſſertationes in poſterum quotannis non adſint, praemia iis dabuntur, qui de aliis rebus, quodam modo tamen ad oeconomiam publicam facientibus, optime ſcripſerint. p. 76.

Trimeſtre ſecundum:

1) *De uſu catalogorum eorum, qui naſcuntur et obeunt*, diſſerere pergit P. WARGENTIN. Hic tabulas ex variorum obſeruationibus, HALLEII ſcilicet, KERSEBOMII, DEPARCIEVX et Suecorum coniungit, ſpem etiam vitae, quae ſupereſt datam aetatem adeptis, comparat. Oſtendunt vero hae comparationes, nullibi locorum, ubi capta ſunt experimenta, mortem atrocius ſaeuire, quam Londini; ibi dimidium natorum, ante quam triennes fiant, perit; tertia ſaltem pars annum viceſimum, quarta quadrageſimum ſuperat. Proxima Londino eſt Vratislauia, ubi natorum dimidium annum decimum quartum attingit, quarta pars 55. Longiſſime homines viuere p. 81. p. 90.

 videntur

videntur Holmiae et in ſex regionibus Sueciae, quarum obſeruationes ſeparatim exhibentur, ibi dimidium natorum annum triceſimum, quarta pars ſexageſimum quartum attingit. Numeris autem mediis ex obſeruationibus omnibus ſumtis, colligitur quartam natorum partem primo anno interire, alteram quartam inde a primo ad viceſimum quartum, tertiam quartam uſque ad ſexageſimum durare. Virgi-
p. 91. nes ſanctimoniales ex DEPARCIEVX obſeruationibus monachis diutius viuunt, et viuaciorem eſſe ſexum ſequiorem, ſuecicae etiam obſeruationes confirmant. Illis enim teſtibus inter infantes, decennibus minores anno 1749 mortuos, 1117 pueri 1000 puellis reſpondebant. Neque hoc inde eſſe poteſt, quod plures pueri puellis naſcantur, nam eodem anno infantum natorum maſculini et feminini ſexus numeri erant in ratione 1027:1000. Igitur ſi eadem lege perpetuo aliquantum plures liberi maſculini ſexus naſcantur, multo plures autem intereant, decem annis non ſaltem exiguus ille maſculorum natorum ſupra feminas exceſſus periit, ſed ultra eum quoque 9 mares ex 100 mortui ſunt. Hoc autem eo confirmatur, quod feminae in regionibus campeſtribus maribus multo copioſiores ſint. Immo inter partus mortuos illo anno 1749 editos, duae tertiae puerorum erant. Hoc vitae pro ſexus ratione diſcrimen, ſi conſtans ſit, explicare phyſiologorum erit. DEPARCIEVX ad tabulas ſuas condendas catalogis eorum uſus eſt, qui reditus vitalitios perceperunt. Hos autem aliis viuaciores eſſe, inde probabile eſt, quoniam vix ſolent tales reditus emi ab iis, qui paucos ſaltem annos victuri videntur. KERSEBOMIVS obſeruationibus magis uniuerſalibus nixus, numeros dedit magis communi uſui reſpondentes. Vtriusque numeros exhibet WARGENTIN. Eſt vero ſpes recens nati viuendi adhuc annos $34\frac{1}{2}$ ex KERSEBOMIO, qui vero annum aetatis primum expleuit, ſpem habet

bet annos 41¾ viuendi; anno nonageſimo completo, duos annos totidemque menſes viuendi ſpes ſupereſt.

2) *De quantitate nitri, in puluere pyrio facto contenti, definienda* agit, ſubiunctis *obſeruationibus de puluueris pyrii praeparatione*, IACOB FAGGOT. Solutionem puluueris pyrii hydroſtatico examini ſubiici iubet et cum ſolutione nitri comparari, huiusque examinis methodos plures et faciles praeſcribit. Cum vero illud non prodat ſal vulgare aut alcalinum nitro forte admixtum, illi detegendo lunae cupellatae aut ſacchari ſaturni ſolutiones, huic ſyrupum violarum aut mercurium ſublimatum commendat. Quibus producta haec chemica ad manus non ſunt, illi puluueris pyrii ſolutionem ad ſiccitatem euaporare ſinant, reſiduum microſcopio contemplentur, tuncque nitrum et ſal culinare cryſtallorum figura diſtinguent. De praeparatione puluueris et examine eius varia ſubiungit. In Anglia ſeruari ait in vaſis interius charta obductis, quae ſolutioni ſaturae aluminis immerſa rurſusque ſiccata eſt; ea humidum aeris arcetur. p. 96. p. 110.

3) *Rubia tinctoria quo modo plantetur et praeparetur*, docet ERIC. GVSTAF. LIDBECK, quae in Seelandia, prouinciarum unitarum una, ipſe vidit, enarrans, machinas etiam et aedificia, quibus ſiccantur radices, comminuuntur, depurantur, deſcribens et depingens. Plantas, quas in Seelandia nactus erat, in Sconiam miſit, ſatis felix in cultura illarum, quae breuiter huc redit: Terra optima eſt humus argillae commixta. Agri partitionibus reliquo agro altioribus ſeries inſeruntur radicularum lateralium aut ſurculorum, ab aliis plantis ſeparatorum, pedis diſtantia intra duas quaslibet radices aut duos ſurculos in plantulas abituros relicta. Ita non ſolum nouae plantae magna copia habentur, ſed etiam illae, quibus laterales radices demtae ſunt, perpendicularem maiorem p. 117. p. 126.

maiorem multo et craſſiorem nanciſcuntur. Caules etiam reflexi et terra tecti in ſingulas plantas abeunt, ſiue ſeparatio facta fuerit ad nodum, ſiue non; cum radices egerunt, ſeparari a caule matre poſſunt. Plantatio vere, aeſtate, autumno fieri poteſt, optime tamen maio menſe. Octobri et nouembri cum flacceſcunt folia, terra plantae ad duos vel quatuor digitos tegantur. Alio tegmine, ut hieme tutae ſint, in Sconia opus non habent. Sub initium aeſtatis emergentes plantulae terra caute circumdentur, quae a ſolis nimia vi ipſas tegat. Radices biennes vel triennes eximuntur, reſecto caule et foliis, ſiccantur et praeparantur.

p. 130. 4) *Phocarum capiendarum artificium* edit CAROL. KNVTBERG. Telum eſt eo artificio aptatum, ut phoca per locum, in quo latet, gradiens eo confodiatur. Foueam etiam profundam, vel eius loco ciſtam, lapide circa axem quandam mobili tegere iubet, ut phoca inſiſtens lapidi deprimat illum et in foueam cadat. Piſcibus infeſtae ſunt phocae, in primis clupeae LINN. Faun. Suec. 315. β. Suecis *Stroeming*, in quas adeo graſſantur, ut nihil fere piſcatoribus relinquant. Quam bene paſti fuerint, pinguedo illarum oſtendit.

p. 136. 5) *Plumbi et ſtanni rationem in maſſa ex utroque mixta* reperire docet HENR. THEOD. SCHEFFER, *ex ponderis ad volumen habitu.* Vult ſcilicet globum fieri ex ſtanno puro et exacte ponderari, eius pondus in centum partes diuidi centenarii, quem vocant, loco futurum, et libras huic centenario reſpondentes ſemunciasque harum librarum parari. His ſi ponderetur globus eiusdem voluminis ex ſtanni et plumbi mixtura, ponderoſior utique futurus exceſſu ponderis, in tabula, quam eum in finem Cl. SCHEFFER computauit, quaeſitus, ſtanni et plumbi in mixtura

mixtura ratio in partibus ponderis totius globi centesimis reperitur. Innititur vero calculus eidem principio, quo metallorum commixtorum quantitates in hydrostaticis reperiri docentur. Recentiores autem physici docuerunt illud ARCHIMEDIS εὕρηκα, et si ingeniosissimum, fallere, si metallorum, quae commiscentur, unum alterius poros intret. Haec monuit iam ad scriptum aliquod BRANDII de eodem stanni, plumbo inquinati, hydrostatico examine in Comment. Acad. Scient. Suecicae 1744. Trim. III. art. 8. KAESTNERVS in notis versioni suae subiectis, ostenditque principio, quod hydrostaticum examen sumit, BRANDII experimenta contradicere. Nominatim etiam plumbi et stanni mixturam rariorem esse, quam per illam mathematicam regulam esse deberet, experimento cognouerunt Cll. KRAFFTIVS* et HAHNIVS**, cuius ea de re scriptum olim recensuimus. Haec autem omnia latuisse Nostrum videntur, qui alias aut peperciſſet labori tabulae condendae, aut ostendisset, dubia haec et experimenta contrario scopo suo non officere.

6) *Obseruationes quasdam chirurgicas* edit Cl. ACRELL. p. 148. Prima est de agarici usu in sistendo sanguine. Illum insignem expertus, cum feminae quadragenariae crus dextrum sub genu resecuisset: adhibuit tamen ligaturas etiam, in primis machinam agarico apprimendo idoneam, quae orbibus duobus constat, elastrum interiectum habentibus; alter igitur

* vid. Diss. eius de densitate metallorum secum permixtorum. Comment. Acad. Scient. Petropolit. Tom. XIV. p. 267.

** vid. Diss. de efficacia mixtionis in mutandis corporum voluminibus. Lugd. Bat. 1751. 4. et Comment. nostr. Vol. I. P. IV. p. 648. sed is aliter, quam KRAFFTIVS, stanni et plumbi mixturam densiorem reperit.

tur orbis vulneri applicatus apprimi poteſt ope linteorum, quae alteri orbi exteriori circumducuntur et ſupra genu alligantur. In vulneribus minorum arteriarum, ut temporalium, promtum expertus eſt agarici auxilium, cuius fruſtum vulneri impoſitum unica faſcia circumuoluta ſufficit. Vſitatam igitur faſciam ſolarem inutilem eſſe pronunciat, et fruſtra dolores excitare. Ceterum agarici quercini uſus tutus non eſt, ubi locus aut directio arteriarum prohibent preſſionem perpendicularem, aut ubi preſſione perpendiculari nihil effici poteſt, ut in epigaſtrica aut hypogaſtricarum aliqua vulnerata; Hic autem, ubi e latere premi debet, ſpongia marina, cera compreſſa, quam olim Noſter commendauit, tuto poteſt adhiberi.

p. 151. Secundo loco de herniis agit, caſus quosdam adducturus, in quibus natura, quam vocant, miracula praeſtitiſſe viſa eſt, alios, in quibus auxilium omne denegauit. Vir aliquot annos ſupra triginta natus, medelam vetuſtae herniae ſcrotali adferri voluit, quae magnitudine capita duo humana aequabat, nihil periculo operationis deterritus. Cum decubuiſſet aliquot diebus, et euacuationes debito modo praeceſſiſſent, imminuta eſt hernia, et maior inteſtinorum pars in abdomen reduci potuit. Cum adgredi vellet operationem Noſter, ſcrotum fere vacuum inuenit, et aperto inteſtinorum duas ulnas cum dimidia adhuc ineſſe reperit. Haec, per ampliatum etiam annulum, ob motus et flexus illorum ſatis difficulter introduci poſſe videbantur; interim licet per plures annos extra abdomen haeſiſſent, et diuturnae operationis tempore aer in abdomen egiſſet, nihil fere incommodi aegro accidit, ſed feliciter ſanatus ſeptimana
p. 152. ſexta noſocomium reliquit. Alius quinquagenarius ſimile auxilium poſtulauit. Erat vero hernia eius exigua ſcrotalis maiore omenti parte, parua inteſtini, delapſa, quae difficulter reponi poterant. Partes

texturam

texturam celluloſam membranae abdominis ingreſſae, ſeu ſub funiculum vaſorum ſeminalium demerſae erant, ut cremaſter una cum ipſis vaſis ſeminalibus expanſus eſſet, in primis in latere ſuperiore ſcroti, in quo omentum cum inteſtinis continebatur. Haec operatio detegebat. Vt haberetur, quod viam monſtraret, pars omenti in ſcroto relinquebatur. Inciſione per cutem et membranas adipoſas acta, expanſa et tortuoſa vaſa ſeminalia occurrebant. Caſtratione breuiter peragi negotium poterat, ſed illa uti Cl. ACRELL nolebat. Inteſtinum igitur ſaltem repoſuit, quod, dum fieret operatio, rurſus ex annulo prorumpebat, reliquit omentum, quod reponi non poterat. Inter vaſa ſpermatica, in exteriore ſcroti latere, inciſio per ſaccum membranoſum fiebat, in ipſum omentum pertingens, ut aer in omentum agens, ad putredinem aut intumeſcentiam illud diſponeret. Nihil autem illorum fiebat, aegro a ſymptomatibus omnibus grauioribus libero. Omentum expandebatur, dureſcebat, et carneam velut conſiſtentiam pugni magnitudine adipiſcebatur. Maſſa haec cum vulnere ligaturis ſiccis obducebatur. Suppuratio ſufficiens erat. Inferior pars omenti duri, ſeptimanis tribus exactis, diſſolui, et magis intumeſcere, reliqua duritie omnino euaneſcente et vulnere integro ſeptimana ſeptima coalito. Ita vero imperfecta operatione manente, cum cicatrix in cute et pinguedine paullatim cederet, omentum et inteſtina denuo, ut ſub initio, in ſcrotum decidebant. Ita dimidius annus labebatur, aegro herniam ſatis commode faſcia compeſcente: cum vero perfici operationem urgeret, ad omnem eius euentum paratus, initio anni 1755, inciſio fiebat, ſupra annulum, verſus dextrum latus directa, ut vaſa ſeminalia expanſa euitarentur, quod etiam feliciter cedebat. Diſſectione lente continuata ad latus funiculi ſeminalis per ſaccum membranoſum ad omentum perueniebatur, cum vero in eo eſſet

p. 153.

Noſter,

p. 154. Noſter, ut ſaccum inferius aperiret, primo vaſa ſeminalia offendit, quae priori operationi obicem poſuerant: Deinde partem omenti adhuc perpetuo in ſcroto habitare vidit et illi adcreuiſſe, cum alia pars, ab illa in abdomen adſcenderet rurſusque deſcenderet. Pars, quae delapſa erat, ſiue hernia ipſa nudata, renitebatur, ut caſtratio ob nexum omenti, ſcroti, funiculi ſeminalis et forte partis inteſtini prohiberetur. Igitur apertura in ſcrotum digitis magis, quam cultro, perficienda erat, omentum vero ipſum, quod ubique cohaerebat, ſcarificandum. Omenti portio quadrata trium digitorum latitudine extrahebatur. Annulo aperto, lintei raſi faſciculus (*pelotte*) conſueto more inſerebatur, vulnus autem obligabatur. Etſi multum paſſus erat aeger, ſymptomata tamen ſatis benigna erant. Quarto die omentum intra et extra ſcrotum plane ut prima vice expandi, indureſcere, carneam ſubſtantiam adipiſci pugnorum duorum grandium magnitudine, teſticulo nec intumeſcente, nec dolente. Durities tumoris, inflammatio et compreſſio digitis facta, oſtendebant inteſtinum nullum includi, huius vero tumoris is erat uſus, ut vaſa ſpermatica, ante per omne ſcrotum explicata, verſus ſeptum ſcroti cogerentur. Ita maſſa illa duriuſcula, repetitis vicibus prope funiculum ſpermaticum poterat ſubligari, ut tandem gangraenoſa decideret. Scroti autem vulnus et annuli feliciter coaleſcebant. Haec quidem non velut exemplar imitationi Noſter proponit, ſed doceri chirurgiae ſtudioſos varia ex iis, quae retulit, exiſtimat.

p. 155. Viro annorum 56, ab alio morbo in noſocomio fere ſanato, herniam vero inguinalem faſcia continente, cum omiſſa faſcia e lecto ſurgeret, inteſtina in ſcrotum deciderunt, in annulo vere ſtrangulata. Dum vero ſymptomata vulgaria, conſueto ordine procedentia, ſummum gradum attingebant; ſecundo die, omnibus aliis fruſtra tentatis, operationis ſuſcipiendae

piendae ſumma erat neceſſitas, neque vero adduci poterat aeger, ut in illam conſentiret, neque conſultum erat, eam inuito aegro ſuſcipere. Igitur cataplaſmatibus, quae irritarent et reſoluerent, porro, ut ante, adhibitis, reliqua naturae erant permittenda. A decimo die ad decimum octauum nulla omnino ſpes ſupererat; expanſa enim hernia, tumens abdomen, perpetui conatus vomendi, ſingultus, niſusque emittendi ructus, ſudor frigidus, digitorum extrema et ungues liuidi, faciei color ex coeruleo ruber, frigidae manus, aurium tinnitus, pulſus vix percipiendus, mortem propinquam praeſagire videbantur. Scrotum flacceſcebat, velut gangraena accedente, annulus vero aeque erat expanſus. Haec quatuordecim diebus durabant, inteſtinis poſt inopinato redeuntibus, hernia faſciis melioribus coacta, aegro vires recuperante et noſocomium relinquente. Quadragenarius inde a prima iuuentute hernioſus, et p. 156.
ab imperito male curatus, inteſtina et omentum in ſcroto geſſit, quae reponi facile poterant, ſed ob annuli amplitudinem difficulter retineri. Faſcia ante annum triceſimum uſus non eſt. Poſt ea, cibis forte, qui minus ipſi conuenirent, uſus, colica, febri, ſomni et quietis defectu cruciatus eſt, hernia ſimul expanſa, dolente, minusque obediente repoſituro. Praeter haec ſymptomata et abdominis quosdam dolores, nihil accidebat aegro, quod ſtrangulari inteſtinum aliquod, vel pati quidpiam oſtenderet, aluus etiam, fere iuſto magis erat aperta. Omentum autem pati, et inflammatione ſupra annulum in abdomine et infra annulum in ſcroto laborare euidens erat, ſecundo die, ex quo morbus hic aegrum adgreſſus erat, inuiſens illum Noſter, qualem deſcripſimus, reperit; ſcrotumque plenum, non vero expanſum. Partem inteſtinorum, quae loco ſuo migrauerat, facile repoſuit, omentum vero, quod antea reduci etiam poterat, iam ſequi renuebat. Por-

tio haec absque dubio accreuerat ſcroto, initio craſſa, tactu mollis, oui gallinae magnitudine, collo in abdomen protenſo praeditum; magna autem cura adhibita, ſymptomata omnia tribus ſeptimanis ſublata ſunt, omenti portione in ſcroto imminuta. Cum decreſceret haec omenti pars, et Noſter quotidie fere lente illam premeret, tentaturus, an reponi poſſit, ſonitum audiuit, qualis in emphyſemate aut tunica cellulosa aere inflata percipitur. Paullatim, maſſa omenti magis diminuta, ſonitus ille ceſſauit, maſſa vero firmiorem conſiſtentiam nacta eſt, nullam tamen duritiem, argumento, cellulas adipoſas omenti ante, poſt inflammationem ab aere rarefacto expanſas, iam concidiſſe. Hoc autem inſigniter hic morbus aegro profuit, ut, cum ante, pedibus inſiſtenti, ſtatim partes illae in ſcrotum deciderent, iam idem non ſentiat. Collum maſſae, in inguine reſiduae, magnitudine oui columbae complanati, occludit aperturam annuli et ſine dubio poſt inflammationem illi accreuit. Faſcia vero annulum et collum maſſae illius obducens, melius, quam antea fieri poterat, incremen-
p. 157. tum herniae impedit. Infelicior fuit alius, qui cum ſanatus omnino videretur, ſubito diem obiit ſupremum, omnibus meliorem euentum praeſagientibus.

Trimeſtre tertium:

p. 161. 1) *De uſu catalogorum naſcentium et mortuorum* pergit Cl. WARGENTIN. Tabulam exhibet, quot homines datae cuiusuis aetatis in loco ſint, in quo mille quotannis naſcuntur. Tabulae columnae plures ſunt. Vna id, de quo quaeritur, ex Cl. HALLEY hypotheſi computat, reliquae obſeruationibus in Suecia captis nituntur. Generalia, quae hinc colliguntur, haec fere ſunt. Vbi multitudo hominum nonaginta annis non multum vel augetur vel minuitur, natis annuis 1000 reſpondent adulti viuentes 32000

vel

vel 33000, quorum dimidium annum 28 aetatis ſuperauit, quinta pars quinquageſimum. Deinde multa de augmento aut decremento populorum ex his tabulis agnoſcendo addit, ad Sueciam vero in primis applicat.

2) PETR. HOEGSTROEM *de augmento incolarum parochiae* Skelleftä *in Bothnia occidentali* agit. Regionum borealium frigus non minuere generandi facultatem, exemplo feminarum parochiae huius, 4000 circiter hominibus conſtantis, oſtendit: Harum 42, liberos 12 et maiori numero uſque ad viginti pepererunt, neque rarae ſunt decem aut undecim liberorum matres. p. 170.

3) *Mirabilem longifloram* deſcribit CAROLVS LINNAEVS. Eodem fere tempore illam accepit a Cl. MONNIER et a L. B. OTTONE A MÜNCHHAVSEN rem botanicam inter Germanos iam egregie ornante. Speciei huius unicum veſtigium reperit Noſter in Cl. HERNANDEZ *theſauro nouae Hiſpaniae*, ubi pag. 170. nomine *Atzoatl* deſcribitur. Cl. LINNAEVS figurae, quam exhibet, hanc addit deſcriptionem: Radix *fuſiformis, craſſitie vix brachii infantis.* Caules *plures, bipedales, erecti, dichotomi, teretes, vix manifeſte compreſſi, villoſo-viſcidi, articulati: geniculis utrinque barba horizontali villoſis, articulis baſi craſſiuſculis, rufeſcentibus.* Folia *oppoſita, undata, villoſo-viſcida, integerrima, patentia, venoſa, petiolata, exceptis ſummis ſeſſilibus; petioli breues, ſupra planiuſculi, ſubtus rotundati.* Flores *terminales, ſeſſiles, ut calices fere capitulum conſtituant inter folia caulina ſeſſilia, quamuis rarius plus, quam unius flos ſimul prodeat.* Calix *eſt perianthium monophyllum, ſemiquinquifidum, villoſo-viſcidum, ſegmentis erectis, ſubulatis; ſub fructificatione magis ventricoſus.* Corolla *monopetala infundibuliformis: tubus, filiformis, villoſo* p. 176.

 viſcidus,

viſcidus, pallidus, ſpitamaeus, laxus, ante floreſcentiam vere erectus, abſoluta floreſcentia debilis. Limbus albus, tubo ſextuplo breuior, plicatus, quinquelobus: lobis emarginatis, oblongis, acutiuſculis; umbilico purpureo ſtillato. Stamina: *Filamenta quinque, purpurea. Antherae flauae. Pollen fuluus, globoſus, glaber.* Stilus *filiformis, longitudine fere corollae, adſcendens verſus apicem. Stigma muricatum filis capitatis, in globum congeſtis, purpureum.* Semina *ſolitaria, magna, fuſca, pubeſcentia, nodis glabris atris inaequalia.*

p. 178. Species haec facile climati ſuecico adſueſcit. Seruntur ſemina ineunte vere in terram, melonibus educandis praeparatam, adultior paullo ad murum plantatur, amat enim calorem, et tutamen a vento. Initio iulii flores protrudit, quouis veſpere alios, qui mane ſequente marceſcunt; moritur una cum naſturtio indico, melonibus et aliis plantis indicis. Cum ſemina maturuerunt, radix ex terra exemta in arena ſicca ſeruatur, hieme durante, in loco frigori minus patente: vere proximo, cum betularum folia protruduntur, terrae non compactae inſeritur; ita ſaepius ex eadem radice planta renaſcitur, ſemina vero innumera quotannis habentur. Botanicum ſpeciei nomen impoſuit Cl. LINNAEVS: *Mirabilis foliis ſubuilloſis, floribus confertis, terminalibus, longiſſimis, nutantibus;* triuiale: *Mirabilis longiflora.*

p. 180. 4) *Menſuras et pondera, Gadibus Hiſpaniae uſitata*, deſcribit EDVARD. FR. RVNEBERG. Vini et olei menſuras ex grauitate fluidorum ſpecifica voluerunt Hiſpani definire, ut data menſura datum pondus contineat. Quod, licet non potuerit feliciter ipſis ſuccedere, cum vina inter ſe, et olea inter ſe grauitate ſpecifica plurimum differant, docet tamen alios populos idem quaeſiuiſſe, quod inter Suecos STIERNHIELMIVS accuratius obtinuit fluido ſimpliciore

pliciore aqua, ad cuius pondus menſuras tum longitudinis, tum ſpatii corporei exegit.

5) *Parochiam Gothiae Orientalis, quae a monaſterio* Wreta *olim ibi ſito vocatur,* deſcribit TIBVRTIVS. p. 188.

6) *De carthami* (Safflor) *cultura* agit ERICVS GVSTAVVS LIDBECK. Deſcribit illam, qualem in Thuringia prope Erfordiam et Longoſaliſſam vidit. Amat humum bonam et profundam, vel etiam humum argillae admixtam, ſimo tamen pinguefactam. Illa aprili menſe, quam primum frigus ex terra ſeceſſit, in areas quadrangulares cumulatur. In illis ſulci ducuntur pedis a ſe inuicem diſtantia, digitum vel digitum cum ſemiſſe profundi; ſemina alba, oblonga, anguloſa, membrana craſſiore obducta, 5. 6. 8. 10. digitis a ſe inuicem diſtantia, inſeruntur et terra teguntur. Plantulae plerumque, elapſis octo diebus, progerminant; aqua nulla conſperguntur, amat enim planta ſiccitatem, gramina vero et vegetabilia ſimilia ſollicite euelluntur, terra ſimul circa caules remollitur. Exeunte iulio aperiuntur diſci florum craſſi, magni, copioſi, et materiam illam, quae *Safflor* vocatur, edunt. Auelluntur flores, cum croceum colorem adepti ſunt, et in ſole ſiccantur. Libra Erfordiae plerumque floreno venit. Flores hi carthami, petala corollae vocat Noſter, currente auguſto et initio ſeptembris, ſingulis ſex vel ſeptem diebus, euelli poſſunt, non enim diſci omnes flores ſuos ſimul protrudunt, immo Noſter eadem aeſtate, ex eodem diſco tribus aut quatuor vicibus materiam illam colorantem exemit. Octobri, cum ſemina maturuerunt, caules trium pedum altitudinem conſequuti eximuntur, capita ſeminibus foeta reſecantur, ſiccantur, et ſemina exteruntur. Huic deſcriptioni notas ſequentes ſubiicit Noſter: Conſultum eſt ſemina, quam primum fieri poteſt, ipſo veris initio ter- p. 210.

rae committere; nihil etiam plantulis a frigore ipſaque niue, vel per duos dies foliis teneris incumbente, metuendum; quod Cl. LIDBECKIVS Londini Sconiae 1753 in carthamis, quos ibi plantauit, ex-
p. 212. pertus eſt. Si metus ſit, ſemina non ſatis idonea futura, denſius ferantur, plantis, ſi iuſto confertius prodeant, eximendis, ut ad minimum dimidium pedem quaelibet a proxima diſtet. Flores flaui adhuc non admiſcendi ſunt optimis, quorum ſcilicet color croceus aut obſcure rubens eſt, alias multo maiore illorum quantitate ad colorandum opus eſt. Admiſcetur ſaepius color hic croco vero, vix a peritiſſimo dignoſcendus. Croci quoque loco in cibis eſt ruſticis Haſſiae et Thuringiae, nullo plane incommodo,
p. 213. niſi quod aluum leniter cieat. Cum aeſtas pluuioſa eſt, ut 1754, vix matureſcunt flores carthami, multo minus ſemina. Immo Suecis raro ſemina matureſcunt, niſi ſicciſſima aeſtate, quod Anglis etiam euenire MILLERVS in Lexico hortenſi teſtatur. Semina tamen matura et fecunda Noſter 1753 obtinuit a diſcis, ex quibus flores nullos exemerat, indicio relinquendos eſſe flores, ut piſtilla a ſtaminibus puluerem fecundantem accipiant; nam diſcorum omnium, quibus demſit flores, ſemina caſſa reperit. Serendo apta manent ſemina per quatuor aut quinque annos, dummodo in loco nec humido nimis, nec calido ſeruantur. Sollicite vero arcenda ſunt ab illis inſecta, quae Noſtro haec ſemina et cardui benedicti fere omnia 1754 deuorarunt.

p. 214. 7) *Obſeruationes quasdam ad inſecta* pertinentes edit CAROLVS CLERCK. 1) Phalaenam deſcribit natam ex eruca, (laruam Cl. LINNAEVS appellat) pedibus decem inſtructa, ad geometras pertinente, in betulis auguſto menſe currente reperiunda, ſed metamorphoſin ſub terra ſubeunte. Nomen, quod LINNAEVS animalculo dedit, eſt: *Phalaena pectinicornis*,

cornis, ſpirilinguis, alis patentiuſculis, albis, atro nebuloſis. Delineatum exhibet Noſter, et monente eo ALBINVS Inſect. t. 91. f. c. d. 2) *Inſtrumentum in-* p. 215.
ſectis capiendis idoneum deſcribitur. Forceps eſt, cuius extrema duo in plana deſinunt, tela tenui obducta. His intercluſum inſectum, acu transfigi poteſt, nullo praeter ea ipſi damno illata, ut fit, cum manibus prehenditur. Ante plures annos inſtrumento tali apud nos uſum fuiſſe peritum inſectorum venatorem, et iam diu mortuum *Lotſchium* meminimus. Habet et hoc commodi hoc organum, quod inſectorum armatorum aculei non timendi ſint, quorum metus non omnino vanus eſt, in regionibus peregrinis ignotorum inſectorum venatori. 3) *Ciſtas, qui-* p. 216.
bus ſeruantur inſecta, ſubere obduci iubet, ut acus commodius infigantur, quam ligno duro, et firmiter inhaereant, nullo periculo, ne elabantur et ſic inſecta ipſis adfixa et ipſis vicina deſtruant *.

8) *De reditu cometae, qui* 1682 *apparuit*, com- p. 216.
mentatur NICOLAVS SCHENMARK, in primis oſtendens, ubi quaerendus fuiſſet, ſi anno 1756 terricolis rurſus ſe monſtraſſet, ut tunc, cum ſcribebantur haec, exſpectari poterat.

9) *Aequationis cuiusdam differentialis integrationem* p. 224.
noua methodo inuenire docet S. KLINGENSTIERNA.

* Cl. KAESTNER inſecta, quae Lipſiae collegerat Gottingam translaturus, ciſtas ſulcis transuerſis diſtinxit, ſulcos cereo tenui, quo tabacum, illum per canales ſucturi incendere ſolent, repleuit; omnia charta coerulea obduxit, ſulcorum tamen locis notatis, ut illis acus cum inſectis infigere poſſet. Ita incolumis Gottingam peruenit collectio, nullis aut pauciſſimis acubus excuſſis, itinere, montibus et viarum ſalebris aſpero.

p. 239. A vidua OLAI BROMANI, Praepoſiti Huduiksuallenſis, exhibitum eſt Academiae diarium meteorologicum ab anno 1727 ad 1749 magna diligentia a defuncto ſcriptum. Simul ſolertia viri, dum in his aliisque rebus, dum in arte medica laudatur, citato ſpecimine ex Actis Academiae Iul. Aug. Sept. 1749* et optatur, ut obſeruationes plures, quas inſtituit, ſeruentur.

Trimeſtre quartum.

p. 241. 1) Sextam partem diſſertationis *de uſu catalogorum eorum, qui naſcuntur et diem ſuum obeunt*, edit Cl. WARGENTIN. Hic in primis monſtrat agnoſci ex catalogis his recte conſtitutis poſſe, qui morbi in quauis regione maxime graſſentur, plurimosque homines interimant. Catalogum igitur morborum exhibet, cui e regione ponuntur numeri, rationem multitudinis eorum, qui quolibet morbo obierunt, exhibentes. Harum autem multitudinum quatuor claſſes ſunt, eorum, qui in Suecia integra, qui Holmiae, qui Londini, qui Berolini diem obierunt. Sueciae integri numeri computati ſunt ex catalogis annorum 1749, 1750, Holmiae ex quinque annis 1749—1753, Londinenſes ex annis decem 1730—1740, Berolinenſes ex annis tribus. Londinenſes et Berolinenſes ex SÜSSMILCHII libro Noſter mutuatus eſt, ubique vero numerum omnium, qui mortui ſunt, toto anno 10000 ſtatuit, et pro hac ratione mortuorum numerum dato morbo reſpondentem computauit, unde ſtatim tum diuerſorum morborum effectus in eodem loco, tum eiusdem in
p. 248. locis diuerſis poſſunt inter ſe comparari. Ceterum tabula

* Eſt illud hiſtoria dyſenteriae, quae 1743 in Helſingia graſſata eſt. Scriptum trimeſtris citati octauum. In verſionis germanicae Cl. KAESTNERI Tom. XI. p. 216.

tabula haec non adeo perfecta eſt, ut optari poſſet. Nam alibi morbi quidam coniunguntur, qui in Suecia ſeparantur, et contra. Dyſenteria et haemorrhagia neminem Londini periiſſe, quod tabula neminem indicat, vix aſſeri poterit, oportet igitur, ut hi morbi Londini ſub aliis fuerint contenti. Berolini podagra ad arthritidem refertur. Sunt tamen in hac imperfecta tabulae forma, quae medici attentionem mereantur. Variolis et morbillis quotannis fere duplo plures infantes in pagis pereunt, quam in urbibus, ſine dubio medendi imperitia et medicamentorum inopia. Si fieri poſſet, ut hi et alii infantum morbi non plures infantes in pagis, quam in urbibus interimerent, multitudinis ubique reperiundae ratione habita, quotannis 8000 hominum Sueciae ſeruarentur: quanto magis optandum eſſet, ut perennis illa peſtis variolarum inſitione poſſit minus lethifera effici. Praeter ea obſeruat Noſter, puellas plures variolis perire, quam pueros, alios autem morbos his magis eſſe infeſtos. Mallet autem plures morborum infantum ſpecies diſtingui, cum in catalogis Suecicis, praeter variolas, morbillos et tuſſim conuulſiuam, reliqui omnes communi morborum infantilium nomine contineantur; Eclampſia tamen, aphthae, dentium prorumpentium dolores aeque periculoſi morbi ſint et vel ruſticis noti. De catalogis autem Londinenſibus et Berolinenſibus monet, in illis infantes adultis permiſceri, unde eorum, qui quouis morbo deceſſerunt, non ſatis exacta ratio habeatur, optat igitur, ut infantibus ſua claſſis detur. Abuſus vero memorat, quibus infantum vita periclitatur, olim iam in commentariis Academiae taxatos. p. 250. Anni 1742 trimeſtri ultimo oſtenditur, epilepſiae infantes ſubiici, dum achoribus et tineae repellendis caput frigida perfunditur. Alium morbum, cui in Finnia infantes in primis ſubiacent, *Borſt* appellant, inde naſci, quod frigida perluantur, et ſubitaneas ca-

loris et frigoris mutationes ſubeant, trimeſtri primo anni 1742 docetur. Febri ardente et apoplexia plures multo Holmiae pereunt, quam in pagis et aliis urbibus minoribus, quod vitae generi, in primis uſui potuum ſpirituoſorum exoticorum tribuitur.

p. 251. Mortui infantes, aut qui vix nati intereunt, quotannis 1800 circiter eduntur, magno argumento, melius proſpiciendum eſſe de obſtetricibus. Infans circiter nonageſimus quartus matrem interemit, niſi ſumatur, puerperarum quasdam aliis morbis periiſſe. Quinquageſimus quisque infans mortuus prodiit, aut pauca ſaltem momenta vixit, et inter hunc numerum duae fere tertiae puerorum ſunt. Septuageſimus ſecundus partus geminorum fuit; tergeminos unica puerpera inter ter mille enixa eſt. Quingentos, et quod excurrit, infantes quotannis caſu obire, aut verius matrum et nutricum culpa occidi, dolet Noſter; et arcum, ne infantes a nutricibus ſuffocentur, Italis uſitatum, *arcuccio* vocant, commendat. Deſcribitur in Actis Academiae ſcientiarum 1740. trim. III.

p. 254. 2) *Reſiduum deſcriptionis parochiae monaſterii Wretenſis, a* TIBVRTIO *concinnatae*, editur.

p. 273. 3) *Lepidium foliis radicalibus pinnatis, caulinis lyratis* deſcribit CAROL. LINNAEVS. Semina a LOEFLINGIO ex Hiſpania accepit. Primo anno caulis nullus prodiit, folia radicalia, unice prodeuntia, ad cardamines hirſutae ſpeciem adeo acceſſerunt, ut vel exercitatiſſimum botanicum fallere poſſent. Vnica plantula caulem exiguum, foliis deſtitutum, ſed floribus ornatum protruſit, qui vero maturitatem conſequuti non ſunt: Reliquae plantae omnes ſecundo anno caules ramoſos ediderunt, decidentibus foliis radicalibus, ſucceſſerunt vero in caule folia alia, illis plane diſſimilia; Planta circa Madritum creſcit

creſcit in argilla ſicca, macra, ad vias. Cum Vpſaliae in terram, ex arena, argilla, calce mixtam, colliculo eum in finem excitato, plantaretur, nouam veluti vitam conſequuta laetius viguit, a medio iulio florens, donec a frigore deſtrueretur. Picturas plantae Cl. LINNAEVS adiicit et deſcriptionem uberiorem. Radix *filiformis eſt, fibras capillares exſerens,* p. 274. *albida, profunde deſcendens.* Folia radicalia *pinnata: foliolis ſeptenis, ouatis, integerrimis, glabris: infimis minimis; extimo ſeu impare duplo reliquis maiore.* Caulis *ſpithamaeus, paniculatus, rigidiuſculus, teres, incanus ſeu vix manifeſte tomentoſus; ramis ſine ſtipulis, alternis: ſuperioribus frequentioribus, longioribus.* Fo- p. 275. lia caulina *parua alterna, lyrata, incana: infima ſubpetiolata quinquefida, ſuperiora ſeſſilia, ouata, baſi utrinque dente ſeu lobo minimo inſtructa.* Racemi *ſolitarii ſingulos ramos terminant erecti, a viginti ad centum floribus pedunculatis;* pedunculi *flore longiores, nudi, patuli.* Calices *tetraphylli, pubeſcentes, decidui.* Petala *quatuor, aequalia, integra, obtuſiſſima.* Stamina *ſex, quorum duo lateralia breuiora. Antherae pallide rufeſcentes.* Piſtillum. *Germen ſubrufeſcens: ſtylus nullus, niſi qui germini immerſus: Stigma capitatum, viride.* Pericarpium. *Silicula minima ouata, compreſſa, minime emarginata: valuulis cymbiformibus, carinatis, absque ala.* Semina *ſolitaria, rufa, ouata.* Triuiale nomen ſpeciei a foliis radicalibus ſtatuit: *Lepidium Cardamines.*

4) *De aqua in fodinis Regiimontis,* (Kungsberg) p. 276. *ex qua argentum praecipitatur,* diſſerit AXEL F. CRONSTEDT. Deſtillat illa ex rima quadam parietis fodinae *Chriſtianae*, et fuliginem ibi natam ab eo, quod lapis igne ruptus eſt, (*vom Feuerſetzen*) cuticula plumbiformi obducit, quae argentum purum, pauculo ſulphuris admixto, continet. Vtrum aquae menſtruum inſit ſoluens argentum rurſusque dimittens,

tens, an particulas argenti praeterfluens aqua ſecum rapuerit, Noſter non decidit. Monet vero in eiusdem montis regii fodinis mineram argenti, quae a vitro appellatur, (*Glaserz*) forma cryſtallina (*druſigt*) reperiri, cryſtallorum ſuperficie exteriore minera hae pulueris ſpecie obducta, cum intus ſolida ſit et malleo parens.

p. 277. 5) *De cauſis febrium algidarum et nexu illarum cum catarrhalibus* commentatur PETER IONAS BERGIVS, M. D. Algidas febres eas intermittentium ſpecies appellat, quarum paroxyſmus a pandiculatione, oſcitatione, algore extremitatum, artuum doloribus, cet. orditur, pulſu celeri ſuccedente, et ſudore ac urinae ſedimento, quo paroxyſmus abſoluitur, aegro, donec alter ingruat, a febri libero. Exiſtimat vero Noſter, praeter receptas febrium diuiſiones, ſeparandas etiam eſſe, quae certo loco corporis, pedi, oculo, dimidio capitis, fronti, cet. propriae ſint, citans Ill. VAN SWIETEN Comment. in aphor. BOERHAAVII, Tom. II. p. 534. licet hae febres ceterum vulgaribus febribus ſimiles ſint, typum tamen quotidianarum aut alternis diebus redeuntium
p. 279. plerumque ſeruent. Febres autem cum ſaepe epidemicae, ſaepe endemiae ſint, in generali illarum cauſa adſignanda laborat. Illam credit in tempeſtatum viciſſitudinibus reperiri, cum vere et autumno febres epidemicae ſint, tempeſtate frigida, pluuioſa, calida autem et ſicca, non occurrant, contra vel ipſa aeſtate, ſi frigida et pluuioſa ſit, ingruant, hieme autem rariores ſint, ſi frigida et ſerena ſit. Igitur frigus humidum febrium cauſa videtur. Endemiae febres ſunt locis profundius ſitis, et hinc humiditati ſubiectis. Ita Batauis febres moleſtae ſunt, in primis contignationes aedium infimas habitantibus, qui vix liberantur, niſi vel altius habitent, vel in Angliam migrent, aerem ſiccioremhauſturi. Quantum vero humida

humida et frigidiuſcula temperies tranſpirationi obſtet ex BRYAN ROBINSON *Diſſert. ſur la quantité de la tranſpiration, p.* 44. docet. Iam ab impedita per- p. 282.
ſpiratione febrem naſci, praeter adducta, oſtendunt, quae Cl. Auctori ipſi praxis ſua obtulit. Quidam noctes aliquot dormiens iuxta murum recenter dealbatum, poſita ad exterius muri latus argilla madente, uſui aedificandi parata, febrem partialem ſenſit in toto illo faciei latere, quod nudum muro obuerterat, immuni reliquo corpore, quod lectus texerat. Aedibus ex ligno conſtructis adſueti, cum in lapideas vere ineunte migrant, et iuxta muros dormiunt, febres ſentiunt, artuumque dolores toto die, laſſitudinem veſpere, nocte vehementer ſudant et alacriores ſurgunt, ſed eadem ſcena, poſtquam ſurrexerunt, redit. Corticem peruuianum praebuit Noſter, ceſſante febre, dum illo uterentur, ſed quam primum uſum intermiſiſſent, redeunte, niſi habitacula mutaſſent. Hic cortex tantum auxit perſpirationem, quantum habitationis vitium illam impediuerat. Femina quaedam, cubiculum terrae proximum habitabat adeo humidum, ut omnia in illo reperiunda muco obducerentur. In illo a veris initio ad iulium menſem febre decubuerat, quo tempore Noſter ad illam vocatus, fruſtra febri corticem peruuianum, WERLHOFII methodo oppoſuit: Ipſa vero, ut liberaretur, duplicata doſi uſa eſt, optato euentu, quamdiu ita pergeret, imminuta vero doſi febris rediit. In aliud vero cubiculum translatam facile Noſter ſanauit. Ex his aliisque obſeruationibus infert Noſter, palmariam p. 284.
febris cauſam eſſe perſpirationem impeditam, reliquas, quae nominantur, ſanguinis lentorem, cruda in ventriculo et inteſtinis contenta, viſcidam tunicam interiorem arteriarum abraſam et ſimilia, augere ſaltem febrem, ſi ex illa cauſa principe iam nata ſit. Epidemicas ergo vel endemias febres morbos catarrhales eſſe, cum his adeo ſimiles exiſtant. Etſi enim p. 285.
regulari-

regulariter febres catarrhales non intermittunt, ſed criſi ſuperueniente omnino finiuntur, quaedam tamen intermittunt, febri alternis diebus redeunti in omnibus ſimiles, donec ſummum gradum conſequutae ſint. Algentes vero febres plerumque in initio continuae ſunt, poſt intermittentes fiunt. Sunt autem catarrhales febres ſaepius rheumatiſmis iunctae, ſed idem Noſter in intermittentibus vidit, cum ſimul graſſarentur. Ita adeo ſimiles ſtatuit Noſter febres has intermittentes et catarrhales, ut vix limites illarum adſignari poſſint. Sumit vero, quod a medicis datur, febres rheumaticas vel catarrhales, a cauſa catarrhali naſci; iam febres intermittentes aeque, ac illae, epidemicae fiunt, tempeſtate humida, ut poſſint utraeque effectus impeditae perſpirationis haberi. Rheumatiſmos et odontalgias, a rheumatiſmis oriundas, perſpirationi impeditae deberi omnes conſentiunt. Hi morbi licet ſine febribus ſint, id tamen commune habent cum febribus catarrhalibus, quod veſpere plerumque aut ingruant, aut vehementiores ſint: indicationes illarum ſanandarum easdem cum febrilibus reperit Noſter. Recepta contra illas remedia diaphoretica febribus intermittentibus etiam obſiſtunt SYDENHAMO teſte *. Cortice peruuiano ex theoria ſua, quam exhibuimus, Noſter certo quodam modo in rheumatiſmis odontalgicis uſus eſt, et reperit ſtuporem inde naſci ſub initium in loco ad-
p. 287. fecto, poſt dolorem omnino tolli. Cauendum autem eſt, ne in ſpecie odontalgiae erretur. Igitur cum febribus intermittentibus et catarrhalibus commune ſit, naſci ſub iis conditionibus, quae perſpirationi obſunt, tolli etiam ſimilibus remediis, vix dubitat Noſter, eidem cauſae utrasque deberi. Sane, qui ſubiecti

* Proceſſus integri in morbis curandi. p. 724. vel Oper. uniuerſ. Lugd. Bat. 1741. p. 577. et BOERHAAV. Aphor. §. 761.

ſubiecti ſunt febribus, ſpirituoſi cuiusdam uſu, aut potu vini generoſi, puta Luſitanici, ante quam aeri humido ſe dent, praeſeruantur, nouo indicio, febrium intermittentium cauſam catarrhalem eſſe. CELSVS * febres lentas, ait, in intermittentes mutari, ſi corpus frigida aut oleo fricetur. A balneo hoc frigido vel frictione artuum dolores naſci, obſeruat Noſter, ſudorem autem ſequi, aegro in lectum calefactum poſito. Oleo vero poros occludi et perſpirationem impediri manifeſtum eſt. Medicum p. 289. etiam febribus ſanandis intentum, ſpondet plura argumenta ipſum reperturum, quae ſententiam hanc firment. Vere febres ſolis digeſtiuis et euacuantibus leuari, cetera naturam ipſam perficere, ob perſpirationem tum creſcentem. Pluuioſa vero tempeſtate et autumno pertinaciores eſſe, vix cedere, niſi cortici peruuiano. Hunc vaſa fibrasque minimas roborare, unde aequabilis magis reddatur perſpiratio et tubuli, qui in ſuperficie corporis reperiuntur, vim naſcantur cauſae illi externae reſiſtendi, quae alias in interiora traheretur, paroxyſmum renouatura. Fruſtra igitur poſt corticis uſum diarrhoea critica exſpectatur, cum ceſſante febri, criſis vix percipi poſſit, et eo ſolo conſiſtat, quod paroxyſmi reditus prohibeatur.

6) *Obſeruationes meteorologicas Vpſaliae* 1753 *inſtitutas* edit BENED. FERNER. p. 290.

7) Sepium loco *vallis agros includere duobus modis* docet IACOB WENNERSTEDT, legioni militum praefectus et eques ordinis regii gladii. Vſus eſt, ut ſyluis parcatur, quas inſigniter vaſtant, ſepes ex arboribus iunioribus conſtruendae. p. 298.

8) *Lacuum et fluuiorum variorum Sueciae altitudines ad ſe inuicem relatas et ſupra oceanum* exhibet IONAS p. 302.

* de medicina libr. III. cap. 9.

NAS COLLIN. Libramenta, quorum hic fructus exhibentur, ducta fuerunt eo fine, ut de lacubus aliquibus Sueciae inter se et cum fluuiis oceanoque, nauigationis facilioris reddendae gratia, possit agi.

p. 311. 9) *Luteolae* (gall. *Gaude*, germ. *Waw*) *culturam* describit ERIC. GVSTAV. LIDBECK, nixus experimentis propriis, Lundini Sconiae, ubi iussu statuum regni colitur planta, institutis. Solum plantae conuenit omne, nisi paludosum aut nimium pingue. In Batauia vidit in vallis illis arenosis mari oppositis (*dunen*) bene se habere. Terra vero luteolae destinatae vernali tempore saepius aratro subigenda et rastro sulcanda est, ut herbae inutiles destruantur. Exeunte iulio, aut initio augusti, semina exigua arenae commixta seruntur, arenae usus est, ne densius cadant. Post telluri leuiter superducitur rastrum ligneum, cauendo, ne profunde nimis semina deprimantur, cylindro etiam tellus complanatur; plantulae intra octo dies prorumpunt; circa festum Archangeli, herbae inutiles, quae adoleuerunt, euelluntur et ipsi luteolae caules, si iusto densiores prodierint, quod nisi fiat, non satis matureſcunt plantae; contra si rariores iusto dispersae stent, crassior hincque minoris pretii substantia illarum fit. Maio exeunte floret luteola, huncque ornatum diu seruat, ut plerumque in eodem caule florum gemmae, flores expansi, semina matura reperiantur. Hinc in colligenda illa medium quoddam tempus obseruari decet ex eo agnoscendum, quod folia inferiora luteſcant, et capsula seminalis luteum vel citrinum colorem consequatur, quod initio aut medio augusti contingere solet. Colligitur luteola lini ad modum, caule euulso et leuiter succusso, ut impuriora adhaerentia decidant, seminibus manentibus, deinde in fasciculos colligatur, qui in loco quodam reponuntur, ubi siccari et semina, quae elapsa sint, colligi possint.

ſint. Agrum luteolae ſerendae in areolas partiri, et ſimo pinguefacere neceſſe non eſt. Luteolae ſemina, hordeo et auena intermixtis, ſerere prodeſſet, niſi frumenta illi alimentum ſubducerent. Vere quidam ſerunt, ſed vere ſata difficulter ab aliis herbis pura ſeruatur, et tamen hoc anno non matureſcit. Rapis vero intermixtam Angli ſerunt, et quia cito progerminant rapae, oues in agros ducunt, qui eas depaſcunt, agrum ſimul ſtercorant, rapis vero hieme ex agro exemtis, relicta luteola laete adoleſcit. Melius eſt, ſi explicari luteolam collectam ſpatii amplitudo permittat, cum in faſciculos ſtatim in agro colligata facile incaleſcat, plus ſeminis etiam ob capſulas ſeminales apertas perdatur. Quae viret adhuc luteola, neque flaueſcit, minoris uſus ad tingendum eſt. Semina optima ſunt nigra et nitentia, alba vero et flaua plerumque immatura. Semina, quae excidunt, dum plantae euelluntur, proximo anno progerminant, ſed minoris pretii eſt luteola inde nata, ut optimum ſit, agro poſt euulſas plantas aratrum ſuperinducere. Seri poſſunt ſemina adhuc poſt tertium aut ad ſummum quartum annum.

10) *Motus aquarum extraordinarii nouembris anni 1755 in Suecia obſeruati* deſcribuntur. Hiſtoriae huius compendium exhiberi hic non poteſt. 1. p. 314.

II.

Diſputationes chirurgicae ſelectae. Collegit, edidit, praefatus eſt ALBERTVS HALLERVS. Tomus tertius, quartus et quintus. Lauſannae, ſumptibus Marci-Michael. Bousquet et Socior. 1755 et 1756. 4. Tom. III. 3 alph. 12 plag. 10 tab. aen. Tom. IV. 3 alph. 4 pl. 13 tab. aen. Tom. V. 3 alph. 15 plag. 13 tab. aen.

Collectionem diſputationum chirurgicarum, quam Ill. HALLERVS edere inceperat, alia occaſione laudauimus *, expoſitaque plenius inſtituti huius ratione, diſſertationum, quas continebant primus et ſecundus tomus, titulos indicauimus, nunc quoque in tribus reliquis tomis propoſitarum et titulos et praecipua quaedam argumenta, in uſus hiſtoriae literariae medicae expoſituri. Notandum autem prius illud eſt, Ill. Auctorem in praefamine, quinto Tomo praefixo, fateri, ſe iam in colligendis edendisque practicis ſelectis diſſertationibus occupatum, earum vero ipſum deſtitutum inſigni copia, peculiari publice edito deſideratarum catalogo, eruditos medicos rogatos cupere, ut illarum ipſi ne recuſent facere copiam.

Tom. III. partem quartam de morbis abdominis complectitur, atque continuata numerorum ſerie exhibet 58) Diſſ. *de morbis a ſitu inteſtinorum praeternaturali.* Praeſ. POLYCARP. GOTTL. SCHACHER. Reſp. *Gottl. Friderici.* Lipſiae, 1721. c. f. exhibet deſcriptionem inteſtini introſuſcepti et prolapſi, nec non per vulnus imi ventris egreſſi, plurimasque egregie declaratas obſeruationes chirurgicas continet. 59) Diſſ. *de ἐντεροπερισολῃ ſeu inteſtinorum compreſſione* I. H. LAVA-

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. IV p. 710.

LAVATER. Basil. 1672. 60) Diss. *de oscheoentero et bubonocele Heluetiae incolis frequentibus.* IOH. HENR. FREYTAG. Argentorati, 1721. 61) Diss. *de hernia incarcerata, noua encheiresi extricata.* Praes. ELIA CAMERARIO; Resp. *B. D. Mauchart.* Tubing. 1722. c. f. Tradit historiam anatomicam partium hernia inclusarum, sacci hernialis fibras ab obliqui externi musculi aponeurosi deriuat, peritonaei autem rupturam negat; scarisatio sacci laudatur, repositio integri displicet. 62) Quaest. med. chir. *An in herniis intestinalibus, etiam cognita intestini prolapsi laesione, operatio celebranda?* Praes. M. P. ROVSSIN de MONTABOVRG; Resp. *C. F. Boutigni Despreaux.* Paris. 1742. 63) Progr. *de entero-epiplocele* D. I. G. GÜNZ. Lipsiae, 1746. 64) Quaest. med. chir. *an chirurgicae herniarum curationi musculorum sterno-mastoideorum tensio noceat?* Praes. M. I. FR. LE CHAT de la SOVRDIERE. Resp. *Ioan. Iac. Messence.* Paris. 1748. 65) Diss. *de entero-oscheocele antiqua restitutione sacci hernioси feliciter peracta, absque bracherio et sectione curata.* Praes. MAT. GEORG. PFANNIO. Resp. *I. B. Scholler.* Erlang. 1748. 66) Diss. *de epiplo-enterocele crurali incarcerata, sphacelata, cum deperditione notabili substantiae intestini sponte separati, feliciter curata, aluo naturali restituta.* Praes. BVRC. DAVID. MAVCHART. Resp. *Philip. Sigism. Palm.* Tubingae, 1748. 67) Diss. *de exomphalo inflammato, exulcerato et postea consolidato.* Praes. D. HERM. FRID. TEICHMEYER. Resp. *S. Frid. Creiling.* Ienae, 1738. 68) Diss. *de hernia ventrali.* BEAT. IGNAT. LA CHAVSSE. Argentorati, 1746. 69) Diss. *de hernia ventriculi.* PETR. KIRSCHBAVM. ibid. 1749. Rara legitur obseruatio ventriculi per vulnus diaphragmatis in pectus irrumpentis. 70) Diss. *de hernia incarcerata suppurata, saepe non lethali.* Praes. LAVRENT. HEISTER. Resp. *Io. Adolph. Gladbach.* Helmstad. 1738. c. f. 71) Diss. *de hernia*

crurali, DANIEL KOCH. Heidelberg. 1726. 72) Diſſ. *de hernia veſicae urinariae.* Praeſ. IOAN. SALZMANN. Reſp. *Ioan. Petr. Divoux.* Argentorati. 1732. Praeter explicationem mechanicam miri adeo morbi, huius ab ictu ſubito natae herniae exhibentur obſeruationes. 73) Epiſt. *de ſtupenda hernia dorſali.* CHRISTOPH. HENR. PAPEN. Göttingae, 1750. Rariſſimam tradit inteſtinorum, per inciſuram iſchiadico-ſacram elapſorum, hiſtoriam. 74) Progr. IOAN. CHRISTOPHORI POHLII *de herniis et ſpeciatim de ſarcocele.* Lipſiae, 1739. 75) Diſſ. *de hydrocele.* Praeſ. LAVR. HEISTERO. Reſp. *Martin. Arnold. Butzer.* Helmſtadii, 1743. c. f. 76) Diſſ. *de Sarcocele.* Praeſ. EODEM. Reſp. *Chriſtian. Daniel Heiſe.* ibid. 1754. c. f. 77) Progr. *de neceſſitate exſtirpandi hernias ſpurias maiores, in primis hydrocelem et ſarcocelem vel hydroſarcocelem.* CAROL. FRID. KALTSCHMIED. Ienae, 1749. c. f. 78) Diſſ. *de neceſſaria in praeternaturali partu inſtrumentorum applicatione.* IOAN. ANDREAS DEISCH. Argentorati, 1740. Praeter alia auxilia in caſibus difficilioribus neceſſaria, etiam datur deſcriptio methodi et inſtrumentorum, quibus ad caput fetus elidendum uſus eſt Cl. FRIED, nec non oſſium pubis in puerpera diuulſorum obſeruatio. 79) Diſſ. *de non differenda ſecundinarum adhaerentium extractione.* Praeſ. IO. CASPAR. KÜCHLER. Reſp. et Auct. *Io. Valentin. Harttrampfft.* Lipſiae, 1735. Contra RVYSCHIVM aliosque, qui exſpectando naturae relinquunt ſecundinarum eliminationem, citam harum extractionem defendit expertus iudex, carus noſter olim amicus. 80) Progr. *de fetus viui extractione utero prolapſo.* PHIL. CONRAD. FABRICIVS. Helmſtad. 1748. 81) Diſſ. *de capite infantis abrupto, variisque illud ex utero extrahendi modis.* IOAN. CAROL. VOIGT. Gieſſae, 1743. c. f. Inter varia inſtrumenta, quae ad extrahendum caput excogitata deſcribit et delineat, acum

trique-

triquetram, ſerram et cochlear Cl. FRIEDII, forcipemque Cl. SCHÜRERI praefert, eorum vero uſum non niſi rariſſimum admittens. 82) Diſſ. *de rupto in partu utero.* IO. FRID. BEHLING. Altorfii, 1736. 83) Diſſ. *de rupto in partu utero.* IO. IAC. MÜLLER. Baſil. 1745. Poſt datam exactam uteri deſcriptionem, mechaniſmique, quo ſenſim caput fetus in peluim deſcendat, explicationem, partuum plurimorum difficilium cauſam ab obliquitate uteri, hanc vero a laterali placentae adhaeſione deducit, ruptique uteri tradit hiſtoriam. 84) Quaeſt. med. chir. *an ad ſeruandam prae fetu matrem, obſtetricium hamatile, minus anceps et aeque inſons, quam ad ſeruandum cum matre fetum ſectio caeſarea?* Praeſ. IAC. BENIGN. WINSLOW. Reſp. *Guill. Ruellan.* Pariſ. 1744. Sectionem caeſaream praefert unco, quo etiam viuus fetus pro mortuo habitus occidi poſſit. 85) Diſſ. *de nouo artificio curandi procidentiam uteri.* Praeſ. ANDR. OTTOMAR. GOELICKE. Reſp. *Ioan. Georg. Preunel.* Francof. Viadr. 1710. c. f. Peſſus eſt ex filis ferreis elaſticis conſtructus, veroque prolapſui uteri opponendus. 86) Diſſ. *de prolapſu et inuerſione uteri eiusque vaginae relaxatione.* Praeſ. PHIL. ADOLPH. BOEHMER. Reſp. *Frid. Beni. Wachter.* Halae, 1745. c. f. 87) Diſſ. *de uteri delapſu, ſuppreſſionis urinae et ſubſequutae mortis cauſa.* Praeſ. IOH. ADAM KVLMO. Reſp. *Io. Eilhard Reinick.* Gedani, 1732. Fuerunt veſicae ad enormem molem diſtenſio atque craſſities, hinc ureterum peluisque renum nimia expanſio; uteri gemellis praegnantis in vaginam prolapſus, factaque inde veſicae oſtii compreſſio, placentae denique ſimplicis ad totum cauum uteri firma nata adhaeſio. 88) Diſſ. *de incontinentia urinae ex partu, globulis ligneis curanda.* Praeſ. SIM. PAVLO HILSCHER. Reſp. *Ioh. Dan. Mittelhauſer.* Ienae, 1716. 89) Diſſ. *de Sarcomate e pudendo muliebri ſectione ſublato.* Praeſ. ABRAH. VATERO. Reſp. *Iac. Dan. Behrens.* Wit-

tenbergae, 1728. c. f. Rarior omnino eſt haec obſeruatio ſarcomatis fibroſi, et vaſculoſi, duas libras aequantis, quod iam gangraena affectum, ſectione, absque vinculo remotum fuit. 90) Progr. *de tumore fundo uteri externe adhaerente.* IOH. FRID. CRELL. ibid. 1739. 91) Diſſ. *de polypo poſt febrem epidemiam ex utero egreſſo.* Praeſ ABRAH. VATER. Reſp. *Caſpar. Schuncke.* ibid. eod. Tradit ſingularem ſarcomatis uteri hiſtoriam, quod poſt acutam febrem fere ſuperatam prolapſum, non ſectione, ſed repoſitione curatum fuit.

Tomus IV. continuationem partis quartae de morbis abdominis exhibet, atque quintam partem de morbis oſſium inchoat: 92) Diſſ. ſiſtens *Obſeruationes rariſſimas generationem calculorum in corpore humano illuſtrantes.* Praeſ. ABRAH. VATER. Reſp. *Chr. Ant. Ziegenhorn.* Wittembergae, 1726. c. f. 93) Diſſ. *de calculis in locis inuſitatis natis et per vias inſolitas excluſis.* Praeſ. EODEM. Reſp. *Ioh. Aug. Schulze.* ibid. 1741. 94) Diſſ. *de ſectione et felici curatione calculi veſicae exulceratae adhaerentis.* Praeſ. HERM. FRID. TEICHMEYER. Reſp. *Paul. Philip. Scheler.* Ienae, 1738. Notatu digna eſt obſeruatio calculi adhaerentis, et cum ulcere veſicae coniuncti, felicem extractionem, felicemque, quamuis tunica veſicae per vulnus excreta fuerit, ſanationem exhibens. 95) Diſſ. *de inſolita calculi ingentis per ſcrotum excluſione.* IOH. GVIL. FRID. IAHN. Vitembergae, 1750. 96) Diſſ. *de calculo veſicae urinariae in urethram impulſo et ſingulari encheireſi absque ſectione exempto.* CAROL. DANIEL FISCHER. Erford. 1744. 97) PETRI TARIN Epiſt. *de lithotomia.* Pariſ. 1748. c. f. 98) Specim. med. chir. *de operatione alti adparatus.* Praeſ. MATTHIA. ERNEST. BORETIO. Reſp. *Mich. Frid. Tennigs.* Regiomonti, 1723. 99) Diſſ. *de alto adparatu.* Praeſ. LAVR. HEISTERO. Auct. et Reſp. *Ioh.*

Ioh. Georg. Frid. Weiſe. Helmſtad. 1728. c. f. Tradit hiſtoriam methodi huius nouae; felicis eius ſucceſſus exempla adducit; inſtrumenta deſcribit et curationem operationi accommodatam; reliquis praefert ipſam hanc methodum. 100) Quaeſt. med. chir. *an ad extrahendum calculum diſſecanda ad pubem veſica?* Praeſ. IAC. BENIGN. WINSLOW. Reſp. *Cl. Th. Guil. Guilbert de Preval.* Pariſ. 1752. Eandem Praeſide NICOLAO PIETRE, Reſp. *Petrus le Mercier* iam anno 1635. ibidem defenderat. 101) Quaeſt. med. chir. *an educendo calculo, caeteris anteponendus altus apparatus?* Praeſ. M. PHIL. DAVIER DE BREVILLE. Reſp. *Franc. Felix Cochu.* ibid. 1734. 102) Diſſ. *de lithotomiae celſianae praeſtantia et uſu.* Praeſ. LAVR. HEISTER. Reſp. *Ioan. Guil. Ilſemann.* Helmſtad. 1745. c. f. Deſcribit, ſupplet, emendat, laudatque prae aliis celſianam, tamquam faciliorem et ſimpliciorem methodum. 103) Quaeſt. med. chir. *an educendo calculo, caeteris anteferendus apparatus lateralis?* Praeſ. M. CAMILLO FALCONET. Reſp. *Petr. Iſaac. Poiſſonier.* Pariſ. 1744. Poſt traditam variarum calculi extrahendi methodorum hiſtoram, lateralem operationem in primis commendat. 104) Diſſ. ſiſtens *Hiſtoriam et examen methodi Foubertianae, pro ſectione calculi.* IOAN. HENR. KESSELRING. Halae, 1738. c. f. Edoctus ab ipſo FOVBERTO, deſcribit inſtrumenta et methodum, qua ille ſolet aperire veſicam aqua repletam ſcalpello gracili ſuper acum triquetram; addit felicis ſucceſſus exempla, neque ſilet methodi huius varia tam commoda, quam incommoda et vitia. 105) Quaeſt. med. chir. *an ad extrahendum e veſica calculum diuerſa pro re nata debeat uſurpari chirurgia?* Praeſ. IACOB. TRANT. Reſp. *Henr. Frid. Bourdelin.* Pariſ. 1734. 106) Diſſ. *de variis calculos ſecandi methodis.* AVGVST. FRIDER. PALLAS. Lugd. Bat. 1754. Expoſita variarum methodorum hiſtoria, demonſtratisque earum incom-

 modis

modis et vitiis, in primis deſcribit methodum HAWKINSII, chirurgi Londinenſis, eamque ob amplum magis vulnus, quod infligitur veſicae, reliquis praeſtare adſerit. Eſt vero emendata lateralis inciſionis methodus. 107) Quaeſt. med. chir. *an ſcalpello vagina recondito cystitome lateralis perfectior?* Praeſ. Cl. THOM. GVIL. GVILBERT DE PREVAL. Reſp. *Henr. Iac. Macquart.* Pariſ. 1754. c. f. Defendit laudatque F. Iohannis de S. Come inſtrumentum et methodum. Ill. HALLER iconem, quae deſiderabatur, adiecit. 108) Progr. *de liquore non corroſiuo lapides duriores abſumente.* IOAN. ADOLH. WEDEL. Ienae, 1720. Infuſum corticis querni eſt, quod marmor erodere caſu aliquo vidit. 109) Diſſ. *an dentur medicamenta, quae calculum in veſica comminuant?* Praeſ. IOAN. HENR. SCHVLZE. Reſp. *Ioan. Ern. Graberg.* Halae, 1734. In primis millepedum et olei vitrioli dulcis Dippeliani virtutem lithontripticam exemplis confirmat. 110) Diſſ. *de calculo veſicae friabili.* Praeſ. GEORG. DETHARDING. Reſp. *Ern. Wilh. Schaumkell.* Roſtoch. 1729. 111) Diſſ. *de lithontriptico nuper in Britannia publici iuris facto.* Praeſ. IOAN. HENR. SCHVLZE. Reſp. *Georg. Ludou. Ietzke.* Halae, 1739. 112) Quaeſt. med. chir. *an calculo veſicae ſcalpellum ſemper neceſſarium?* Praeſ. LVDOV. MARIA POVSSE. Reſp. *Andr. Cantwel.* Pariſ. 1742. Medicamenti Stephenſiani et calcis ab ipſo datae vim ſoluentem experimentis comprobat. 113) Quaeſt. med. chir. *an in calculo renum et veſicae, pro natura calculi, aetate, et temperamento aegrotantis, Remedium Alkalino-ſaponaceum Anglicum?* Praeſ. IAC. ALBERT. HAZON; Reſp. *Petr. Ioſeph. Macquer.* ibid. eod. 114) IOAN. FRIDERICI SCHREIBER Epiſt. *de medicamento* a Ioanna Stephens, *contra calculum diuulgato inefficaci et noxio.* Gotting. 1744. c. f. 115) Diſſ. *de catheteriſmo.* Praeſ. HENR. MEIBOMIO. Reſp. *Franc. Henr. Grubeling.* Helmſtad. 1699.

116)

116) Quaeſt. med. chir. *an bubo venereus ſkirrhodes absque cauterio curandus?* Praeſ. FRANCISCO MERY. Reſp. *Claud. Ioſeph. Gentil.* Pariſ. 1751. 117) Diſſ. *de fiſtula ani feliciter curanda.* Praeſ. FRID. HOFFMANNO. Auctore et Reſp. *Henrico Baſſ.* Halae, 1717. c. f. Praeter medicamenta et inſtrumenta, quae commendat, in primis acum, crinali ſimilem, flexilem, argenteam et ſyringotomum laudat. Notat Ill. Editor male Geneuae recuſam eſſe cum FRID. HOFFMANNI operibus. 118) Quaeſt. med. chir. *an dubio in hepatis abſceſſu praemittenda incidendi loci perforatio?* Praeſ. LVDOV. IOAN. LE THIEVLLIER. Reſp. *Oliuar. Bougard.* Pariſ. 1744. Suadet acum triquetram, habetque exempla, quibus perforatio prodidit aliquando abſceſſum, quem inciſio non prodiderat, aliquando vero emphyſema.

Iam ſequitur pars quinta morbos oſſium complectens: 119) Diſſ. *de genuum ſtructura eorumque morbis.* Praeſ. LAVRENT. HEISTERO, Reſp. *Ioan. Guil. Widmann.* Helmſtad. 1744. c. f. Auctor eſt *Widmann*, Praeſidis experientia adiutus et conſiliis. Multa omnino memoratu digniora exponit momenta: praeter anatomen enim genuum accurate expoſitam, inter morbos eorum in primis notari merentur fractura patellae ſanata; huius luxatio certo viſa; eadem ſurſum facta; tibiae luxatio perfecte retrorſum facta; vulnerum in genu periculoſa funeſtaque indoles; neceſſaria ad ſclopetaria vulnera femoris amputatio; aneuryſmatis arteriae popliteae inciſi, veluti ſubeſt ſuſpicio, hiſtoria; funeſta eiusdem arteriae, cauſtico facta eroſio; tandem ad aneuryſma eiusdem ſuadet eam ligare vinculo, ſpe fretus, fore, ut ſanguinem ad pedem vehant vel diuiſus aliquando arteriae iſtius truncus, vel laterales certe rami. Ill. Editor hoc affirmat, illud vero negat. 120) Diſſ. *de ἀγκυλωσι.* WILH. HENR. MÜLLER. Lugd. Bat. 1707. c. f. 121) Diſſ. *de pede marceſcente indurato.* Praeſ.

LAVR. ROBERG. Reſp. *Alexander Ranie.* Vpſal. 1718. c. f. Rariorem tradit hiſtoriam pedis, gangraena ſicca, quae ab eryſipelate nata eſt, affecti, feliciterque amputati. 122) Diſſ. *de oſſibus tuberoſis.* Praeſ. EODEM. Reſp. *Eric. Victorin.* ibid. 1717. c. f. Praeter icones carioſorum tuberoſorumque oſſium, ex BROMELII et ZIERVOGELII theſauris deſumtorum, multas etiam habet memorabilesque obſeruationes, de laminis et fibris oſſium; de ſucco, qui oſſa nutrit; de viſci querni ramum ſuum, ex quo progerminat, emaciante vi; de vaſis, lacteo ſucco plenis, ex ſtomacho ad ductum chyliferum ductis, atque poſt meſenterii obſtructionem natis. 123) Diſſ. *de vulneribus oſſium rite curandis.* Praeſ. LAVR. HEISTER. Reſp. *Ioan. Gottlob. Sturm.* Helmſtad. 1743. In primis adnotari meretur hiſtoria grauis vulneris, globo ſclopetario per linguam et maxillam Comitis HENKELII traiecti, feliciterque ſanati. Auctor eſt Cl. *Sturm.*

Quinto tomo continentur pars ſexta vulnerum conſiderationi dicata; pars ſeptima variae ſedis morbos exhibens; pars denique octaua tamquam ſupplementum ſubnexa: 124) Diſſ. *Lethalitas per accidens.* Praeſ. BVRC. DAVID MAVCHART. Reſp. *Phlip. Sigism. Palm.* Tubingae, 1750. 125) Diſſ. *Virginis, per viginti ſeptem annos ventriculum perforatum habentis, hiſtoriam et ſectionem exhibens.* Auctore CHRISTIANO WENCKERO. Argentorati, 1743. Hiſtoriam adeo memorabilem iam coeperat tradere AVGVSTVS WENKER frater in Diſſ. 1735. ibidem habita: CHRISTIANVS vero abſoluit addens ſectionem demortuae, magnamque hiſtoriae, a fratre traditae, partem huc transtulit, ut propter ea etiam illam AVGVSTI recudendam non putauerit Ill. Editor. Deſcribit autem vulnus ex abſceſſu ventriculi rupti ſponte natum, tot annos cum vita ſuperſtite geſtatum; menſtrua

menſtrua per illud effluxerunt; atque contractio ventriculi ipſa oculis ſeſe obtulit in aperto eodem. Tradit inſuper alias ſimiles obſeruationes ab aliis auctoribus adnotatas. 126) Diſſ. *hiſtoriam et curam bubonis inguinalis cum perforatione inteſtini et eruptione lumbricorum fiſtens.* Praeſ. CHRISTIAN. VATER. Reſp. *Guſtau. Proſper. Iuch.* Wittemberg. 1693. 127) Diſſ. *de ſpica deglutita et per apoſtema hypochondrii dextri reiecta.* Praeſ. CAROLO FRID. LVTHER. Reſp. *Ioach. Dolge.* Kiliae, 1704. Rarae ſanationis exemplum. 128) Diſſ. *Vulnerum lethalitatem in inteſtinis exhibens, occaſione caſus rariſſimi, quo colon vulneratum inuerſum per* 14 *annos ex abdomine propendens exhibetur.* Praeſ. ABRAH. VATER; Reſp. *I. Reichard Tieffenbach.* Wittenberg. 1720. c. f. 129) Quaeſt. med. chir. *an tenuium inteſtinorum vulnus lethale?* Praeſ. FRANCISCO MERY. Reſp. *Adrian. Malaval.* Pariſ. 1734. Inteſtinorum, quae iam gangraena corrupta, inciſione feliciter ſanata ſunt, hiſtoria traditur. 130) Diſſ. *de vulnere hepatis curato cum diſquiſitione in lethalitatem vulnerum hepatis.* Praeſ. CAR. FRID. KALTSCHMIDT; Reſp. *Adam. Ioan. Wedekind.* Ienae, 1735. 131) Diſſ. *exhibens uterum grauidae una cum foetu vulneratum.* Auctore I. MARTIN. REICHARD. Argentorat. 1735. Rara atque memoratu digna eſt haec hiſtoria vulneris ſclopetarii et utero paullo ante partum et foetui ſimul inflicti, feliciter tandem ſanati. Occurrunt inſuper aliae obſeruationes uteri rupturae non funeſtae, partusque caeſarei, temere, ſed feliciter facti; nec non de aquarum praecoci effluxu, ex alterius gemellique foetus ſecundinis orto coniecturae. Ill. Editor ex litteris ad ipſum a Cl. Auctore datis ſupplementum hiſtoriae et curationis addidit. 132) Diſſ. *de arteriae cruralis vulnere periculoſiſſimo feliciter ſanato.* Praeſ. LAVR. HEISTERO. Reſp. *Ioan. Andr. Reinig.* Helmſtad. 1741. c. f. Grauis vulneris curatio ſolis vinculis peracta

peracta legitur. Arteriae cruralis ramus exterior, qui ſolet eſſe frequens, vulneratus profunda femoris HALLERI eſt aeque, ac truncus, perpetua. Simili modo etiam in brachio ob diuiſionem arteriae altiori loco frequentem eius vulnera vel aneuryſmata ſanari poſſe adfirmatur. 133) Quaeſt. med. chir. *an vulnerata crurali arteria ab amputatione auſpicandum?* Praeſ. ANT. NIC. GVENAVLT; Reſp. *Vrban. Vandeneſſe.* Pariſ. 1744. Tentat etiam vinculum ob ſpem diuiſionis arteriae et anaſtomoſium. 134) Quaeſt. med. chir. *an in artuum exciſione tutius a ligatura, quam ab alia compreſſionis ſpecie ſiſtitur ſanguis?* Praeſ. THOM. RENAT. GAGNIER; Reſp. *Lud. Florent. Bellot.* ibid. 1734. 135) Quaeſt. med. chir. *an ad ſiſtendam membrorum reſciſſioni ſuperuenientem haemorrhagiam datur artificium tutius vaſorum ligatura?* Praeſ. CLAVD. ANTON. RENARD; Reſp. *Lud. Petr. Felix Ren. le Thieullier.* ibid. 1752. 136) Quaeſt. med. chir. *an in arteriarum vulneribus tutum haemorrhagiae ſiſtendae auxilium, Fungus maximus, rotundus, puluerulentus* IOHANNIS BAVHINI? Praeſ. IOAN. HERMENT; Reſp. *Paul. le Roy.* ibid. eod. 137) Progr. *de aneuryſmate.* AVGVSTINI FRIDERICI WALTHER. Lipſiae, 1738. c. f. 138) Diſſ. *de ſtupendo aneuryſmate in brachio feliciter per operationem curato.* Praeſ. HERM. FRID. TEICHMEYER. Reſp. *Nathan. Theoph. Emrich.* Ienae, 1734. Notatu digna eſt hiſtoria aneuryſmatis, quod a venae ſectione natum, atque emollientium applicatione auctum, multum ſanguinis fudit, quod tamen, licet cutem iam gangraena occuparet et ſanguis profuſus abiret in putredinem, ſanatum fuit feliciter. Traditur inſuper hiſtoria ſingularis aneuryſmatis, in quo ſanguis per poros arteriae transſudauit, atque aortae in ipſo pericardio ruptae, nec non eſſentiae oculorum populi vis traumatica multum laudatur. 139) Quaeſt. med. chir. *an tutior faciliorque vulgari detur aneuryſ-*

matis

matis chirurgica curatio? Praeſ. IAC. ALBERT. HAZON. Reſp. *Franc. Thierry.* Pariſ. 1750. Deſcribit cochleam, quae circuli metallici ope contra arteriam adacta, ipſam ſola comprimit, a SCVLTETO propoſitam, atque a VALLANTIO medico lugdunenſi perfectam. Suadet arteriae una cum neruis ligaturam, qui ligati dolorem acutiorem excitarunt, ſenſum vero motumque non amiſerunt, in ganglii ſpeciem mutati in canibus viſi. 140) Diſſ. *de noua brachium amputandi ratione.* Praeſ. EL. FRID. HEISTER. Reſp. *Rud. Henr. Zeidler.* Helmſt. 1739. c. f. Deſcribit raram brachii ambuſti amputationem, qua, cum torculari locus non eſſet, arteria primum filo traiecta, carnes deinde ſcalpello circumciſae, atque ſerra demum os reſectum fuit, intus dato ſemine Phellandryi, veluti ſpecifico laudato vulnerario. Methodum hanc commendat etiam in aliis arteriae brachialis vel femoris vulneribus et aneuryſmatibus. 141) Diſſ. *caſum de amputatione femoris non cruenta* ſiſtens. IOH. FRID. TSCHEPII. Halae, 1742. Rara obſeruatio traditur arteriae cruralis inter amputationem femoris nullum cruorem fundentis, clauſique poſt eam vulneris, quamuis aeger ex carie oſſis moriretur. 142) Quaeſt. med. chir. *an femur in cauitate cotyleoidea aliquando amputandum?* Praeſ. PETR. LALOVETTE; Reſp. *Car. Franc. Theroulde de Thouloufe de Vallun.* Pariſ. 1748. In primis in carie oſſis femoris, quae a cauſa interna nata, caput eius primum infecit, ulteriusque ſerpit, ut vita ſeruari aegri non poſſit, ſuadet anceps hoc amputationis genus ſimili modo tentare, ac LE DRAN tentauit cum humero, ſed nondum confirmatum experientia. 143) Diſſ. *de tendine Achillis diſrupto et arteriis in oſſeam ſubſtantiam degeneratis.* Praeſ. IOH. ADAM KVLMVS. Reſp. *Io. Iacob. Knape.* Gedani, 1730. Memoratu dignam exhibet obſeruationem rupti a ſaltu male meditato tendinis et gangraenae inde funeſtae. Ruptu-

rae

rae cauſam a vi ponderis totius corporis incumbentis, grangraenae vero ab arteriis oſſeis deriuat. Superſtitem extenſionem tribuit muſculis peroneis et tibiali poſteriori. Squamas oſſeas arteriarum non effuſae materiae, ſed indurationi tunicae earum adſcribit, atque hanc aeque, ac ſphacelum ſenum, potui ſpirituoſo. 144) PETRI CASTELL *Experimenta, quibus varias humani corporis partes ſentiendi facultate carere conſtituit.* Gottingae, 1753. quorum ipſi dedimus expoſitionem * alio loco.

Pars ſeptima varios morbos complectitur ad nullam ſedem adſtrictos, atque primo loco luxationem. 145) Diſſ. *de luxatione oſſis femoris rariore frequentioreque colli fractura.* Praeſ. IOH. SALZMANN. Reſp. *Andr. Flach.* Argentor. 1723. 146) Progr. *de collo femoris eiusque fractura.* CHRISTIAN. GOTTLIEB LVDWIG. Lipſiae, 1755. c. f. 147) Quaeſt. med. chir. *an in humeri luxatione ambe potius, quam ſcala, ianua polyſpaſtusque iterato renouata?* Praeſ. NIC. ANDRY. Reſp. *Hubert. Linguet.* Pariſ. 1732. 148) IOAN. SIGISM. ELSHOLZ *hiſtoria ſteatomatis reſecti et feliciter curati.* Berolin. 1666. c. f. 149) Diſſ. ſiſtens *caſum tumoris tunicati membranacei.* Praeſ. IOAN. SALZMANN. Reſp. *Io. Paul. Kell.* Argentor. 1721. c. f. 150) Diſſ. *de quibusdam tumoribus tunicatis externis.* Praeſ. EODEM. Reſp. *Georg. Frid. Orth.* ibid. 1719. 151) Diſſ. *de tumoribus cyſticis ſingularibus.* Praeſ. LAVR. HEISTER. Reſp. *Bened. Andr. Frieſe.* Helmſtad. 1744. c. f. 152) IOAN. HENSELER *hiſtoria brachii praetumidi.* Altorf. 1743. c. f. 153) Diſſ. ſiſtens *hiſtoriam pedis tumidi.* Praeſ. ALEXANDRO CAMERARIO. Reſp. *Phil. Ch. Laitenberger.* Tubing. 1720. 154) Diſſ. *de venae ſectione.* Praeſ. ALBERTO DE HALLER. Reſp. Auctore *I. Iulio Walbaum.* Gotting. 1749. c. f. 155) DIETE-

* conf. Comment. noſtr. Vol. III. Part. I. p. 101 ſeqq.

DIETERICI SPROEGEL *Obſeruationes quaedam ſelectiores.* Helmſtad. 1720.

Pars octaua veluti ſupplementum, diſſertationes quasdam ſerius acceptas continet: 156) Quaeſt. med. *quinam ſint praecipui, quo modo explicentur et curentur lentis cryſtallinae morbi, quae eſt duodecima quaeſtio inter eas, quas defendit* ANTON. FERREIN. Monſpelii, 1732. Commendat inciſionem poſterioris faciei capſulae. 157. 158. 159) Cl. PETITI epiſtolas tres, gallice ſcriptas, rarioresque exhibet; quarum *prima* oſtendit: *Que le Cryſtallin eſt fort près de l'uvée.* Paris 1729. atque praeter exquiſitas partium oculi menſuras deſcribit operationem, qua lens poſterius et inferius inciſa capſula deponitur, et cataractam membranaceam refutat: *altera* continet *des Reflexions ſur ce que M. Hecquet a fait imprimer ſur les maladies des yeux.* Paris, 1732. *tertia* vero *Reflexions ſur les decouvertes faites ſur les yeux.* ibid. EODEM. Vindicat ſua inuenta de nerui intercoſtalis origine et canali lentem ambeunte contra Cl. WINSLOW. Cl. FERREINI vero atque ſuam operationis deſcriptionem eandem eſſe demonſtrat. 160) Diſſ. *qua nouum paracenteſeos inſtrumentum offertur.* MICH. ADAM. GVSSOVII. Regiomont. 1723. c. f. Eſt acus triquetrae ſpecies ſubtiliter excogitata. 161) Quaeſt. med. chir. *an herniosis ex ſcuto eburneo coriaceoque cingulo ſubligacula?* Praeſ. HENR. MICH. MISSA. Reſp. *I. Bapt. Thurant.* Pariſ. 1754. Tradit generalem herniarum hiſtoriam, ſpuriarumque cauſam ponit in nimia humorum colluuie; reiicit ſubligacula ante quintum annum, deſcribitque varia eorum ad omnes hernias accommodatorum genera, aliaque ad prolapſum vaginae uterique idonea. 162) Diſſ. *de exoſtoſi ſteatomatode clauiculae eiusque felici ſectione.* Praeſ. IOAN. ADAM. KVLMVS. Reſp. *Paul. Henr. Ger. Moehring.* Gedani, 1732. c. f. 163) Progr. *de vulnere ventriculi.* MICH. ERNEST. ETTMÜLLER. Lipſiae, 1730.

III.

III.

Plantarum americanarum faſciculus tertius continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS Botanicorum princeps detexit, eruitque, atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. Has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus, et obſeruationibus, aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS, M. D. Profeſſor Botanices Amſtelaedamenſis. Sumtibus auctoris. Amſtelaedami 1756. fol. pl. 7. Tab. aen. XXV. a tab. 51-75. EIVSDEM Faſciculus quartus. fol. pl. 6. Tab. XXV. a tab. 76-100.

Quam ſtudioſus in perſcrutandis Americae plantis fuerit PLVMIERIVS, et nemo neſcit, et alibi iam declarauimus *. Pergit iam Cl. Editor in communicandis illis plantis, maximam partem rarioribus, quarum aeque genus accurate diſtinguitur additis deſcriptionibus, ac illuſtratur florum fructuumque additis iconibus. Continentur autem in *faſciculo tertio* plantae ſequentes: Bidentis ſpecies quatuor, Bignoniae ſeptem, Bihai, quae Muſa eſt, Borboniae ſpecies duae, quae ad Laurum referuntur, Bromeliae tres, Broſſaea, Brunsfelſia, Bryoniae duae ſpecies, ex quibus altera ad Scyos, altera ad Melothriam pertinet, Bucephalon, Caapeba ſeu Ciſſampelos, Caeſalpinia, Cainito, quod Chryſophyllum dicitur, Camarae tres ſpecies, quae Lantanae vocantur, Camerariae, duae ſpecies, Capparidis duae ſpecies, Caraguatae itidem duae, quibus Tillandſiae nomen dedit LINNAEVS, tandemque Gerardia.

p. 41. Notamus de his *Bidentem fruticoſam, ſphondylii folio et facie* TOVRN. quam LINNAEVS, ad ſilphium reduxe-

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. II. p. 238.

reduxerat, a Cl. BVRMANNO ad Verbesinas amandari, siquidem longe plures et minores in uno sint capitulo flores, ac a LINNAEO descripti sunt, fructificatio quoque differat. Eidem generi Verbesinae adiungit *Bidentem fruticosam, ilicis folio, flore luteo.* PLVM. quum in eo, quo usus fuerat LINNAEVS, exemplari sicco non appareret radius, quem euidenter pinxit PLVMIER. Reliquas vero Bidentis species, a VAILANTIO Ceratocephalos dictas, bene distinxit et inter bidentes stare debere docuit Cl. Editor. Bignonias PLVMIER in scandentes et arboreas distinxerat, utriusque generis aliqua exempla proponuntur. In illa, quae *Bignonia* ipsi appellatur *scandens bifolia et trifolia, ligno cruce signato*, attentionem meretur medullae caulis singularis dispositio, quae transuersa, ad crucis formam se decussantia, forte fibrarum lignosarum, strata ostendit; est enim forte illa conformatio eadem, quam in nodorum septis ex fibrarum densiori coniunctione, inuenimus. *Bihai* PLVM. cum Musa ex mente Cl. BVRMANNI etiam coniungitur, quamuis ille pistillum in fructum abire dicat, quum ex eius mente contra in musa calix fructum constituat, omnium enim reliquarum partium summa analogia est, veraque demum in loco natali facta peruestigatione discerni potest differentia. *Bro-* p. 52.
meliae nouam speciem proposuit PLVM. quam *pyramidatam, purpuream, foliorum imis aculeatis* vocat, cui nunc Noster nomen dedit *foliis radicalibus breuibus et aculeatis, caulinis longissimis et integerrimis, inermibus*, verum, quod longe extantia habeat stamina et fructum dependentem ad Aloen potius pertinere non immerito videtur, dummodo corolla non esset tripetala. Imperfecta adhuc relinquitur descriptio *Buce-* p. 55.
phali, cuius non nisi femininum florem definiuerat PLVMIER, occasione tamen eius recensetur siliqua, quam inter naturae scrutatores peritissimus *Wilh. van der Meulen* communicauerat Cl. Editori, cuiusque

iconem idem hic propoſuit, incognitae arboris. Eſt illa laeuis, fuſca, tuberculata, utrinque cornu inſtar inflexum proceſſum habens, ut magna cum bouino capite ſit ſimilitudo, ſemen autem intus habetur, quod ex ſono, per agitationem producto, cognoſci-
p. 58. tur. In charactere *Chryſophylli* emendationes factas fuiſſe obſeruamus, limbum corollae in duodecim lacinias diuiſum eſſe apparet, et fructum deſcribit Cl. BVRMANNVS *eſſe mollem, carnoſum, oblongum, oſſiculum ſeu putamen gerentem oblongum, quod nucleum continet acuminatum, ſemen autem calyptra inuolui*, hinc cum Lycio prope conuenire. Qui de *Cameraria* etiam iudicat, proxime eandem cum *Tabernae montana* conuenire.

Sed properamus ad *faſciculum quartum* non minus rerum nouitate illuſtrem. Deſcribuntur in eo depingunturque: Caſſiae ſpecies quinque, Caſtorea ſeu Duranta, Celtis, Gentianae ſpecies duae, Smilacis quatuor, Knautia, Anthemis, Cluſiae ſpecies duae, Hippocratea, Columnea, Conuoluuli ſpecies quinque, Ipomeae ſex, Conyzae ſex, Melampodium et Elemifera.

p. 70. Inter alias plantas recenſetur hic *Celtis foliis lanceolatis, crenatis, floribus terminatricibus, paniculatis*, verum, quod calicem appinxit PLVMIER, quae in Celtide non eſt, et quod ſubulatum eſt piſtillum, nouum genus videtur utique conſtituere. *Gentianae* noua, nullibique deſcripta hic occurrit ſpecies, quae paniculas habet longas, dichotomas, nudas, caulem terminantes, centrum vero corollae, eminente circumquaque corona ornatur. Eſt autem haec *Gentiana foliis ſeſſilibus, lanceolatis, trineruiis, panicula dichotoma, nuda, corollis quinquefidis, campanulatis, crenatis.* Porro nouum deprehendimus deſcriptam *Knautiam caule dichotomo, foliis margine punctatis*, quam quidem ad Chondrillas retulerat PLVMIER, viua haec planta viſa non eſt, omnis autem eius habi-

tus

tus ad iam dictum genus eam pertinere confirmat. Quae *melampodii foliis lanceolatis, caulibus procumbentibus* nomine insignitur planta, obscuri est generis data occasione curatius disquirenda, nominauerat eandem Cl. PLVMIER *Iacobaeam humifusam, hyperici foliis.* Praeterimus varia in Conyzae potissimum speciebus notata, ultimo tantum loco, quod singula merentur botanicorum attentionem, subiungentes pleniorem a Cl. BVRMANNO datum Elemiferae characterem: p. 84.

Calix, perianthium quadripartitum, minimum.
Corolla, petala quatuor oblongiuscula.
Stamina, filamenta quatuor subulata breuissima.
Pistillum. Germen ouatum. Stilus breuissimus. Stigma obtusum, tetragonum.
Pericarpium, Bacca subrotunda, unilocularis.
Semen, subrotundum osseum.

Prodiit etiam nuper *fasciculus* harum plantarum *quintus*, de quo alio loco exponemus.

IV.

Histoire naturelle génerale et particuliere avec la description du Cabinet du Roi Tom. V. à Paris de l'imprimerie royale 1755. 4. mai. 1 alph. 16 pl. 52 tab. aen.

i. e.

Historia naturalis, generalis et particularis cum descriptione musei regii, Tom. V.

Quem Cl. Auctor sine praefatione edidit, *Historiae naturalis* Tomum quintum *, eius oportet argumentum sine omni verborum praefamine enarrare

* Prodiit ante aliquot menses, idem tomus, germanice versus, sub titulo: *Allgemeine Historie der Natur etc. 3. Theil. Hamburg und Leipzig.* 1756. 4.

rare. Ceperat in antecedentibus * pecuariam quaeſtionem attingere et deſcribere equum, aſinum, et bouem. Iam in praeſens ad ceteram rem pecuariam progreſſus pecudes indomitas perſequitur, ſiue veterum dicendi more, illas, quae nunquam ſub iugo domantur, aut quae non ſunt ὑποζυγιαι, quorſum pertinent oues, arietes, porci, canes, cet. Ab oue initium.

p. 1. Ouiariam pecuariam primigeniam eſſe antiqui iam dixere, quod e feris pecudibus oues primum videntur comprehenſae ab hominibus et manſuefactae. Nihilo minus Cl. BVFFON dubitat, an unquam oues in feris numerari debeant. Ouis enim cum ſit animal inerme, meticuloſum, molle, manſuetum, quod ſe vindicare non poſſit, natura illi hominem defenſorem dedit, atque nutritorem; homo vero canem cuſtodem, quo ſcilicet comite, dum paſtum exit, indiget ad ſui praeſidium: nec hodie oues ferae
p. 5. reperiuntur in deſertis. Quadrupedum ergo animalium ſtupidiſſimum eſt ouis, quanquam hominibus utiliſſimum. Conſtitutione ſua inualidum eſt, nec laboris, nec aeſtus, nec frigoris patiens, eundo facile defeſſum et anhelum, facile morbum eumque
p. 7. contagioſum contrahens. Partum cum edit, magnopere laborare ſolet; quare opus eſt, ut ſi res exigat, ad manus ſint, qui opem matri ferant. Agnus ſubrumus aut a lacte recens depulſus nunc mactatur, nunc gregis ſupplendi cauſa ſubmittitur: ille plerumque debilis et mollis pauciſſimos poſt dies, quam editus eſt, venditur; hic, ſubmiſſus nempe, robuſtus, laſciuiens, denſi albique velleris ſeligitur, et bimeſtris a matre pellitur. Alii agni quarto aut quinto menſe caſtrantur, quod partim per inciſionem, euulſis nempe teſticulis, partim fit ſubligatis ſcroto, vaſisque ſeminalibus. Arietis aetas ex cornubus aeſtumari poteſt, quippe, quae ſtatim, quo natus eſt, creſcere incipiunt,

* conf. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 316.

incipiunt, et quotannis annulo, ſiue noua epiphyſi, augeſcunt. Oues cornubus deſtituuntur, quandoque tamen ternis aut quaternis armatae ſunt. Aetas p. 10.
arietis ad progenerandum optima eſt trima, atque ouis bima; neque tamen inhabiles ſunt, ſi vel haec annicula, ille poſt menſes octodecim coeunt: ſed tum prolem edunt debilem, ad educandum minime idoneam, cuiusmodi illa quoque habetur, quae a parentibus octo annorum prognata, congeneratum ſaepe eorum ſenium referre ſolet. Aries ad ſaliendum eligatur validiſſimus et pulcerrimus, corniger ille; dantur enim quandoque cornubus priuati, qui noſtris in regionibus ad procreandum minus apti ſunt. Praeter ea aries ſit capite alto atque valido, p. 11.
fronte lata, oculis magnis et rauis, naribus obtuſis, auribus exporrectis, corpore procero et ſurrecto, ceruice prolixa, teſticulis amplis, cornubus valde intortis et cauda longiſſima. Ad admiſſuram vero oues comparentur ampli colli, vaſti corporis, denſi villi nec aſperi, facilisque inceſſus. Oues paſtum producuntur commodiſſime ad colles, aut in aequore collibus disiuncto. Hyeme autem intra ſepta aluntur ob p. 13.
iectis furfuribus, ulmeis vel ex fraxino foliis, autumnali foeno, medica, trifolio, ſtramine, cet. Singulis diebus circa meridiem foris aguntur, ad ambulandum magis, quam ad paſcendum; niſi tempeſtas ſit procelloſa aut imbrifera. Aeſtate mane in paſtum ducuntur, ut rore iam mitigato, quatuor aut quinque horis, gramine et teneris herbis veſcantur; poſt, ubi ſitim collegerint, ad aquam coguntur, et in ſtabulum compellatae aut in locum aliquem umbroſum deductae, tertia vel quarta hora a meridie rurſus in pabulum, quoad contenebrauerit, producuntur. Et hoc quidem loco obſeruandum eſt, ut ante meridiem grex ad colles in occidentem ſpectantes agatur, poſt meridiem ad colles verſus orientem ſitos. Paſcentium enim capita, utpote admodum

mollia, dum ſunt obuerſa ſoli, ſtupida et vertigineſa
p. 15. fiunt. Plurimum etiam refert, ſi liberis campis, omni ſurculo, carduo ruboque vacantibus pecus ouillum paſcitur, ne et lana carpatur et pellis. Et quoniam datum ſal veluti pabuli condimentum eſt, ſi maris eſt vicinia, paſtor gregem maxime ad littora locaque valloſa cogat, ubi herbas graminaque ſalſida depaſcit, iisque cupidinem bibendi paſcendique concipit pecus; carnis item ex hoc alimento maiorem dulcedinem lactisque contrahens. Haec et ſimilia Cl. BVFFON pro eo, quo eſt ingenio et dicendi habitu, diſerte neque tamen primus enarrauit. Namque legentibus nobis hiſtoriam hanc ouis naturalem plurima cognita erant et aliunde lecta. Leguntur nempe et quidem ſaepe ad verbum expreſſa in rei ruſticae ſcriptoribus antiquis, COLVMELLA * et VARRONE **, quae doctiſſimus BVFFON in hoc opere eleganter repetiit. Vſus forte eſt ſcriptis CAR. STEPHANI et IOH. LIEBAVLT ***, qui magnae ſibi gloriae duxerunt, veſtigia veterum lati-
p. 17. norum legere, et ex iis optima depromere. In hepate ouium inuentos aliquando fuiſſe vermes, inteſtinalibus vermibus admodum ſimiles, adſerit Cl. Auctor; id, quod etiam in pecore bouino ſolet accidere. Cl. HANOW **** utriusque caſus ſingulare exemplum adducit, ad inueſtigandam luis bouinae indolem ſatis accommodatum: Cl. SCHAEFFER autem

* Lib. VII. cap. 2 — 5.

** Lib. II. cap. 2.

*** *L'agriculture et maiſon ruſtique de Mr.* CHARLES ESTIENNE et IEAN LIEBAVLT, *Docteurs en Medecine.* à Paris, 1601. 8.

**** *Seltenheiten der Natur und Oeconomie, Iſter Band.* pag. 203. et Comment. noſtr. Vol. III. Part. III. pag. 515. ubi hanc rem uberius recenſuimus.

tem ſingulari libro *, quas in ouium hepate offendit, cochleas huius modi deſcripſit; Immo ſi qui ſint, qui recens inuentum putent, hi ſciant Cl. LEEVWENHOEK iam anno 1690 ex epiſtola GODOFREDI BIDLOO, Profeſſoris Anatomici Lugdunenſis, horum vermium non modo habuiſſe notitiam, ſed ipſos etiam poſt anno 1698 aquae pratorum innatantes obſeruaſſe et deſcripſiſſe **. In ouium enim in primis et boum hepatibus ulcera detecta fuerunt, cochleis hirudinibusque referta, quales in pratis, foſſis atque aquis ſtagnantibus haberi ſolent. Poſt haec, ubi Cl. Auctor de tondendis et pinguefaciendis ouibus locutus eſt, ad deſcriptionem arietis progreditur; cuius ſub initium in methodum diſponendi quadrupeda p. 24. ſecundum pedes integros, biungulatos et multifidos, excurrit, eamque ut naturae contrariam improbat: diſcrimen animantium, ratus, in ipſorum natura, moribus ac conformatione interna et externa quaeri debere. Equum itaque, taurum et canem pro archetypis configurationis quadrupedum aſſumit, in quorum videlicet deſcriptione ad modum ſollicitum ſe praebet. Arietis magnitudo in relatione ad taurum p. 37. magnopere variat; inteſtinorum tamen ad eundem magna ſimilitudo. Et ad perficiendam partium internarum deſcriptionem Auctor anatomen arietis, pro hermaphrodito falſo habiti, ſubnectit, viditque ſingularem genitalium ſtructuram, quam pro ſcopo breuiter delineat. In oue grauida diſſecta Cl. DAVBEN- p. 39. TON 32 cotyledones inuenit, et chordam umbilicalem longitudinis duorum pollicum cum ſemiſſe. Li-

 quorem

* *Die Egelſchnecken in den Lebern der Schaafe, und die von dieſen Würmern entſtehende Schaafkrankheit. Regensburg.* 1753. 4. *m. illum. K.*

** Epiſtolae ad Societat. reg. Angl. ſ. Continuatio Arcanorum Naturae. Epiſt. 122. pag. 147 ſeqq. Edit. Lugd. Bat. 1719. 4. c. f.

quorem allantoidis ex ariete impraegnatum vidit moleculis ſubluridis: quo demum in vapores ſoluto, ſubſidens viſcidum hippomanis inſtar remanſit. In dimenſione partium internarum et oſſium arietis idem
p. 45. vir doctiſſimus magnam operam ponit. Oſſeum caput arietis diſcrepat a capite tauri in eo, quod cornua arietina propius ſibi adiacent, immo orbitis propiora ſunt, quam cornua tauri. Maxilla ſuperior ſubtus non tam ampla deprehenditur, adeo, ut ad maxillam bouis relata, ſolito anguſtior ſit. Os coxendicis, quod in tauro rectum eſt, in ariete verſus anteriora ſatis incuruatum erat. Os humeri atque canon reſpectu radii in ariete longiora ſunt, quam in tauro.
p. 54. His pertractatis Cl. Vir ſyllogen aſſeruatorum regii theſauri exhibet, ad deſcriptionem ouis arietisque facientem; in quibus penis arietis ſingularis ſtructurae, aegagropila arietis caſtrati, caput ouis cornutum praecipue attentionem merentur.

p. 59. Poſt ouinum genus Cl. BVFFON ad caprinum accedit, inter quae tanta non eſt, quanta poteſt maxima eſſe, morum et naturae diſtantia. Dicendum tamen non eſt, caprarum genus ab ouino aliquando in feritatem degeneraſſe; dicendum potius eſſet, oues a caprarum alacritate deſciuiſſe et manſuetiorem capellarum claſſem conſtituiſſe: quem ad modum equum aliquis ad aſinorum ſpeciem perfectiorem referre poſſet. Sed VARRO, forte ex CATONE, optimo illo et ſine aemulo agricola, oues, ſcribit, quas paſcimus, quae ſunt ab ouibus feris; ſic caprae, quas alimus, a capris feris ſunt ortae, a queis propter Italiam Capraſia inſula eſt nominata. Non eſt inſolitum ouem ab hirco, atque capellam ab ariete ſaliri; num vero partus inde, et qualis produ-
p. 64. catur, incertum. Capra animal eſt alacre, hominibus aſſuetum; aliquanto fortius oue et laſciuum; ſylueſtribus potius ſaltibus delectatur, quam pratis; ſtudioſe de agreſtibus fruticibus paſcitur, et in locis cultis

cultis virgulta carpit, inde a carpendo capra nominata. Per rupes, per ſolitudines, per vepres facile vadit, facile ſe diſpergens, neque aeſtus tam impatiens eſt, quam ouis. Hircus deſiſtente anno, capella ſeptem menſium ſatis habiles ſunt ad procreandum; ſed ex his parentibus qui nati hoedi, quoniam vegrandes ſunt et imbecilli, huic quadrupedi, neque mari neque foeminae, niſi poſt duos annos permittenda venus eſt. Centenis, immo centenis et quinquagenis hircus ſolet adiungi unus, per duos tresue menſes. Hircum ſubmittere ad admiſſuras oportet bimulum, ampliſſimi corporis, collo breui et pleno, gurgulione longiore, exiguo capite, auribus propendentibus, cruribus craſſis, et pedibus firmis, colore nigro et barba longiſſima. Capra non eundem ſelectum poſcit; ſufficit ad procreandum, ut ſeligatur, quae ſit corporis longiſſimi, ceruicis amplae, cruribus plenis, inceſſus mollioris, uberis maximi et velleris tenuiſſimi. Tempus admiſſurae optimum autumnale iudicatur, ut propinquante vere, gemmantibus frutetis, hoedi recens editi pabulum dulciſſimum reperiant, dum in grege incipiunt eſſe. Caprarum, quod facile ſe diſpergunt, quinquagenas unus caprarius, tanquam ſatis magnum gregem, cogere plerumque ſolet, neque maiorem habere, neque tueri poteſt. Capellis in maxilla ſuperiori dentes non ſunt inciſores; earum aetas, ut in ouibus, ex dentibus atque cornibus colligitur. Hircus ab ariete et tauro diſcrepat forma capitis, longitudine ac directione cornuum, craſſitie pedum, qualitate et varietate pili, ſub mento barbam longam, per dorſum vero ad caudam uſque eminentem iubam conſtituentis. In hircis diuerſae quidem, ſed non adeo multiplices dantur ſpecies, ut in equis; in Gallia tamen nati alii non ſunt, quam qui ex Angora aduecti capellas indigenas impleuerunt, mollitie velleris Europaeorum capris multum praeſtantes, et

p. 66.

p. 69.

p. 75.

cornubus in modum cochleae tortis admodum in-
p. 81. ſignes. In hepatibus hircorum Cl. Auctor eosdem vermes, quos in arietibus, ſed pauciores obſeruauit. Capellis binae ſunt mammae, ſiue rumes, antiquo vocabulo; ſingulis una papillula, quam ſugunt recens nati. Sed doctiſſimus DAVBENTON capellam diſſecuit, cui erant cuiuslibet mammae binae papillulae, pro binis cuiusuis mammae cauitatibus membrana transuerſa diſcriminatis, et lac recipientibus. Hanc mammarum conformationem Auctor capellis naturalem putat, eam tamen creſcentibus annis in
p. 96. unam cauitatem unamque papillulam coaleſcere. In cimelio regio aſſeruantur inter alia, caput capellae cornibus armatum, ſceletum et pellis caprae Angorenſis.

p. 99. Sequitur deſcriptio porci, quem Cl. BVFFON ſub nullam animalium quadrupedum claſſem redigi poſſe autumat; adeo diſſimilis eſt caeteris quadrupedibus. Namque ſi ſecundum externos characteres res diiudicanda eſt, porcus non ad ſolipeda referendus, quippe qui ungulas natura habeat diuiſas; neque ad biſidos, dum reuera quatuor digitis inſtructus eſt, quamquam extrinſecus non niſi duo in conſpectum veniant; neque tandem ad fiſſipeda, quod digitis tantum duobus incedit, reliquis duobus nec viſis, nec ad analogiam reliquorum fiſſipedum, aut eum in modum conformatis, ut iis uti animal ulla ratione poſſit. Sed ſuillum adeo genus non eſt ambiguum, uti Cl. Auctor arbitratur. Porcus in claſſe animantium biſulcorum recte reponitur, licet dentur interdum ſues monunguli ſeu ſolipedi, ut antiquitus ARISTOTELES, noſtris autem temporibus Cl. LINNAEVS et Cl. HANOVIVS obſeruarunt. Etenim in conſtituendis animantium claſſibus ad characteres externos eosque conſtantes attendendum eſt: idque hoc magis, quod aſſumtis internis characteribus vix certioris aliquid praeſtantiorisque nanciſcimur. Neque tamen

tamen propterea, quod non nullarum partium, uſum non perſpicimus, dicendum cum Cl. Auctore eſt: porcis varia membra inutiliter conceſſa eſſe, et naturam non ſemper propter fines a Deo propoſitos operari. Simile argumentum contra cauſas finales Cl. Auctor a nimia alantoidis magnitudine ſcrofae et equae repetit, quod ſuo loco relinquimus. Digito- p. 105.
rum in animantibus dantur ordines, quos phalangas appellamus. Sed in porcis phalangae habentur inutiles, quod non conſtituunt digitos ad uſum animalis adcommodatos; et in quadrupedibus biſulcis, oſſa reperiuntur adeo minuta, ut phalangas formare nequeant. Igitur in porcis natura vix aſſecuta eſt dimidium finem, quem e contrario in aliis vix demum incepit. Porcus, quantum reſpectu pinguedinis inter p. 109.
cutem carnemque interiacentis ab omnibus fere quadrupedibus recedit, tantum per eandem ad balaenarum claſſem beluarumque marinarum accedit, atque hoc ſingulare habet, quod dentes anteriores nunquam amittit. Equis, aſinis, bobus, ipſis etiam ouibus p. 110.
dentes inciſores ante pubertatem excidunt, mutantur, regenerantur; ſuis vero creſcunt per totam vitam. In anteriori parte maxillae inferioris porcus inſtructus eſt ſex dentibus inciſoribus, totidemque homogeneis, ſitis in maxilla ſuperiori; verum ſingulari naturae exemplo hi dentes maxillae ſuperioris ab illis inferioribus vehementer diſcrepant, nec inciſores ſunt, ſed longi, rotundi et in apice obtuſi. Sues ex omnibus pecudibus ſordidiſſimis moribus et impatientiſſimae voracitatis ſunt, ita, ut aliquando pabuli ſi indigeant, non tantum alienos foetus, ſed etiam ſuos mandant. Immo ſenſationes eorum quaſi ob- p. 112.
ſtupefactae ſunt. Verberibus enim propter craſſitiem cutis et ſetarum vix afficiuntur, et traditum iam a VARRONE eſt, ſorices in eorum corpore, exeſa carne, nidum feciſſe ibique peperiſſe mures. Haec naturalis ignauia morbo adhuc augetur, per quem

tactu

tactu et inde pendentibus ſenſationibus penitus fere priuatur, cuius quidem non tam in carne et cute, quam in ſolita animalis immunditie, ratio quaeri ſolet.

p. 113. Huic igitur malo qui occurrere vult, ut purget ſaepiusque verrat haram, opus eſt, et largiori ſanoque cibatu animal aegrotans ſuſtentet. Qui ſaginare ſues cupit, eos maxime ali ſciat hordeo, glande, faba, herbis culinariis, multaque aqua furfuribus impraegnata et animal quidem multum inde pinguedinis contrahit, carnem autem ingrati ſaporis. Conſultius itaque eſt, triginta diebus in ſtabulo tritico mero eoque arido ſaginari, potus dari admodum parum: quae res non modo adipem conſiſtentem efficit, ſed etiam carnis iucundum ſaporem. Porcus ferus ad 25 annos viuit. Verrem et ſcrofam, antequam admittuntur, octodecim menſium eſſe oportet, ut ſci-

p. 116. licet bimae pariant. Scrofa quaternis menſibus fert ventrem, binis nutricat et bis parit in anno. Verres, qui ad admiſſuram ſubmittitur, corporis ſit amplitudine eximia, et quadrati potius, quam longi, capite craſſo, roſtro breui et reſupino, auribus praegrandibus et propendentibus, oculis paruis et acri lumine radiantibus, collo longo, ventre promiſſo, cruribus amplis, ſetis denſis et atris. Albidi ſues nunquam tam fortes ſunt, quam atri. Foemina ſus corpore ſit longo, ventre lato, uberibus amplis et prominentibus. Haec quadrupeda acriter effodiunt lumbricos et radiculas non nullas, veluti rapiſtra, et id genus alia; haec ut eruant, in terra volutant: aper quidem, ut qui roſtrum habet longius fortiusque, recta linea et profundiores cuniculos agit, quam ſues, qui hinc et inde, neque tam profunde, terram effo-

p. 125. diunt. Sus agreſtis ſiue aper, porcus ſiamenſis et ſus noſter villaticus, tres ſpecies conſtituunt ſub uno genere comprehenſas. Coeunt enim et una cum altera progenerant porcellos foecundos et proliferos. Aper eſt primitiua ſpecies, e qua reliquae ortum ducunt

cunt, hominum induſtria manſuefactae. Cl. DAVBENTON ſetas animaduertit ex materia conſtare cartilaginea et cornea, quod ad cognoſcendas corneas animalium excreſcentias multum facit. Proboſcis porci cartilaginea eſt, in cuius medio os paruum, in extremitate externa nares deprehenduntur. Perimeter huius roſtri cartilaginei in apro magno digitos nouem efficiebat cum ſemiſſe. In dimenſione partium porci feri iuxta, ac domeſtici et Siamenſis, Cl. Auctor magnam quidem operam poſuit, nec prorſus inutilem. Opus tamen fuiſſet, ad facilitandam porcorum, quos dimetitur, comparationem, dum pondus et magnitudinem indicat, ut aetatem quoque cuiuslibet indicaſſet. Hac enim ignorata, nequicquam hae porcorum ſpecies ad ſe inuicem conferuntur. p. 128.

Poſt haec ſitus et conformatio partium internarum enumerantur, de quibus non opus eſt multa diſſerere; quippe eorum diſcrimina a ſe inuicem et ab inteſtinis aliorum quadrupedum nec facile in oculos incurrunt, nec lectoribus admodum iucunda ſunt. p. 137.

Simili modo oſſeae fabricae prolixam deſcriptionem ſuggerit, eiusque cum oſſibus ceterorum animantium ſupra deſcriptorum, utpote aſini, equi, immo ipſius hominis, comparationem. p. 160.

Inter ea, quae hunc in finem cimelio regio illata ibique repoſita ſunt, praeter varios porcinos foetus, praeter ſceleta apri et ſuis ſiamenſis, habetur etiam ventriculus porcelli adoſtendendum appendicem galeriformem, in curuatura ventriculi maiori conſpicuum. p. 179.

Sequitur, ut de cane loquamur, cuius deſcriptionem, poſt dictam huius animalis elegantem laudem Auctor accuratiſſimam tradit: quare et nos in enarrandis eius moribus et virtutibus, quantum fieri poteſt, ſolliciti erimus. Canis ut inter animalia domeſtica formoſiſſimum, ita utilitate ſua praeſtantiſſimum eſt, quae ideo praedicatur ab Auctore noſtro, quod remotis canibus in feras beſtias nullum homo dominium p. 185.

nium haberet. Docilitate ſua, obſequio et fide homini interdum, ceterisque animalibus, tantum non omnibus praeſtat. Et quem ad modum canis in quadrupedibus unum illud eſt, cuius conſtitutio, varias impreſſiones ſubiens, naturam nunc exuat, nunc induat aliam longe diuerſiſſimam, fieri aliter non po-
p. 193. tuit, quin eius ſpecies fere innumerabiles extiterint a ſpecie primigenia, ſiue a ſtirpe ſua, tam remote diſtantes, ut illam ex his ne ſagaciſſimus naturae ſcrutator colligere queat. Huius degenerationis cauſas ſi quaeris, clima, alimenta, vagam eorum venerem et ipſam, quam amant, cum hominibus conſuetudinem habes. Accedit, quod canis breui tempore, quoad viuit, magnopere ſpeciem ſuam multiplicat, et ab hominibus ad progenerandam diuerſam ſui ſpeciem, a protogenea ſtirpe recedentem, ſaepius adducitur. Quantum vero promiſcua venere a primo genere per domituram receſſerint canes, tantum accedere rurſus ad illud iudicandum eſt, ſi ſuo, unde orti videntur, ſtatui naturali, hoc eſt, feritati reddun-
p. 197. tur. In deſertis Americae ante hos fere ducentos annos, cum primum eſſet detecta, qui reperti ſunt canes, vertagis noſtris prope ſimiles fuerunt, roſtro nempe longo auribus rectis, pilo ruditer longo et hirſuto. Vertagorum origo proxime a villatico cane repetenda; ut adeo nullum ſit dubium omnes, quas habemus canum ſpecies, in cane domeſtico tandem confluere. Hoc ut rectius intelligatur, perpendendum primo eſt, canes zonae tam frigidae, quam torridae canis noſtri, quem cuſtodem vocamus, et faciem et reliquam corporis ſtaturam praeferre; ſe-
p. 202. cundo hunc ipſum canem cuſtodem ad officia homini, et quibus datus eſt defenſor, pecudibus praeſtanda, natura ſua ferri, omnibus reliquis canibus inſtinctu naturali antecellere, et ad fidem, vigilantiam, aſtutiam ſine ulla hominis induſtria adduci. Canis villaticus, canis Danicus maior et vertagus ab eadem ſtirpe

ſtirpe deſcendunt. Similiter a cane villatico orti ſunt p. 205.
canis cuſtos, canis lupus et canis ſibiricus; a vertago
canis ſagax, taxinus, aquaticus, canis auiarius terre-
ſtris, ipſe demum canis ſagax Bengalenſis, quippe qui
ſinguli terni unam claſſem conſtituunt, natura, mo-
ribus et inſtinctu inter ſe conuenientes. Anglia,
Francia et Germania patria videtur eſſe vertagi ſiue
canis venatici, ſagacis et taxini, ſub coelo calidiori,
utpote in Turcia et Perſia cum pelle naturam ipſam
mutantes. Canis auiarius terreſtris et canis aquati-
cus ex Hiſpania et Barbaria oriuntur, ſub aeſtuante
hoc climate, pilis longioribus mollioribusque, ut reli-
qua animalia ibi degentia, veſtiti. Negritae in Africa p. 209.
et barbari Canadenſes carne canina maxime delectan-
tur, eamque reliquis animantium carnibus praefe-
runt. Canes ibi non ad uſus domeſticos, neque ad
venationem uſurpantur, ſed venum expoſiti carius
veneunt, quam oues aut caprae. E feris beſtiis lu-
pi et vulpes canibus noſtris perſimiles ſunt; nihilo
tamen ſecius in prolem haud coeunt. Nullum enim
ſignum catulitii ediderunt, ſiue Auctor lupam cum
cane villatico per tres annos, ſiue vulpem marem
cum cane foemina ardente per aliquot menſes con-
iuncta haberet aleretque. Qui ad meridionales pla-
gas iter fecerunt, mentionem animalis iniiciunt fero-
cis et crudelis Chacal dicti, quod eſt ſine dubio no-
men lupo aureo, qui KAEMPFERO, *Iackhals*
appellatur. Memorant praeter ea hoc animal ex coi-
tu lupi cum cane prognatum, ARISTOTELIS qui-
dem auctoritate nixi, qui canes cum lupis et vulpibus
coire, et belluinos inde catulos procreari, ſcribit. Ca- p. 217.
num varietates Cl. BVFFON triginta numerat, reliquis
forte ne dum cognitis. Et in his ſeptendecim in-
fluxui climatis, tredecim reliquas commiſtioni unius
varietatis cum alia debemus. Ad priores pertinent:
canis cuſtos, canis lupus, Sibiricus, Islandicus,
Lapponicus, villaticus, vertagus, Danicus maior et
Hiber-


Hibernicus, venaticus, ſagax, taxinus cruribus rectis et varis, auiarius terreſtris, aquaticus, Danicus minor, Turcicus et moloſſus. Ad poſteriores referuntur omnes illi, qui ex commiſtione varietatum progeniti ſunt, de quibus paulo infra dicendi locus.

p. 220. Catuli plerumque oculis naſcuntur clauſis per cuticulam, poſt duodecim dies, cum ſatis virium acceperint, disrumpendam. Idem dicendum de tota corporis fabrica, quae ſtatim a natiuitate prorſus eſt imperfecta; corpus nempe totum tumidum, et roſtrum

p. 222. quaſi inflatum. Canes poſt coitum nouimus difficile ſeparari, quamuis eiectio ſeminis facta ſit: cuius rei cauſa haec eſt, tum quod penis interior ſtructura aliquam partem oſſea ſit, tum quod corpora cauernoſa erecto pene tumorem induunt, atque cum intumeſcente clitoride exitum peni hoc modo praecludunt.

p. 224. In canibus ſingulare eſt, quod aluum exonerantes ſemper vim pati videntur; quod non adeo mirum, cum inteſtina eorum ſucceſſu temporis ampliora fiant, ipſum vero inteſtinum rectum maiorem capacitatem habeat, quam colon. Ex commiſtione diuerſarum ſpecierum nouae canum ſpecies, eaeque miſtae, oriuntur, Gallis *métis*, Germanis *Blendlinge*, appellatae; nec hae ſimplices tantum ſunt, ſed compoſitae interdum ex duplici, triplici et quadruplici commiſtione.

p. 228. Huius commiſtionis varietates ſolertiſſime Auctor indagat, et in ſtemmate repraeſentat, cuius ideam ſequentem dabimus.



Haec Cl. BVFFONI cogitata ſuis tandem experimentis confirmat Doctiſſ. DAVBENTON. Oſtendit p. 234. nempe canes proboſcide longa a canibus feris, ſi qui haberentur, proxime diſtare, et characteres canum originarios omnium optime prae ſe ferre. Roſtrum optimum eſt et conſtantiſſimum criterium diſcernendi canum ſpecies; ſiquidem qualitas et magnitudo corporis mirum quantum variant, ut ex iis ſpecies primitiua cognoſci haud poſſit. Quo breuius roſtrum per varias generationes factum fuit, eo plus canis a forma illa canum primigenia degenerauit. Hinc Cl. DAVBENTON in enumeratione canum praecedere illos iubet, qui habent roſtrum longiſſimum; ab his progreditur ad illos, quibus minus longum eſt, illis, quibus breuiſſimum eſt, agmen tandem claudentibus. Canis villaticus, danicus maior et vertagus proboſcide gaudent longiſſima, breuiſſima moloſſus. Hinc villaticus cum moloſſo ſpecies canum quaſi extremas conſtituunt, inter quas diuerſae dantur mediae, ex commiſtione diuerſarum ſpecierum coortae. Poſt haec Vir Cl. ad conſideratio- p. 238. nem canum accedit, in hoc a BVFFONO diuerſus, ut ſecundum longitudinem roſtri ſeu proboſcidis canes

diſpeſcat, quos ille pro influxu climatis in ordines redegerat. Sequuntur canes pro longitudine roſtri hac ſerie: canis villaticus capite longo, fronte plana, auribus paruis maximamque partem rigidis; canis danicus maior villaticum robore ſuperans; vertagi villaticis ſunt graciliores infirmioresque, pilis veſtiti breuioribus plerumque fuluis; canes cuſtodes ſeu paſtorii villaticis, excepta corporis mole, ſimiles ſunt, roſtro infirmo, cauda haud incuruata, ſed in directum fere propendente; canis lupus ſiue lyciſca, lupo ſimillimus, auribus nempe arrectis, immo acuminatis, et per totum corpus bene comatus, a quo diuerſus eſt ſibiricus, in capite pilis breuibus ſtipatus; islandicum ipſe non vidit Auctor, ſed imaginem eius repraeſen-
p. 244. tat ab Ill. MAVPERTVIS ſuppeditatam; venaticorum roſtrum longum eſt et fortius roſtro canum villaticorum, caput firmum et rotundum, aures amplae et propendentes, crura longa et carnoſa, corpus validum et bene protentum, cauda ſurſum et antrorſum incuruata, pili ubique breues: in gallia optimi iudicantur, qui ſunt naribus apertis, oculis micantibus et vegetis, auribus praegrandibus mollibusque, collo longo et tortuoſo, coſtis et cruribus fortioribus, pectore parum amplo, ventre gracili, cauda tenui
p. 245. maximeque mobili et in apice calua; canes ſagaces a venaticis hoc differunt, quod roſtro ſunt breuiori, neque tam acute in apicem deſinente, capite autem fortiori breuiorique, auribus minus amplis, iisque ex parte rigidis et propendentibus; taxinus pedes habet pro conformatione corporis breuiſſimos, interdum varos ſiue vatios per rachitidem; aquaticorum canum corpus eſt craſſum et breue, pili praelongi et criſpi totum corpus quaſi pellitum ſiſtentes, caput rotundum, aures longi et valde penſiles; auiariorum duplex genus eſt, hiſpanicum pilis utcunque breuibus: anglicum nigrum illud et pilis longioribus donatum; canis danicus minor a maiori et magnitudine corpo-

ris

ris et colore diſtinguitur; ab his deſcendit canis turcicus pilis plane deſtitutus, neque alii climati, quam calido, aſſueſcens; moloſſi agnoſcuntur roſtro, quo gaudent, breui et obtuſo, naribus recuruis, labris ſurſum reſimis, et ſubtus valde pendulis. Hos demum excipiunt ſpecies canum miſtae, quas tam diu ſubſiſtere et perdurare oportet, quam diu habentur ſpecies illae primariae, unde prognatae ſunt miſtae. Huc pertinent: aquaticus minor ex commiſtione aquatici maioris cum auiario terreſtri; catulus bononienſis, ab aquatico minori et auiario terreſtri procreatus, appellatur alias melitenſis, quod prima eius ſpecies ex inſula Melita ad nos fuit delata; catulus leo eiusdem fere cum bononienſi originis, pilis et iuba paruulum leonem mentiens. Valde rarus auctori dicitur, quippe qui neque hunc canem, neque bononienſem viuum deprehendit, ſed ad pictum eius exemplar in regio muſaeo aſſeruatum delineari iuſſit. In noſtris tamen regionibus utraque catulorum ſpecies adeo rara non eſt; immo hic loci, ubi degimus, canes bononienſes aliosque auctoris catulo leoni ſimillimos in medium producere poſſumus. Porro ad ſpecies miſtas referuntur canis maximus anglicus, minores noſtri moloſſi (*Mopſe*), canes Arteſienſes, Alicantici, Calabrici cet. quorum nomina et characteres exponere longum eſſet: praeſertim cum nullum ſit dubium, quin plures adhuc dentur canum ſpecies nobis ignotae, aut, quod nimis notae ſunt, non obſeruatae. Quando una tantum habetur animalium ſpecies, character phyſiognomiae in indiuiduis omnium minime variat; ſed quo plures ſunt ſpecies inferiores ſub aliqua ſuperiori comprehenſae, eo maior etiam varietas phyſiognomiae et conformationis externae. In canibus varietas ſpecierum ex proboſcide cognoſcitur, quae quanto eſt longior, tanto canis eſt manſuetior et docilior; et vice verſa, quo eſt breuior eo maiorem indicat quadrupedis feritatem furoremque.

p. 250.

p. 251.

p. 256.

remque. Sunt, qui ſub cane integrum genus quadrupedum comprehendunt, lupos nempe, vulpes, taxos, zibethas, lutras aliasque ſpecies bene multas; ſed hi ſunt, qui de ſententia Auctoris in diſponendis quadrupedibus characteres maxime inconſtantes ſecuti, inſignem diſcordiam ſyſtemati ſuo ingeſſerunt, et a via naturali receſſerunt, quam Auctor hanc praetendit eſſe, ut tum partes externae, tum internae ad deſcriptionem animalis in ſubſidium adhibeantur. Quam ob cauſam internas partes curioſe et prolixe
p. 265. deſcribit. Inteſtinum coecum ſingularem plane figuram in canibus habet, minime in directum iacens, uti in equis aſinisque, minime incuruatum, uti in bobus et hircis; ſed dupliciter replicatum et fere nodi inſtar colligatum. Vidit Cl. Auctor duas veſiculas ouiformes prope anum collocatas, liquore pellucido repletas et orificio aperto in anum exeuntes. Papil-
p. 269. las canum LINNAEVS decem numerat; Cl. DAVBENTON raro decem, ſaepius octo, interdum ſe-
p. 271. ptem tantum deprehendit. Penis canum a pene reliquorum animalium, in antecedentibus tomis deſcriptorum, diſcrepat, quod intus includit os, ab extremitate glandis ad quatuor pollices retrorſum procurrens, et ſubſtantiam corporibus cauernoſis ſimilem, ab iis autem ſeparatam, et iuxta radicem praeputii intumeſcentem. Veſiculis ſeminalibus prorſus deſtituitur canis, earum in locum proſtatis ad modum magnis ſuffectis.
p. 279. Oſſibus canum deſcribendis, exponendaeque fabricae oſſeae omnem ſuam Auctor attentionem dedit, quae vero ſpatii rationem habituri ſicco pede praeterimus.

IV.

V.

IANI PLANCI Ariminenſis de urina cum ſedimento coeruleo, ad Amicum Bononienſem Epiſtola. Arimino a. d. VIII. Kal. Martias anno clɔlɔccLVI. 12. pag. 10.

Vir ſexagenarius, *Dominicus Paulluccius*, thermopolii tabernae praefectus, Arimino a duobus annis dyſuria laborauerat, ſed diluentium et demulcentium ex melonum ſeminibus et arabico gummi uſu inde liberatus. Elapſo autem vere, animi perturbationibus valde conflictans, in alium incidit morbum; febris ex pulſu et calore magna non erat, inſignis contra linguae et faucium ariditas, neque tamen ſitis; appetitus proſtratus; multa in ſomnum procliuitas; tertio die reddidit urinam cum ſedimento coloris coerulei, cyaneum veterum ſeu coeruleum Berolinenſe aemulantis, per alios dies tres in urina ſedimentum apparuit ſubuiride magis viſum, cum graueolentia ſpiritus ſalis ammoniaci; ultimos tres dies urina guttatim tantum reddita colligi non potuit, lintea tamen inquinans colore coeruleo; aeger vero inedia ſeu voluntaria cibi, potus et omnium medicamentorum abſtinentia tandem diem ſuum obiit. In diſſecto cadauere exterius apparuere dorſum p. 4. liuidum, in facie autem puſtulae variae, ad inſtar guttae roſaceae; interiora viſcera plura in naturali ſtatu fuerunt; ventriculus, inteſtina, pulmo nigris gangraenae notata maculis; renes flaccidi, ſed ſani, neque urinae neque arenae coloratae in ſe continebant aliquam copiam; veſica autem urinaria erat valde craſſa, plicis variis herniisque a Cl. MORGAGNO deſcriptis * inſtructa, urinam aquoſam ſine ſedimento ullo continens; uretheres multum dilatati et inflati

* Aduerſaria anatomica. Aduerſ. III. Animaduerſ. 36. p. 74.

ti erant, exſiccati, valuula ſemilunari in primo eorum
p. 6. in veſicam ingreſſu muniti viſi. Aliam ſimilis mictus coerulei hiſtoriam addit Cl. PLANCVS ex relatione alius mulieris, quae ipſi narrauit, olim hyſterico malo ex menſium paucitate laborantem aluique obſtructione, poſt multam purgationem ab adſumta pilula valde purgante, de Nouellaria a Loiolitis illam diſpenſantibus dicta, reddidiſſe per aliquot dies urinam cum ſimili ſedimento coeruleo, ſed ceſſaſſe inde prorſus hunc coloratum mictum. Res omnino mira, neque inde umquam viſa, neque ab ullo deſcripta medico, praeter unicum ACTVARIVM, qui urinam venetam memorat inter ſigna lethalia, eam vero a pharmaco malam non pronuncians, narransque caſum ſerui ſui, qui ab adſumta, ex trochiſco amaro et oxymelle et aqua facta, potione, minxit primo uri-
p. 9. nam nigram, deinde coeruleam. Iam vero circa cauſſam miri adeo phaenomeni explicandam occupatus Noſter ſuſpicatur modo natam forte urinam illam venetam ex amarore colocynthidis et ſalibus ſuis vellicantibus, tam in ACTVARII ſeruo, quam illa muliere: quamuis enim ACTVARIVS non expoſuerit trochiſci iſtius amari partes conſtitutiuas, neque pilularum de Nouellaria conſtet praeparatio, utriuſque tamen pharmaci baſin putat Noſter forte fuiſſe colocynthidem: ſiquidem trochiſcus ille videtur fuiſſe vulgaris trochiſcus de Alhandal, arabico nomine ita dictus ob admixtam colocynthidem; pilulae vero dictae valde amarae et purgantes ſimilem ipſis eſſe oſtendunt naturam atque indolem. Atque has etiam pilulas fortaſſe aeger ille ſenex, ſuaſu amici alicuius, neſcio medico, adſumſit, atque inde expertus poſt hypercatharſin magnam illam linguae et faucium aridita-tem, magisque animo perturbatus maluit perire inedia, quam reuelare commiſſum vitium medico. Haec ſuſpicatur Noſter de cauſſa miri iſtius ſedimenti urinae coerulei, nam, quod notari adhuc meretur,

urina

urina numquam tincta fuit, sed solum illud sedimentum: Hinc solutionem aenei vasis, in quo collecta fuit urina, ab alkali volatili urinoso vix assumi posse arbitramur. Quo modo igitur natura vel medicamentorum vis colorem eius modi producere possit, nouis obseruationibus et experimentis diligenter adhuc inquirendum esse Cl. Auctor lubens profitetur.

VI.

The Civil and natural history of Jamaica. In three Parts. Containing 1) an accurate Description of that Island, its Situation and Soil; with a brief account of its former and present State, Government, Revenues, Produce, and Trade. 2) A History of the natural Productions, including the various Sorts of native Fossils; perfect and imperfect Vegetables; Quadrupedes, Birds, Fishes, Reptiles and Insects; with their Properties and Uses in Mechanics, Diet, and Physic. 3) An Account of the Nature of Climates in general, and their different Effects upon the human Body; with a Detail of the Diseases arising from this Source, particularly within the Tropics. In three Dissertations. The whole illustrated with fifty Copper-Plates: in which the most curious Productions are represented of the natural Size, and delineated immediately from the Objects. By PATRICK BROWNE, M. D. Printed for the Author, sold by *T. Osborne* and *I. Shipton.* London. 1756. Fol. 5 alph. 13 pl. tab. aen. 50.

i. e.

Hiſtoria naturalis atque ciuilis Iamaicae, tribus partibus conſtans continet: 1) Accuratam huius inſulae deſcriptionem, quoad eius ſitum et ſolum, nec non breuem relationem de priſtino et praeſenti ſtatu, imperio, reditubus, et commercio; 2) Hiſtoriam naturalium productionum, ſimul cum variis foſſilium generibus, vegetabilibus perfectis et imperfectis, quadrupedibus, auibus, piſcibus, reptilibus atque inſectis, cum eorum proprietatibus, uſu mechanico, diaeta et medicina; 3) Diſquiſitionem de natura climatis in genere eiusque in corpus humanum effectu, cum deſcriptione morborum ex hoc fonte prouenientium, praecipue inter tropicas regiones. Auctore Cl. PATRICK BROWNE. M. D.

Amplus admodum huius operis titulus, quid in eo quaeri debeat, luculenter indicat, ex quibus rebus aliquae ad nos ſpectant, aliae a noſtro alienae ſcopo commode poſſunt ſilentio praetermitti; praecipue quod Cl. etiam Auctor, in iis, quae ad nos ſpectant, pro ſuorum ſtudiorum ratione longe fuſius fuerit verſatus. Nihil autem reliquit ille, quod ad hiſtoriae naturalis conferre quidquam poſſet cognitionem, quod ex eo iam apparet, quod Cl. SLOANE in omni per has regiones et finitimas itinere octo centum plantas, Noſter in ſola Iamaica plus quam mille et ducentas legerit, recentiſſimorumque hiſtoriae naturalis ſcriptorum diſquiſitionem inſtituerit et cum ſuis contulerit obſeruationibus. In foſſilium tamen enarratione nouam aliquam ſibique meliorem viſam methodum ſecutus eſt, in vegetabilium autem

et

et animalium recenſione ſyſtemati inhaeſit Cl. LINNAEI. De ſingulis poſt modum dicemus, et, in quantum noua vel emendatiora propoſuerit Cl. BROWNE, videbimus. Tertia tandem pars climatis naturam et inde pendentium aliorumque morborum geneſes referre debebat, prout ipſius libri inſcriptio ſimul docet: aſt ita quidem praeter opinionem opus auctum extitit, ut alii hanc partem occaſioni reſeruare cogeretur Cl. Editor, qui nunc ſecum conſtituit, hancce morborum hiſtoriam peculiari libello, forma octaua excudendo publici facere iuris. Quinquaginta tandem tabulae aeneae, manu periti artificis et botanici *Ehreti* depictae, nitideque ſculptae, quibus accedit mappa geographica inſulae Iamaicenſis duplex emendatior, ſingularem conciliant operi ſplendorem, in primis, quod et illae, quae in plantis vel animalibus diſtinctioni adhibentur, notae, ſtudioſe fuerint adnotatae atque expreſſae.

Prima pars itaque, quae ciuilem tractat hiſtoriam, in duo iterum abit capita, quorum alterum ſtatum Iamaicae antiquum, alterum vero praeſentem delineat. Detecta fuit haec inſula a *Chriſtophoro Columbo* anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto, a quo tempore varia illa ſubiit fata atque mutationes, quae breuiter recenſentur. Interim ſenſim p. 1. ſenſimque ad eius modi euecta eſt culmen, ut nunc p. 9. ditiſſimam et praecipuam Britanniae coloniam ſiſtat, quod redituum aeque ac opum, quae exportantur aduehunturque ratione comprobat Cl. Auctor. In plures ea propter diuiſa eſt prouincias; quae circiter quadragies centena millia agrorum continent, et montes maiores, extantes, colliculos atque terrae planae ſtrata. Montes arboribus, colliculi fruticibus exornantur, quibus ſolum naturale humidum ſeruatur, quod in montibus argillaceum atque ſabuloſum exiſtit, in colliculis plus terrae habet. In planiori

terra

terra eae, quae ad montes propius ſitae ſunt regiones, colendae cannae ſaccharifera admodum aptae inueniuntur, remotiores, quamuis ſicciores et magis argillaceae, vaporibus tamen maris, deficiente pluuia irrorantur, ut ſecale Guineenſe aliaeque plantae commode ibidem colantur. Magna tamen eius
p. 22. pars adhuc inculta iacet. Pauca addere liceat de incolis, eorum viuendi modo, et curioſis inſulae per naturam exſtructis operibus, atque memoratu dignis phaenomenis. Incolarum varia genera ſunt, Europaei aduenae et nigritae mercaturae plantationique potiſſimum dediti, quorum poſteriores ſerui ſunt. Omnes ingenuos eſſe homines dicit, honeſtos et ad exequenda ſua officia promtiſſimos, maximamque partem, cultiſſimarum gentium ad inſtar, ad hominum conuerſationem natos. Nigritarum numerus ad centum et viginti millia accedit. Vitae ratio pro eorum ſorte variat, victus diuitum lautus et opiparus eſt, pauperum e contra miſerior, qui crudo utuntur
p. 26. victu et in tabernis habitant male exſtructis. Hinc mirum non eſt multos iisdem excruciari morbis, mirum autem, plurimos eorum non inueniri diriores, praecipue, quod medicae cognitionis ſumma eorum eſt ignorantia. Illi tamen, qui medicinam faciunt, haud raro vomitoriis et veſicatoriis ita utuntur in malignis febribus, ut mors promoueatur, nec non in inflammationibus a vermibus adhibent corticem, qui venenum eſt. *Et inde*, inquit Cl. Auctor, *tantorum hominum fata.* Ad naturae curioſa opera refert porro Noſter et deſcribit cataractam fluuii Mamée, cauernam ſubterraneam, prout Baumannianae celebres, ſtalactitae columnis plenam. Deinde loquitur de nebula, quae in valle auſtrali quodam quotidie obſeruatur, qui ad radices montium late expanditur, et ab altera parte collibus intercipitur. Surgit eadem appropinquante nocte et ſole demum atmoſphaeram exaeſtuante diſcutitur, collecta in duplicem

plicem quaſi riuum, occaſum et ſeptentrionem verſus directum, ex monte, ſi in vallem reſpicias, videtur mare repraeſentare. Fertilitatem autem illa huic terrae conciliat.

Sequitur *altera* libri *pars* in cuius praefamine de neceſſitate ſtudii hiſtoriae naturalis eiusque utilitate atque incremento, quod recentioribus illi acceſſit temporibus, diſpicit Cl. Auctor, et perueſtigatis aliorum ſcriptorum methodis, eam ſibi placuiſſe ſcribit, quae a ſimplicibus ad compoſita magis procedit corpora, iuxta ſe ponendo ea, quae maximam habent conuenientiam. Quare prima, *de foſſilibus* agens, pars in duo iterum ſecedit capita, alterum, quod methodum in genere, et alterum, quod ſpeciatim corporum foſſilium deſcriptiones tradit. En generalem mineralium methodum: p. 31.

I. Aquae variae. p. 35.

Aqua: *a.* Simpliciſſima, pluuialis et niualis.
b. Particulis terreis impraegnata.
c. Salina varia.
d. Sulphurata.
e. Metallica varia.

II. Salia natiua varia et acidum primarium.

Sal: 1. volatile acidum primarium.
2. muriaticum.
3. nitratum.
4. aluminoſum.
5. natratum.
6. catharcticum.
7. borax.
8. amoniacum.
9. fugax thermarum ſiue halcriptium.
10. vitriolicum varium.

III. Sul-

III. Sulphurata ſiue phlogiſta naturalia.

1. Naphtha.
2. Piſſaſphaltum.
3. Succinum.
4. Sulphur.
5. Ambra.
6. Asphaltum.
7. Lithantrax.
8. Auripigmentum.
9. Zarnicum.

IV. Terra metallica et minerae variae.

1. Pyrites.
2. Marcaſites.
3. Cobaltum.
4. Stibium.
5. Bismuthum.
6. Zincum.
7. Ferrum.
8. Cuprum.
9. Stannum.
10. Plumbum.
11. Argentum.
12. Hydrargyrum.
13. Platina.
14. Aurum.

V. Terra et terrea.

Terra 1. ſimplex.
2. ſchiſtica.
3. humoſa.
4. fimoſa.
5. mixta.

Compoſita ſimpliciora terrea.

1. Talcum.
2. Gypſum.

Produ-

Productiones terreae magis compoſitae.

1. Mica.
2. Asbeſtus.
3. Amiantus.
4. Tricherium.
5. Schiſtus.

VI. Argilla et argillacea.

Argilla 1. ſimplex.
2. teſſulata.
3. ſubpinguis fiſſilis.
4. mixta.

Compoſita ſimpliciora argillacea.

1. Cryſtallus.
2. Adamas.
3. Topazius.
4. Quartzum.

Productiones argillaceae magis compoſitae.

1. Achates.
2. Silex.
3. Scrupus.
4. Porphyrium.
5. Lydium.
6. Cos.

VII. Marga et margacea.

Marga 1. ſimplex.
2. conchacea.
3. tophacea.
4. mixta.

Compoſita ſimpliciora margacea

1. Spatum.

Productiones margaceae magis compoſitae.

1. Stalactites.
2. Marmor.
3. Calcitarium.
4. Simplexia.

VIII.

VIII. Varia praemiſſis non rite ſubiicienda.

1. Pumex.
2. Tophus.
3. Callimus.
4. Argillaria.
5. Sabulum.
6. Arena.

In quantum autem recenſita haec methodus cum Cl. Auctoris opinione conueniat, ipſi iam iudicent lectores: niſi enim nos omnia fallunt, diuiſionis fundamenta talia adſumta inuenire nobis non licet, quae in uniuerſum corporum naturam ſufficienter diſtin-
p. 36. guant. Si enim terra metallica terra ſit, incongrua erit diuiſio aquarum in eas, quae terreis particulis abundant, et in metallicas, et qua ratione diſcernet aliquis inter ſalinas aquas, marinam et catharcticam, quum utraque effectum, aluum ſcilicet mouendi,
p. 47. eundem producat. Argillas porro varias ſubire mutationes adſerit Cl. Auctor, quas ex viſcida denſaque ſua natura cognoſcimus, in aqua non diſſoluuntur, igne dureſcunt, et tandem vitreſcunt, cum chalybe percuſſa ſcintillas ſpargunt, politamque ſuperficiem recipiunt, neque tamen acidis ſoluuntur, neque minore ignis gradu. His itaque gemmas ſic dictas, cryſtallosque Noſter adiungit, quae tranſparentes, durae et figuratae ſunt, ſub adamantis genus refert rubinum atque ſapphirum, diſtinguit hyacinthum, ſmaragdum, beryllum cet. et *topazium* hos nominat; quod ignem adeo magnum non ferunt ac priores. Praeter id autem, quod cryſtallina earum natura ab argilla eas iam differentes efficiat; ignis gradum, qui accurate etiam adnotatus non eſt, in ſingulis varium, ex chemicorum obſeruationibus, diſtinctionem hanc ſolam conſtantem non efficere poſſe patet, quid quod color etiam variet. e. g. amethyſtus non omnis purpureus eſt, datur violaceus, ſubflauus et rubello colore coruſcans. Interim magnam adhibuiſſe induſtriam

ſtriam in deſcribendis foſſilibus Iamaicae non diffitemur, quippe quum recentiorum etiam inuenta ſibi reddiderit cognita, obiter tamen notamus, in latinorum potiſſimum vocabulorum ſcriptione varios irrepſiſſe errores.

Longe copioſior vegetabilium prouentus eſt, in quorum deſcriptione multa nobiscum communicata videmus, noua, varia etiam ſpecimina iconibus nitidis illuſtrata. Linnaeanam quidem methodum; quantum fieri potuit, retinuit Cl. Auctor, differt tamen ab eo in imperfectarum plantarum diſpoſitione, quas reliquis praemiſit, ea potiſſimum inductus ratione, quod illae ad mineralia ipſi viſa ſunt corpora propius accedere. In earum vero diſpoſitione variam elegit viam, alibi ſequutus eſt Cl. HILLIVM, alibi Cl. MICHELIVM, non nunquam propriam fecit diſpoſitionem. Nouos generum characteres addidit, in nouis vel non diſtincte ſatis ab aliis propoſitis plantis, iisque omnibus optimorum Auctorum ſynonyma, nec non ſpecierum tandem recenſioni uſum et culturae rationem ſubiecit. p. 67.

Ordo itaque *primus* eas complectitur, quae obſcurum et imperfectum florem gerunt et in quatuor iterum claſſes diſpeſcitur. *Prima claſſis* exponit de plantis ſubmarinis, quarum aliae herhaceae ſunt indolis, aliae firmioris atque fibroſae. Ad priores pertinent *Alga* et *fucus*. Algae una ſpecies occurrit, quae eſt *Zoſtera* LINNAEI, fuci autem plures dantur, quarum ſingularum ſynonyma noua exhibentur. Sic v. c. *Fucus caule tereti ramoſo, foliis linearibus integerrimis, fructificationibus globoſis pedunculatis,* LINN. *Spec. n.* 12. nunc vocatur, *Fucus caule tereti ramoſo, foliis linearibus, capſulis foliatis*, et ſic porro. Poſteriorem ſectionem conſtituunt Acetabulum Spongia, Keratophyton, quod ultimum ex radice et interno cauo, tunicata ſtructura et ramorum progreſſu p. 71.

pro

pro vegetabili vero habendum eſſe iudicat Noſter.

p. 76. *Secunda claſſis* fungis deſtinata eſt, quos in horizontales, petiolatos et non petiolatos erectos diuidit, prorſus, ut HILLIVS fecit. Nouum tamen hic genus aliquod occurrit, *Pocillaria*, quae ſola figura a *Lepiota* HILLII differt, cyathum enim vini refert, id eſt, obuerſe conica eſt, hinc dicitur a Cl. Auctore: *lanuginoſa ſuperne caua, obuerſe conica, externe lamel-*

p. 79. *lata.* *Tertia claſſis* muſcos exhibens, nomina gene-

p. 86. rum Hilliana retinuit. *Quarta* vero filices recenſet in ſectionibus duodecim, in quibus nempe omnes epiphylloſpermae dictae plantae continentur, conuenienti diſtinctione cum ea, quae a LINNAEO pro-

p. 109. poſita eſt. *Quinta claſſis* viſibiles flores in communi receptaculo occluſos, habet, v. c. in *ficu*; eſt tamen aliud genus, quod denſe congeſtos in oblongis pedunculis habet flores, qui membranaceo operiuntur inuolucro, deciduo in procedente incremento. Appellat Cl. Auctor illud *Coilotapalum*, unicam recenſens ſpeciem, *ramis excauatis, foliis amplis peltatis atque lobatis.* En eius characterem botanicum: Perianthium commune: *Spatha conica baſi decidua*, Receptaculum: *Spadix quadri-vel pluri-brachiatus, brachiis ſimplicibus oblongis, cylindraceis, acinis minoribus numeroſis refertis, quae aetate creſcunt et abeunt in totidem baccas acinoſas dulces.* Partes propriae generationis ſic videntur. Perianthium: *ſingulo brachio ſpadicis inſident caliculi numeroſi, carnoſi, minimi, germina totidem inuoluentes.* Corolla: *corollula minima infundibuliformis, limbo ampliato, antheris numeroſis minutiſſimis referto.* Piſtillum: *Germen ouatum, caliculo incluſum etc.* Receptaculum commune: *Brachium fibroſum ſpadicis, acinis baccatis refertum.*

p. 113. Ab his *Ordine ſecundo* perfectiorum plantarum incipit deſcriptio, quae diſtinctos flores habent fructusque. In harum declaratione ubique recepit Cl. Auctor methodum ſexualem, ne itaque cognita iam

ſatis

ſatis repetere cogamur, ex his nouas tantum plantas deſcriptas vel ſingulares de iis additas obſeruationes aliquas adducere liceat. *Amomi* characterem uberius declarat hoc modo. Perianthium: *monophyllum breue, tubulatum, germini inſidens, ad limbum in tria ſegmenta obtuſe ſectum.* Corolla: *monopetala, tubulata calice duplo longior, fauce parum ampliata, ore in tria ſegmina aequalia obtuſe ſecto.* Nectarium et ſtamina: *E fauce tubi emergit* nectarium *ouatum latius, et e parte huic oppoſita* ſtamen *unicum breuiſſimum, anthera oblonga biloba et longitudinaliter canaliculata ornatum.* Piſtillum: *germen ouatum, obtuſum, ſtylus ſimplex: ſtigma obtuſum, quod cum parte ſuperiori ſtyli in ſinu antherae reconditur.* Pericarpium: *capſula ſubrotunda, obtuſe trigona, trilocularis, trivalvis, ſingulis loculamentis binis vel quatuor ſeminibus refertis.* Inter diandrias nouum genus eſt *Cladium*, cu- p. 114.
ius unica ſpecies adducitur, *culmo nodoſo, floribus quaſi umbellatis, umbellis gradatim aſſurgentibus.* Vaginantia folia ex alis dimittunt radiatum, umbellae in modum pedunculum, floris haec eſt ratio. Perianthium: *gluma quinqueualuis uniflora, valuis imbricatis, exterioribus breuioribus, ſuperioribus maioribus florem inuoluentibus.* Corolla: *Gluma uniualuis, genitalia ſtricte inuoluens.* Nectarium: *Setae geminae inermes e dorſo corollae verſus baſin enatae.* Stamina: *filamenta duo breuiſſima, antheris oblongis ſulcatis, margine laterali floris utrinque obuolutis et ad latera ſtyli poſitis.* Piſtillum: *Germen oblongo-ouatum, ſtylus ſimplex longitudine calicis, ſtigmata tria tenuia cirrata deflexa.* Pericarpium: *nullum*, ſemen *unicum oblongo-ouatum.* *Diantherae* genus ſpeciebus quibusdam au- p. 118.
ctum eſt, eiusque character accuratius exhibetur, eam tamen ſpeciem, quam vocat Cl. Auctor, *diantheram foliis oblongo-ouatis cum acumine ſpicis florum geminatis*, huc referri poſſe dubitamus, quod perianthium eius non ſolum duplex eſt, ſed ſemen etiam

nudum, in calyce contentum, et duo adhuc rudimenta ſtaminum in floris fundo latent. *Iuſticiae* noua ſpecies deſcribitur, quam cum nulla, a Cl. LINNAEO adducta, conuenire videmus, nominat eam atque delineat Cl. Auctor, *herbaceam aſſurgentem, ad alas alternas nodos et ſummitates floridam: foliis paucioribus ouatis, petiolis longis inſidentibus.* Eſt Perianthium: *triplex*, exterius *paruum bipartitum, laciniis anguſtis, erectis, acutis:* medium *quinquephyllum minus:* interius *minimum, monophyllum, quinquepartitum, laciniis erectis acutis.* Corolla *monopetala, nutans, tubulata, ringens et lateraliter compreſſa: tubus ad baſin anguſtus, ultra ampliatus falcatus: limbus in duas lacinias profunde ſectas ſuperiori indiuiſa maiori recta: inferiori anguſtiori integra et leniter reflexa.* Stamina: *filamenta duo inferne tubo adnata, ſuperne libera, ſub labium ſuperius porrecta, et longitudine floris, antherae ouatae.* Piſtillum: *germen oblongum, ſtylus ſimplex, longitudine et poſitione ſtaminum, ſtigma ſimplex.* Pericarpium *capſula compreſſa obuerſe cordata, bilocularis, biualuis.* Semina *orbiculata, compreſ-*
p. 119. *ſa, ſolitaria. Zinziber*, quod in Iamaica colitur, frequentiorem obtulit Noſtro eius florem diſquirendi occaſionem, hinc alium characterem expoſuit et inter diandrias plantas retulit, atque ſic ab *Amomo* Cl. LINNAEI diſtinxit, nigrum autem et album ad unam plantam pertinere dicit, differentiam a tractandi modo dependere. Eſt autem haec deſcriptio floris. Perianthium: Spatha *duplex uniflora*, exterior *membranacea, conica, florem laxe cingens*, interior, *membranacea, tenuior et minor, tubo floris adnata, et limbum cum genitalibus ſtricte inuoluens, in conum acuminatum leniterque compreſſum producta.* Corolla: *monopetala, inferne anguſta tubulata, germini inſidens: limbus tripartitus, laciniis oblongo-ouatis medio maiori: e ſinu huic oppoſito emergit* nectarium, *craſſum oblongo-ouatum, in acumen ſinuatum deſinens.* Stamina:

mina: *filamenta duo, tubo floris adnata: antherae craſſae nectario adnatae: rudimenta vero totidem ſuperne libera per longitudinem tubi porrecta, nullisque antheris adnata, laciniae maiori floris ſuppoſita ſunt.* Piſtillum: *germen ſubrotundum, flori ſuppoſitum: ſtylus rectus ſimplex, longitudine floris et inter antheras porrectus: ſtigma craſſius tubulatum et ciliatum.* Pericarpium: *capſula ſubrotunda unilocularis, obtuſe triloba, tribus lineis longitudinalibus interne notata. Semina plura, plerumque abortientia.* Mirabamur autem *Boerhaauiam* inter triandrias occurrere, quae monandria penes nos eſt, ſed in loco natali ſemper eam ſe ſic inueniſſe aſſerit Noſter, Noua eſt *Comocladia*, a p. 124. SLOANE ad prunum relata. Sed, ne lectori noſtro taedioſa fiat ampla recenſio, quum permultas hic plantas nouas deſcriptas videamus, et ex adductis iam exemplis ſtudioſa eluceſcat Cl. Auctoris perueſtigatio, breuibus tandem in ſubſequentibus exemplis, definitiones exhibebimus, quod Cl. Auctoris liber omnium ad manus, qui botanicen amant, non deuenire poſſit. Eſt itaque Comocladia inſtructa, *calyce monophyllo, corolla monopetala, tripartita, triandria monogynia, ſtylo nullo, fructu, bacca oblonga, nuce unica foeta.* In *tamarindo* floris ſtamina compreſſa et ad mediam fere partem connexa deprehenſa ſunt. *Commelinae* corollam monopetalam facit Noſter, nectaria quoque illa, cruciatim inciſa, ſimul ad ſtamina refert. In *ſcirpo*, quem vocat *triquetrum, nudum, ſpica ſtricta oblonga, terminali*, praeter receptaculum oblongum, ſquamis obſitum, adnotantur etiam nectaria, quae ſint *filamenta quinque vel ſex ſtilo breuiora, rugoſa, erecta, attenuata, infra baſin germinis enata.* Quum etiam magna ſacchari cultura ſit in hac inſula, qua ratione et canna tractanda et ſpiritus *rum* inde parari debeat, fuſe explicat Noſter, ſimul plantarum graminearum claſſes recenſet, aliquas tamen, quas ad vera genera reduere nondum p. 125.

p. 140. poterat, ſub graminum nomine exponit. *Knoxiae* duae ſpecies adducuntur, quarum altera *ſcandens foliis cordato-ouatis venoſis, pedunculis multipartitis, alaribus* nominatur et icone addita illuſtratur: in ea tamen corolla campanulata magis eſt, amplior ad ſu-
p. 142. periorem partem, quatuor laciniis inſtructa. *Catesbaeae* character ab illo LINNAEI quodam modo differt, perianthium nempe pentaphyllum vel monophyllum, corollam quinque partitam, ſtamina inaequalis magnitudinis, ſtigma vaginatum ipſi adiudicat, *Pavettae* ſtigmata duo, haec etiam delineatur. *Lygiſtum* nouum genus eſt, icone expreſſam ſiſtens plantam, corolla monopetala, infundibuliformi, quadripartita, tetrandriam, monogyniam, fructu bacca quadriloculari. *Randia* varietatem quandam offert, Ill. LINNAEVS pentandriam facit, Noſter in loco natali tetrandriam inuenit, ubi per artificium culta fuerat, ut in icone expreſſit Cl. EHRET, hexandria ſiſtitur, un-
p. 143. de tanta varietas? *Peteſia*, itidem delineata, nouum genus ſiſtit, cum priori, filamentis ex inferiori corolla prouenientibus et bacca biloculari differt, duo-
p. 144. bus nucleis foeta. Pertinent forte huc etiam *Coccocipſilum* tetranthera et monogynia planta, baccam habens ſphaericam, bilocularem in calyce contentam, et *Sicelium*, calyce magis et corolla campanulata in-
p. 145. ſtructum. Prior ex his delineatur. Characterem *Ammanniae* emendatiorem proponit Noſter: corollam monopetalam eſſe ſcribit, ſtylum in duo ſtigmata diuiſum, capſulam bilocularem, ſemina pauca. *Croſſopetalum*, cuius icon additur, corollam vel monopetalam vel tetrapetalam gerit, capſulam ouatam unilocularem monoſpermam, in icone tamen ſepto diuiſam, pluribusque ſeminibus inſtructam eam obſerua-
p. 146. mus. In *Oldenlandia* notauit Noſter petala minima, quae calyce longiora deſcribit Ill. LINNAEVS, antheras magnas, capſulam bi vel quadriloculärem. *Schini* ſpeciem quartam LINNAEI, quum ſit tetrapetala,

petala, tetrandria, monogynia, feratque capſulam unilocularem biualuem, nouo nomine *Pterotam* vocat et delineat, ſic *Irſiola* dicitur, tertia Sicyoidis ſpecies LINN. quae ſit tetrapetala, tetranthera, monogynia, fructu baccato, non monoecia ſyngeneſia: nec non *Corchori* LINN. prima ſpecies appellatur *Coreta*, habens perianthium nullum, corollam tetra- p. 148.
petalam eſtque tetrandria, monogynia, capſula longa biloculari quadriualui. *Catonia* eſt apetala ad hanc claſſem referenda et baccam gerens ſucculentam, feminibus duobus hemiſphaericis cum rudimentis duorum aliorum foetam. Tandem *Riuiniae* ſpeciem, quae varietas β. eſt in LINN. ſpeciebus, diſtinguit, eam ſub hoc quidem genere relinquens, illi tamen, ut in icone videtur, decem antheras adiudicans conſtantes.

Pergimus ad pentandrias monogynias, in quibus p. 149.
ſequentia noua ſunt:

Myrſiphylium quod conſtat corolla monopetala p. 152.
quinquifida et fructu, drupa ſicca ſubrotunda biloculari diſperma. *Spigeliam* nominauit *Anthelmenthiam*.
Liſianthius fere videtur ad conuoluulum accedere, ha- p. 157.
bet autem perianthium, pentaphyllum, corollam in quinque lacinias patentes diuiſam, capſulam biloculari, plurimis ſeminibus refertam. *Cedrela* in calyce monophyllo quinquecrenato recondit corollam monopetalam quinquifidam, capſula fructus eſt ouata, quinquelocularis, quinqueualuis, receptaculum ſeminum columnare oblongum pentagonum, per axin capſulae porrectum, cui adnaſcuntur ſemina inferius compreſſa, ſuperne membranacea alato-caudata, imbricata. Pertinet ad hoc genus celebre *Mahagony* lignum. *Conocarpi* quoque noua definitio additur, p. 159.
ut habeat perianthium: *germen compreſſum, obouatum, ad utrumque latus medio margine denticulo notatum, ad apicem excauatum, quinque foliolis minimis ſubrotundis cochleatis conniuentibus coloratis coronatum.* Corollam: *petala quinque minima, foliolis calicis ſuppoſita,*

posita, conniuentia, decidua. Stamina: *filamenta quinque breuia, conniuentia:* antheras *globosas.* Pistillum: *germen ut supra descriptum calyculo coronatum,* stylum *breuissimum,* stigma *obtusum fungosum.* Pericarpium: *capsulam fungosam corticosam, compressam, obouatam, ad utrumque marginem prominulam et subangulatam unilocularem coronatam.* Semen: *unicum oblongum, membrana propria inuolutum intra capsulam*
p. 160. *germinans.* *Psychotrophum* fere conuenit cum Coffea, fruteſcenti plantae calyx quinquedentatus eſt, antherae erectae, ouatae, cuius bacca duo hemiſphaerica ſemina continet. Coffeae etiam colendi et ſemi-
p. 164. na tractandi modus uberius exponitur. *Chiococca,* a LINNAEO ad Loniceram relata, nunc ſub noui generis nomine proponitur, quod corollam campanulatam caducam habet, ſtamina flore longiora, baccam coronatam duobus ſeminibus foetam. Huius plantae autem radix acris et amara decocta oſſium morbis, ſpinae nempe ventoſae et malo venereo, medetur. *Portlandia* in honorem ducis Portlandiae dicta, corolla inſtruitur monopetala longiſſima, longiſſimis ſtaminibus, capſula oblonga quinque ſulcis notata, biloculari, biualui apice dehiſcente, numeroſa-
p. 165. que ſemina continente, cuius icon additur. *Erithalis,* monopetala regularis, quinque in lacinias diuiſa, fructum fert baccam decem-locularem globoſam paruam plurimis ſeminibus foetam. *Macrocnemum* pariter corollam habet monopetalam quinquifidam, capſulam oblongam obuerſe conicam bilocularem et ſemina imbricatim poſita. *Buttneria* etiam poſt corollam talem fructum producit pomum magnum globoſum coronatum, uniloculare, malo punico ſimile, intus linea bifarium ſulcatum, permulta habens ſe-
p. 169. mina. *Collococcus* perianthium habet paruum monophyllum tridentatum, corollam monopetalam quinquifidam, ſtylum in ſummo loco quadrifidum, baccam, viſcido ſucco plenam, nucleum bilobum, inuolucro

lucro osseo rugoso praeditum. *Ehretia* est planta monopetala regularis, fertque baccam bilocularem, duobus nucleis bilocularibus et dispermis, hinc conuexis inde planis, refertam. *Bourreria*, quae vero falso, forte ex idiomate natiuo Cl. Auctoris scribitur, quantum enim eius descriptio declarat in honorem b. BEVRERI, Pharmacopoei et botanices etiam studiosissimi Norimbergensis ita dicitur, in calyce monophyllo quinquifido, corollam monopetalam tubulatam continet, fructumque producit, baccam, quatuor nucleis bilocularibus, quadrantes sphaerae imitantibus plenam, quorum singulus duo semina complectitur extus sulcata. *Cordiae* LINN. tertiam speciem nouo nomine generis *Gerascanthi* insigniuit Noster; corolla enim calyce longior est, fauce ampliata, emarcescens persistit, styli stigmata bifida oblonga, nux quadrilocularis, totidemque seminibus repleta inuenitur. *Chrysophylli* descriptio et delineatio corollam monopetalam, sed quinquifidam tantum esse docet, baccam autem decem locularem totque seminibus foetam, quorum tamen haud pauca abortiunt. *Varronia* in honorem antiqui VARRONIS sic appellata, est *Lantanae* LINN. species sexta, cuius disquirendae occasionem hic non habuerat, quae ostendit calycem monophyllum campanulatum quinquedentatum, corollam monopetalam campanulatam limbo quinquecrenato, stamina quinque, stylum unicum, stigmata quatuor, baccam succulentam, bilocularem. *Metopium*, gummi purgans et diureticum suppeditans, constat calyce monophyllo, quinquedentato, corolla pentapetala, petalis calyci insertis, capsulam fert oblongam acri succo turgidam, unicumque semen recondens. *Iron* instruitur calyce pentaphyllo foliolis lanceolatis, corolla pentapetala, regulari, capsula ouata acuminata uniloculari, polysperma. *Sarcomphalus* planta est apetala, cuius calyx est monophyllus ad medium quinquifidus, baccam vel drupam

p. 169.

p. 171.

p. 172.

p. 177.

p. 179.

ſubrotundam bilocularem, ſemina duo hemiſphaerica recondentem, producens. *Echites* perianthium pentaphyllum paruum, corollam monopetalam tubuloſam quinquifidam regularem, antheras ſagittatas in centro floris conum efformantes, nectaria glandulosa circa germen quinque, ſtigma antheris agglutinatum, pericarpium folliculos duos oblongos horizontaliter reflexos, uniualues, ſemina numeroſa imbricata pappoſa obtinet.

p. 185. Inter pentandrias digynias *Namae* plenior deſcriptio et icon ipſi adiudicat, perianthium monophyllum, profunde quinquifidum, corollam monopetalam tubulatam, limbo quinque crenato, capſulam oblongam, unilocularem, biualuem, longitudinaliter dehiſcentem.

Iam itaque eodem modo de reliquis claſſibus plantarum exponendum eſſet, quod magna ſane cum voluptate exequi vellemus deſiderium, niſi rerum fere dicendarum copia nos obrueret. Omnes enim, qui in plantarum exoticarum penes nos ſane maximam partem rariſſimarum, diſquiſitione operam voluerint adhibere, hoc libro carere non poſſe autumamus, quo, ſi caſus ſic tulerit, nouas deſcriptiones cum natura poſſint conferre. Ex ſingulis ea propter claſſibus, ut ditiſſimus theſaurus appareat, generum nomina noua hic adponemus.

Occurrit in pentandriis triſtylis *Chloroxylum*, *Spathe*, *Pumilea*. In pentandriis pentaſtylis, *Zanthoxyli* noua definitio, cui corolla tribuitur monopetala, profunde quinquifida. *Sciodaphyllum*. In hexandriis monogyniis *Triopteris*, cui corolla eſt nulla, et capſulae tres tantum alas habent membranaceas, quum Cl. LINNAEVS hexapetalam decandriam eam deſcribat.

p. 198. Porro *Scurrula*, ad eam LINN. non pertinens. *Aloes* ſucci praeparationem talem deſcribit, ut eum ex foliis ſucculentis reſectis ſponte ſtillantem et exſiccatum eſſe dicat. Noua genera ſunt *Parſonſia*, *Achras*, quam Sapodil-

Sapodilliam vocant, et quae accuratius ac a PLVMIERIO definitur. Heptandriarum monogyniarum claſſis aucta eſt generibus *Cominiae* et *Haleſiae*. Ad octandrias monogynias reductam obſeruamus, trigyniam aliis viſam *Sapindum*. Noua ſunt: *Dodonaea*, cum ea PLVMIERII non conueniens, planta apetala, unicapſularis. *Hypelate*, *Amyris*. *Coccolobis*, ad polygonum a Cl. LINNAEO relata, et *Melicoccus*. Octandriis digyniis additur *Windmannia*, capſula biloculari inſtructa, et enneandriis monogyniis *Volkammeria* et *Melanium*. In decandriis monogyniis recentes deſcribuntur: *Barbilus*, *Cuphea*, *Aciſanthera*, *Trichogamila*, *Buceras*. *Caeſalpiniae* character emendatior adducitur eidemque corolla pentapetala adſcribitur. *Spondias*, quae eſt *Chryſobalanus* LINN. inter decandrias cum VAN RHEEDE iterum refertur, ſed tres tantum ad ſummum quatuor ſtylos habet. Ad dodecandrias monogynias pertinens *Triumfetta*, conſtanter calycem habet, pentaphyllum deciduum. In icoſandriis monogyniis noua eſt *Dalea*, apetala, baccam ferens nucemque ſimplicem, atque *Chytraculia*, et *Suzygium*, quae delineantur. Inter polyandrias monogynias, *Calophyllo* abiudicatur ſtylus, et tribuitur eidem ſtigma quadrigonum, concauum. *Thamnia* recenter deſcribitur. *Guidonia* calyce tetra-vel pentaphyllo, capſula uniloculari quadriualui omnino a *Samyda* LINN. diuerſa eſſe videtur. *Xylopicrum* noua eſt.

p. 216. p. 227. p. 232. p. 239. p. 245.

Didynamiarum plantarum claſſis ſemina duo nuda bilabiatae corollae offert in *Meſoſphaero*, inter angioſpermas occurrit *Stemodiacra*, cuius corolla bilabiata quatuor lacinias aequales et ſtamina quatuor bibrachiata antheris geminis inſtructa, nec non capſulam bilocularem fert, et *Blechum*, porro *Elliſia*, *Clerodendrum*, quam ad *Volkameriam* retulerat LINN., *Moniera*, *Eriphia*, *Achimenes*, in qua ultima anthe-

p. 257. p. 261.

rae ſtaminum ſupra ſtyli exitum cohaerent et concreſcunt.

p. 272. Monadelphiae decandriae acceperunt noua gene-
p. 278. ra: *Erythroxyli* et *Trichiliae*, polyandriae vero *Zygiae*. Inter diadelphias Noſter *Securidacae* verum vexillum non concedit, ſed ex baſi vaginae ſtaminum appendicem exſurgere dicit, vexilli vice fungentem.

p. 289. *Amerimnon* icone repraeſentatur. *Neanthe* corollam habet tripetalam, *Terammus*, *Stizolobium*, *Zoophthalmum*, *Ichthyomethia*, *Galactia*, *Ecaſtaphyllum*, *Brya*, noua ſunt, quorum aliqua genera ad phaſeo-
p. 302. lum vel Dolichon non immerito poſſent referri. *Indigoferae* tres ſpecies adducuntur, creſcendi modo inter ſe, ni fallimur, diuerſae. Deſcribiturque ſimul modus colendi plantam atque colorem illum indicum conficiendi.

p. 312. Ad *Syngeneſia* acceſſerunt etiam aliqua noua genera, ſcilicet: *Trixis*, cuius exterior calyx tetraphyllus, interior ſimplex eſt, ſemina pappoſa: *Struchium*, corollis in margine trifidis, in centro quadrifidis conſtans, *Dalea*, quod nomen noluiſſemus huic plantae datum fuiſſe, quod ſupra iam alii tribuebatur*.

p. 323. *Amellus* eſt Acmella, quam ad Verbeſinas reduxerat LINNAEVS in Spec. no. 7. Tandem *Blakea*, elegans planta duplex perianthium habens, corollam amplam hexapetalam, roſaceam, ſtamina duodecim, antheras connatas, ſtylum unicum, capſulam ſexlocularem, ſemina plura, in honorem *Blake*, botanophili dicta, et delineata.

p. 330. In *Gynandriis* recenſetur *Chamaerops* acaulis, qui diſtinctos mares atque feminas flores, in eadem tamen planta occurrentes, continet.

p. 334. In *monoeciis* occurrunt noua genera: *Omphalandria*, cuius antherae duae vel tres nectario umbilicato adnectuntur ſine filamentis, capſulaque trilocularis

* Ad finem libri additis in emendandis ex hac forte ratione loco *Daleae* legi deberi *Critonia* monetur.

laris eſt. *Sapium*, flore nudo, *Argythamnia*, tetrapetala et tetrandria, capſula triangulari, triſperma. *Ateramnus*, tetrandria, triſtyla. *Zeugites*, gramip. 341.
nea planta ſtaminibus tribus, ſtylo ſimplici, ſtigmate villoſo. Huc porro refertur *Palma*, ſeu *Coccos* LINN., cuius variae ſpecies deſcribuntur. *Pharus* hexandria, monoſtyla, ſtylo bi-vel trifido. *Terep. 345.*
binthi etiam illius, quae Sima-rouba, imperfecta tamen deſcriptio exhibetur. Praeterire quoque nonp. 349.
poſſumus, Caſſauam utramque, cuius deſcriptionem uberiorem alibi optauimus * ſub *Iatrophae* nomine exponi. Licet autem Cl. Auctor, utramque amaram et dulcem, non niſi radice differre adſerat, has tamen eius diuerſitatis notas adiungit. Amara dicitur: *Iatropha foliis palmatis pentadactylibus, radice conica oblonga, carne ſublactea:* Dulcis vero: *Iatropha foliis palmatis, lobis incertis, radice oblonga, funiculo valido per centrum ducto, carne niuea.* Praeparari farinam vulgo ſcribit expreſſione et exſiccatione, deinde coqui in panem, recentem quoque a porcis innoxie comedi, immo, neque hominibus exceptis, ſpecificum in aqua menthae et ſale abſinthii antitoxicum proponi. *Hippomanes* nomine et *Mancanillam* PLVM. et *Huram* LINN. comprehendit, utriuſque characterem plene exponit. Ad ſyngeneſia additur *Sechium*. quod in mare quatuor antheras coalitas, in femina flore unicum ſtylum recondit fructumque craſſum, unico ſemine foetum, gerit.

Dioeciae plantae nouis quoque generibus locuple-p. 355.
tatae fuerunt: *Acidoton* imperfecte deſcripta: *Batis* ad baccatas pertinet. *Trophis*, quae delineatur, maſculos flores ſpicatos habet, tetrapetalos tetrandros, femininos nudos ſtylo bifido, bacca uniloculari. *Celoſiae* LINN. Spec. no. 5. ob ſexum *Ireſine* appellatur. *Bernardia*, monopetala polyandria, in femina flore ſtigmata tria, capſulam ſubrotundam trilocularem triſper-

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 228.

p. 361. triſpermam oſtendit. *Adelia* imperfecte, et *Gigalobium* ſic deſcribitur, ut in mare pentapetala corolla, ſtamina numeroſa, in femina legumen maximum longiſſimum, compreſſum varie contortum unilocula-
p. 374. re biualue deprehendatur. Ad dioecias etiam relata fuit *Feuillea*, in cuius maſculo flore ſe inueniſſe ſcribit Noſter ſtamina quinque et nectarium conſtans ex filamentis quinque compreſſis conniuentibus, ſtaminibus interpoſitis. In flore femina vero ſtylos conſpexit tres, fructumque drupam magnam trilocularem, ſeminibus compreſſis intus latentibus cortice fungoſo tectis.

Tandem ad finem adduntur plantae quaedam, quae ab aliis deſcriptae ſunt, ſed quarum ſpecimina obtinere Cl. Auctor non potuit. Ex adductis autem ſpeciminibus apparet indefeſſae induſtriae documentum, ditiſſimas naturae opes perueſtigans, in quibus aliquando labi humanum eſt.

p. 381. Quum itaque de prioribus partibus huius operis abunde dictum ſit, breuiores iam erimus in recenſenda *tertia parte*, quae animalium naturam ex ſyſtemate LINNAEI pertractat, eadem tamen obſeruata regula, ut quae meliora vel ſuo ſcopo aptiora eſſe crediderit aut inuenerit Cl. BROWNE eadem immutauerit et diſpoſuerit. Itaque de inſectis *primo capite* agit, *ſecundo* de piſcibus, *tertio* de reptilibus, *quarto* de auibus, *quinto* de quadrupedibus,

p. 383. Inſectorum claſſi addidit vermes a Cl. LINNAEO dictos. Inter *Zoophyta* recenſetur *Thalia* et delineatur, quae ex gelatinoſo corpore conſtat, cylindrico, et diſſecta polypi ad inſtar regeneratur. *Beroe* oualis formae, octo radiorum, gelatinoſa ſed admodum mobilis: *Ligea* gelatinoſa, capite opaco: *Clio*, in vagina firma, tranſparente contenta, exſerto capite, pectore et alis membranaceis. *Aretuſa*, veſiculam referens, multis tentaculis inſtructam. *Phyllidoce* cartila-

cartilaginea, radiata, fusius descripta. *Actinia* glutinosa, tentaculis variis ornata. Ab his ad lithophyta LINNAEI progreditur Noster, quae zoophyta vocat, a vermibus aedificata esse adsumit. Describit autem tantum exteriora illa habitacula, pro ratione structurae conformationisque. Crustaceum tegumentum artusque flexiles habet *Corephium*, quod asellum marinum nominant. Sequuntur testacea LINNAEI, quae in uniualues, biualues et pluriualues iterum distinguuntur *. Horum autem considerationi praemittitur descriptio et delineatio teredinis, qui nauibus adeo est infensus, seu *Nereis*. p. 388. p. 393.

Vniualuium sex summa recensentur genera 1) cauitate non spirali, superius aperta: *Siphonium*, *Dentalium*, *Patella*. 2) Cauitate spirali, spiris in eodem plano constitutis: *Cornu Hammonis*, *Lituus*. 3) Spiris eccentricis, basi aperta: *Stomatia*, *Nerita*, *Cochlea*, *Licinia*, *Trocus*, *Terebellum*. 4) Apertura cum axi spirarum parallela: *Turbina*, *Strumbus*, *Buccinum*, *Purpura*, *Sycotypus*, *Dolium*. 5) Conchylia labiata et alata: *Cassis*, *Conchilium*. 6) Rimata vel fissa: *Strephona*, *Voluta*, *Cyprea*. p. 395.

Biualuium noua methodus proponitur, desumta scilicet ab articulis seu loco commissurae, quorum itaque tria sunt genera: 1) Connexa per ligamenta: *Ostrea*, *glycymeris*, *mytulus*, *pecten*, *margaritifera*, *pennaria*, *solena*. 2) Connexa per ligamenta et prominentes dentes: *Stola*, *Spondylus*, *Chama*, *Bucardium*. 3) Connexa per denticulos: *Cibota*, *Mactra*. p. 410.

Pluriualuium tria dantur genera 1) partibus omnibus firmiter concretis: *Balanus*. 2) Connexis per ligamenta *pentilasmus*. 3) Connexis per cardines et ligamenta: *pholas*. p. 416.

Huic

* Menda videtur typographi esse ut in sequentibus apparet *uniuolues*, *biuolues*, *pluriuoluesque* scribi.

Huic claſſi primae additur altera, in qua *inſectorum* vulgo ſic dictorum fit recenſio. Initium eſt ab
p. 419. *apteris*. In his ab araneis diſtinxit *tarantulas*, ſiquidem habeant pedes anteriores diuiſos in ſeptem octoque articulos, nec non forcipem exterius peforatum.
p. 423. *Cancrum* deſcribit in rure degentem, rarius aquas intrantem, eiusque viuendi rationem exponit Cl. Auctor. Ab his ſeiungit *Aſtacum* ob chelarum defectum vel conformationem variam. *Emerita* ſcutum dorſale ex variis partibus conſtans gerit. *Setoura*, quae libros lineaque corrodit, *corpus* habet *oblongum, caudam verſus attenuatum. Antennas articulatas. Caput oblongum. Pectus ampliatum, annulis tribus rigidis tectum, pedes ſex. Abdomen productum, tribus ſetis longis, hirſutis terminatum.* Reliqua inſecta ad tetraptera referuntur et ex alarum conditione deinde iterum ſubdiuiduntur. Rariores quaedam ſpecies cu-
p. 431. ratius deſcribuntur, nouum genus eſt: *Pyralis* antennis ſetaceis, articulatis, abdomine oblongo, lu-
p. 433. cente. *Mantis* corpore fere lineari longo, pedibus gracillimis, longis, Inter *hemiptera* notari meretur *Acantharis*, cuius antennae ſunt articulatae, corpus ouato oblongum margine acute dentatum, alis membranaceis deciduis. *Bruchus* elytrarum fines habet membranaceos. *Ellipta* parua ouali corpore, oculis
p. 439. extantibus, pedibus anterioribus unguiculatis. *Hymenopteris* additur et delineatur, *Appendigaſter* fere cum Ichneumone conueniens, niſi quod ad abdomen accedat, tubus rotundulus, in vagina aculeum recondens.

p. 440. *Secundum caput* de piſcibus, ea, quae ſolertiſſime dicta ſunt ab ARTEDO repetit, et cum eo quinque piſcium claſſes recenſet, his etiam noua, a GRONOVIO in muſeo ichthyologico deſcripta genera ſuis locis quodque inſeruit, nec non noua quaedam verbis iconibusque propoſuit. Inter *malacopterygios* itaque inuenimus haec noua genera: *Menidia*, paruus piſci-

culus,

culus, capite lato, maxillis margine dentatis, branchia dorsali una, tribus in corpore, caudae bifida. *Amia*, ossiculis branchiostegis copiosis instructa. *Plagusia*, membrana branchiostega septem radiorum, corpus destitutum pinnis pectoris et caudae, terminatum in acumen. *Acanthopterygiorum* noua genera sunt: *Helops*, ore angusto, maxillis dentibus instructis, anteriori maximo, pinnis pectoris trapezoidibus, ventralibus sex radiorum. *Mormyra*, quae coloris elegantia ludit, et forte ad *Sparum* pertinet. *Coracinus* distinguitur, processu cutaneo, qui contegit pinnas, dentibus conicis, anterioribus maioribus, numero ossiculorum membranae branchiostegae, singularique habitu, pectore crasso, branchiis ample apertis et ore magno. *Cromis* os ductile, maxillae denticulatae et pharynx, radii pinnae dorsalis et ani in fossam immerguntur. *Macrocephalus*, capite oblongo, ore amplo, labiis et faucibus denticulatis, membrana branchiostega septem radiorum osseorum. *Pelmatia*, appendice instructa carnosa ad anum. *Teuthis* corpore ouato compresso, aculeo simplici ad caudam. *Rhomboida*, corpore ad caudam angustum, cute leui argenteo tectum. p. 445. p. 449.

Reptilium, comprehensorum *tertio capite*, non adeo magna copia est: Referuntur tamen ad quatuor sectiones, in quarum prima occurrunt *serpentes*, in altera *lacertae*, quibus crocodilus annumeratur, in tertia *testudines*, in quarta *ranae*. p. 460.

Aues, quarum expositio *quarto capite* traditur, ob ingentem earum numerum et inde factam confusionem optime se digerere posse credidit Cl. Auctor, dum octo earum classes fecit. Continet itaque 1) *Minores auiculas frugiuoras et graniuoras, cum acuto conico rostro, medii digiti longitudinem non excedente.* 2) Similes *rostro acuto longiore*, a columbis differt *feta*, ceram in rostro nullam habet, linguam laceratam. 3) *Graniuoras, rostro crasso, conico, paulum arcuato* p. 466. p. 469.

arcuato, unguiculis diuiſis. 4) *Roſtris uncinatis, digitis liberis, unguibus arcuatis.* 5) *Roſtro recto, plani-*
p. 474 *uſculo, longitudine medii digiti, Crotophagus* ſuperiorem roſtri partem ad latera planam arcuatam acutam, ad finem rectam habet. *Bariſtus*, pugnax auis, roſtro longo ad latera acuto, pro ratione corporis latiore. 6) *Roſtro longo arcuato ad finem acuminato.*
p. 475. Huc pertinet *Polytmus*, qui mel ex floribus ſugit, ad trochilum pertinet LINN. *Todus* parum differt, niſi roſtro compreſſo et rectiori. *Oriolus* roſtro longio-
p. 477. re, rectiore, rotundiore, ad finem uncinato: *Xanthornus*, roſtro longo, conico-acuto, lingua ad apicem fiſſa. 7) *Roſtro medio digito longiore, cruribus longis, nudis, unguibus liberis.* 8) *Aquaticae, pedibus natatoriis.* Inter has eſt: *Anaethetus*, oblonga, variegati coloris, roſtro recto acuminato, ſubtus tu-
p. 482. berculato. *Alcyon* digitis omnibus connexis membrana roſtro recto, cauda longiſſima.
p. 483. *Quadrupeda, quinto capite* recenſita, apparent, et Linnaeano prorſus modo pertractantur, poſt glires ſcilicet ſequuntur ferae, iumenta, pecora antropomorpha. Ex his nouum genus unicum adnotamus:
p. 485. *Galera*, ex felino genere, roſtrum habet productum ſubacutum, maxilla inferiore breuiore; linguam retrorſum ſcabram, dentes acutos, ſubcompreſſos, oculos oblongo-rotundatos, aures compreſſas, humanis ſimiles: Pedes anteriores fortes, digitos quinque, caudam conico-cylindraceam attenuatam, mammas inguinales duas.

Haec itaque hiſtoriae naturalis inſulae Iamaicenſis delineatio ditiſſimum et naturae ſtudioſis acceptiſſimum aperit campum, ad quem emetiendum opus eſt non celeri, ſed attento greſſu, in quo tamen non difficile eſt aberrare quandoque, quae nos bene penſitantes, ſi quid emendandum fuit in hoc noſtro opere, modeſte monuimus, errata praecipue typorum varia obſeruauimus. Expectamus autem a doctiſſimo

doctiſſimo et indefeſſo Auctore, eam, quae ſupereſt et promiſſa in titulo, hiſtoriam medicam eo auidius; quo maiorem etiam ſtudio medico acceſſuram eſſe utilitatem ſperamus.

VII.

Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle, ſur la phyſique, et ſur la peinture, avec des Planches imprimées en couleur: par Mr. GAVTIER, de l'Académie des Sciences et Belles-Lettres de Dijon, et Penſionaire de Sa Majeſté. Partie XIII - XVIII. Année 1755. à Paris, chez Delaguette. 4 mai. alph. 2. pl. 2. tab. aen. 20.

h. e.

Obſeruationes ad hiſtoriam naturalem, phyſicam et artem pictoriam pertinentes, cum tabulis viuis coloribus expreſſis, auctore Cl. GAVTIER. Pars XIII-XVIII. anni 1755.

Quum quarti tomi obſeruationum, quarum iam tres tomos indicauimus, breuem in praeſens tradere adgrediamur expoſitionem, ea, quae ipſe Auctor ad partem decimam ſextam monuit, praeterire ſilentio nolumus. Obſeruationum nimirum iſtarum duplex eſt editio; una in forma 12 coepit prodire anno 1750, et adhuc continuata fuit; altera vero in 4ta forma demum 1752 cepit initium, atque ſimili ratione edi adhuc pergit: prior hinc editio continet obſeruationes et demonſtrationes duorum annorum 1750 et 1751, quae deſiderantur in poſteriori, et iam ſex voluminibus in 12 abſoluitur, quum tantum quatuor proſtent in 4ta. Vt igitur duas has editiones ſibi inuicem conciliet, atque oriundam inde facile confuſionem euitet, animus eſt Auctori in poſte-

rum demonſtrationes phyſicas ſiue curſum phyſicum, quem vocat, et quem iam exhibuit in dictis duobus prioribus voluminibus editionis in 12, in utraque editione repetere, atque cuilibet parti futurorum voluminum unam vel duas praelectiones de memoratu dignioribus rebus phyſicis, ad ſyſtema impulſionis ſolaris, quod ſibi exſtruxit pictor, explicandis, praefigere, poſt haec vero etiam aliorum celebriorum philoſophorum *phyſicam ſcholaſticam* et *experimentalem* exponere et examinare. Haec ad phyſicam ſpectant. Hiſtoriae naturali dicatarum obſeruationum eadem, ac ante, exſpectari poterit, continuatio, idem delectus et ordo: eae autem, quae ad pictoriam artem ſpectant, vitas celebriorum pictorum, et de operibus ipſorum iudicia complexurae ſunt. Tabulis aeneis, quae viuis coloribus expreſſae ſunt, aliae accedent ob phyſicas demonſtrationes, atro tantum imbutae colore: pretium vero libri propter ea non augebitur. Atque ita quaſi noua ſeſe inchoat obſeruationum iſtarum periodus, quarum perget Auctor quolibet anno edere tomum unum, in ſex partes diuiſum; tomus quilibet conſtat ex duobus voluminibus, quorum quodlibet tres partes in ſe comprehendit. Nos ex multis, quae hic collegit auctor, pauca expoſituri ſumus; pauca enim ſunt, quae aliqua attentione digna videri poſſent, multa contra, quae temere, confuſe et contra certiſſimas rationes et obſeruationes ſummorum naturae indagatorum adferuntur.

p. 3. *Hiſtoriae naturalis Obſ. I.* Contra auctores generationis aequiuocae, et in primis contra Cl. GODART, quem accuſat affirmaſſe, varias ex putredine natas fuiſſe inſectorum ſpecies, acriter pugnat GAVTIER, innixus potiſſimum Cll. REDI et LEEVWENHOEK experimentis.

Obſ.

Obſ. 2. *Pediculorum muſcarumque generationem* p. 11
fieri ſine alterius ſexus concurſu et ſine ouis, in primis contra eos, qui naſci ex ouo omnia animalia affirmant, ex ſtructura earum comprobaſſe ſibi viſus eſt Auctor. Deſcripſit nimirum et depinxit praecipue pediculos foliorum, eorumque fabricam et generandi modum: mater horum muſca eſt, ſola genus ſuum propagans ſine maris auxilio, viuipara. Alterum addit muſcarum genus, quas vocat *ſylueſtres*, vel *paraſiticas* cum aliis, earumque quatuor iterum ſtatuit ſpecies: prima tabanus eſt iumentis perinfeſtus, quem ob proboſcidem vocat *muche à biſtouri*; altera eſt, quae equorum in primis caudae ſeſe affigit, ponens in inteſtinum rectum animalis ſuum ouulum; tertia ouium nares; et quarta tandem ceruorum fauces petere dicitur. Quas vero omnes non ouula ſua, ut adhuc plurimi naturae ſcrutatorum, idque iure meliori, affirmarunt, ſed embryones iam formatos in corpore alterius animalis deponere audacter adſerit Cl. GAVTIER, atque hos etiam in ventre muſcae delineatos depinxit, quaſi per capſulas ſeminales transparentes, quos tamen, niſi ipſe dixiſſet ſe vidiſſe, profecto nos non vidimus.

Obſ. 3. *Formationem monſtrorum* explicat, atque p. 29.
contra Cl. WINSLOW in primis, qui accidentalem violentam cauſſam eorum reiecit, ſapientem potius affirmans mechanicamque primigeniam, compreſſionem, vel coalitum, vel ſimilem cauſſam omnino embryonibus, e veſiculis ſeminalibus transuehendis, in urethra accidere facile poſſe ex ſua, quam ſibi finxit, hypotheſi ſtrenue defendit Cl. GAVTIER.

In *promtuario philoſophico*, ut ſupplemento ob- p. 46.
ſeruationum phyſicarum cuilibet parti ſubnexo, pergit Auctor e variis diariis eruditorum ſcripta varia adducere, et more ſuo diiudicare, itemque de picturis et iconibus, quarum multas deſcribit, ſuum addere iudicium.

p. 60. *Artic.* 3. *Epiſtolam* AVDOVIN DE CHAIGNEBRVN ad DE GVATTANI, primum pontificis maximi chirurgum, exhibet. Vulnera ſclopetaria non colliſione, ſed uſtione vera infligi probat ex eſchara eorum, ut eſſentiali uſtionis effectu, et ex cauſſis, globis nimirum ignitis vel materia ignea vel electrica. Vt autem certo conſtet, utrum materia electrica, an alia id ſit, quod comburat, ſuadet tentamina facere cum bombarda pneumatica (*Windbüchſe*) atque obſeruare, quinam inde naſcantur effectus.

p. 64. Aranea, quae ſolet praeſertim inſidere groſſulariae, et octo oculis inſtructa eſt, magnitudine naturali et aucta depicta ſubnectitur.

Pars decima quarta continet

p. 67. *Obſ.* 6. *de luto nauium rimis conglutinandis apto,* (Spalme et Corroy maſtic) quod auctor diarii oeconomici (*Iournal oeconomique*, *mois Iuillet* 1755) a Cl. MAILLE inuentum laudauit. GAVTIER vero vindicat huius inuenti gloriam et Cl. EIRINI D'EIRINYS, M. D. qui iam 1721. diſſ. *de aſphalto* ſeu *glutine natiuo* edidit, fodinasque Neocaſtrenſes bituminoſas deſcripſit, et Cl. DE LA SABLONNIERE, qui regio priuilegio inſtructus, hoc bitumen in variis Galliae prouinciis effodit, praeparauit et vendidit. Hinc

p. 71. *Obſ.* 7. Excerptum diſſertationis dictae, *de natura et uſu aſphalti et olei eius*, ſubiunxit GAVTIER probaturus, Cl. MAILLE fere omnia dicta ſua ex hac diſſertatione Cl. EIRINI mutuatum fuiſſe. Aſphaltum autem ob tenacitatem indeſtructibilem et ſubtilitatem omni lutorum generi praeferri debere demonſtrauit EIRINI. Hinc ad rimas nauium, ad piſcinas, aliasque foſſas, ad granaria, veluti vernice obducenda perhibetur eſſe utiliſſimum: Odor fumi eius omne etiam animalium granis infenſorum genus fugat, quin et morbos catarrhales diſſipat.

Obſ.

Obſ. 8. Recenſet IORDANI DE PELERIN *tentamina aquam dulcem conſeruandi a putredine, marinamque dulcem reddendi;* aliorum ſimul, ut BOYLEI, HALESII, exponens circa idem argumentum tentamina. p. 79.

Obſ. 9. Ordinem et nexum rerum omnium uniuerſi huius ſapientem eſſe, et cognoſci in ſingulis poſſe, fuſius demonſtrat Cl. GAVTIER contra Ill. DE MAVPERTVIS, qui eum deſideraſſe et cognoſci haud poſſe in ſingulis affirmauit, atque id plenius demonſtrare nititur Noſter p. 90.

Obſ. 10. *ex ſtructura Oſtreae* et *Obſ.* 11. *Veſpertilionis*, vilioris viſi animalis utriuſque, quam vero ipſe fatetur petiiſſe ex WILLISIO et BLASIO; icones addidit, et in primis veſpertilionem ex inſula S. Dominici adlatum depinxit. p. 92. p. 95.

In *promptuario philoſophico* impugnat acriter Cl. NOLLET adſerta de natura lucis et colorum. p. 100.

Artic. VII. taxat auctorem diarii oeconomici, quod ille tentamina IORDANI DE PELERIN, ante laudata ab ipſo, deinde ob periculum e mercurio praecipitato albo, quo ad aquam dulcem ſeruandam IORDANVS utitur, metuendum iterum publice reiecerit, quum tamen nulla omnino ſit mercurii adhibiti timenda vis toxica. p. 108.

Artic. VIII et IX. Vocem et barbam eunuchorum, feminarum et infantum ex defectu ſpirituum ſeminalium, qui reliquis fluidis et ſolidis robur det et nutrimentum, atque inde pendente virium debilitate explicandam, in primis contra Cl. VALISNIERI, negat Cl. Auctor. p. 110.

Art. X. deſcriptio inſulae Canadae cum mappa geographica ab anonymo communicata exhibetur. p. 114.

In parte decima quarta occurrunt:

Obſ. 7. *et ſequ. Anatomen Crocodili* tradit, a Reu. P. PLVMIER botanico celebri factam, et iam in pu- p. 131.

blicum editam a Reu. P. de BOVSSENCOVRT, cum adnotationibus et iconibus. In inſula S. Dominici lacu *Miragoan* capta fuit femella crocodilus, a PLVMIER diſſecta. Femellae enim copioſiores dantur, ac mares, qui acriter pugnando mutuo ſemet ipſos trucidare perhibentur. Maxillae inferioris latus quodlibet, quindecim, ſuperior vero ſeptendecim, acutos, ſerratos dentes habet ita poſitos, ut ſinguli dentes ſuperiores inter duos inferiores ſeſe inſinuent. Hepatis lobi duo ſunt maiores, aequales; veſicula fellea multa pinguedine obducta; inteſtinum rectum reliquis multo amplius et longius eſt; pulmonum duos lobos trachea longa deſcendendo ad hepar uſque, flexuque facto iterum aſcendendo intrat. Cor ouo gallinae ſimile, rubellum, muſculoſum, duabus auriculis inſtructum et vaſis maioribus. Circa anum duo fuerunt oſtia tubarum, quae gyris multis ad hepar uſque adſcendendo, rurſus deſcenderunt ad ouaria, vertebris lumborum impoſita: tubae fibris praeditae circularibus aeque ac longitudinalibus; ouaria oblonga ſunt, multis ouulis albidis referta. In tubis aliquando inuenit Cl. PLVMIER oua perfecta et formata; in ouario adhuc plura; alba alia minora, capitellum acus aequantia; alia flaua piſi magnitudine; perfecta oua fuerunt tres digitos longa, nouem lineas craſſa, oblonga, craſſis cincta inuolucris, albumine pellucido gelatinoſo inſtructa et vitello lactis inſtar ſpiſſiore. Circa anum vero duae glandulae ſunt, humore ſpiſſo, flauo, moſchum redolente, ſcatentes, et ſingulari ſphincțere clauſae. Cl. GAVTIER putat eſſe teſticulos femellae. Ad oſſa crocodili quod attinet, vertebras habet ſexaginta duas; collum ſeptem, dorſum nouendecim, cauda triginta ſex conſtat vertebris; duodecim priores dorſi cum totidem coſtis nectuntur; quinque lumbares ſunt et duae oſſi ſacro adnexae. Atlas e ſex oſſiculis conſtat, et cum cranio ligamento craſſo iungitur; reliquae

quae vertebrae e duobus, ſutura ſibi iunctis oſſiculis. Coſtae tres partes habent, unam oſſeam cartilagineam, duas cum ſterno nexas. Os iſchium oſtream aemulatur, cuius pars conuexa eſt valde gibboſa, et concaua inſculptam habet amplam, ſed minus profundam foueam, quo caput oſſis femoris in eadem liberius moueri poſſit: natando enim illud verſus caudam uſque extendit, ut piſcem fere mentiatur. Os pubis dublex cum iſchio firmiter concretum: ſternum duplex, unum oſſeum thoracem, alterum cartilagineum imum ventrem obtegit. Cranii oſſa, quoniam diffractum caſu fuit, examinari non potuerunt; maxilla vero inferior conſtructa ex duobus oſſibus, quorum quodlibet tres partes, ſutura iunctas, et alueolos quindecim habuit. Dentes reiicere, nouosque formare ſibi crocodilus viſus eſt: in capto enim quodam quatuor dentes defuerunt, alii vero noui diuerſaeque duritiei in alueolis delituerunt. Plura, ne longiores ſimus, nunc mittimus, illud adhuc addituri, magnitudinem crocodili plerumque fuiſſe octo nouemque pedum, robur autem tantum non eſſe, ac vulgo credatur: vidit enim aliquando Cl. PLVMIER taurum, quem canes perſequuti in lacum propulerant, tres ſuperaſſe feliciter crocodilos, qui in laeu ipſum inuaderant; viuunt potius de praeda, ex anatum aliarumque auium genere et teſtudinibus facta, quarum diſcerptae partes, quin et integrae teſtudines, in ventriculo inuentae fuerunt.

Obſ. 3. *de analogia ſexus in omni animalium genere* agit ad Academiam Scient. et bon. art. Diuionenſem miſſa. Id, quod a tot ſaeculis ad noſtra uſque tempora nemo ne ſomniando quidem ſibi imaginatus fuit, ſolus inuenit, excogitauit, demonſtrauit Cl. GAVTIER, nimirum nullum dari utriuſque ſexus diſcrimen, inter marem atque feminam, atque eam differentiam, quae putetur adeſſe, neceſſariam eſſe, ſit venia verbo, *monſtroſitatem* indiuiduorum gratia factam. p. 143.

factam. Eadem enim mari iuxta ac feminae data eſſe viſcera, vaſa, neruos, oſſa, muſculos idem affirmat. Amplior peluis feminarum facili tantum reddendo partui inſeruit; barbam iisdem pulcritudinis cauſſa creſcere negat natura, quamuis radices eius conceſſerit. Mammarum fabrica in mare eadem eſt, ac in femella, danturque mares, quibus lac fuit in mammis. Tandem genitales partes utriuſque ſexus ſi compares inuicem, Cl. GAVTIER ubique videt analogam fabricam et uſum. Vt paucis complectamur fuſe dicta ab Auctore, clitoris ipſi videtur eſſe penis, hermaphroditi exemplo id confirmante; veſiculae ſeminales maris uterum, vaſa deferentia tubas, teſticuli ouaria mentiuntur. Vterus feminae tantum diſtenditur, ut ſuſcipiat et nutriat foetum, qui iam formatus fuit in utero maris ſiue veſiculis ſeminalibus, quae vero duplices quum ſint, aemulantur uterum duplicem feminarum, cuius exempla proſtant, teſtante Cl. EISENMANN. Menſtrua maribus non fluunt, quoniam uteri eorum, ſeu veſiculae ſeminales, harumque vaſa denſa magis et ſtricta fortius ſanguinem continent, ac femellarum laxa vaſa et uteri, et quoniam mares ſaepe, menſium loco, experiuntur alias fluxiones, ut ſudores, ſeminis, quibus auertere dicuntur morbos, feminis a defectu menſtruorum frequentiores. Sed ſufficiant haec dixiſſe de Cl. GAVTIER noua miraque hypotheſi, ut, ipſane multum iuuare poſſit hiſtoriae naturalis animalium ſtudium cauſſarumque morborum inueſtigationem, id, quod ipſe putat auctor, an vero ingenii huius ſit foetus, quo ſoli eniti datum fuerat pictori, ſit penes lectores iudicium.

p. 149. *Obſ.* 4. Cl. PLVMIER de dentibus ſerpentum in inſula *Martinique*, de dracuntio ſcandente, ut horum putato veneno et de tithymalo exponit. Vnde haec petierit Cl. GAVTIER, ipſe non indicauit, neque nos inuenimus in editis ſcriptis Cl. PLVMIER.

Obſ.

Obſ. 6. *de terrae motibus* agit, addita mappa geo- p. 157.
graphica, quae exhibet Europae regiones ſuperiori anno 1755 iisdem concuſſas.

In *promtuario philoſophico* praeter multas varias- p. 171.
que diſceptationes, quas cum variorum diariorum auctoribus agitat GAVTIER, et quas lubentes mittimus, praeterque fuſas picturarum varii generis deſcriptiones, occurrunt

In *artic.* 4 et 5. non nulla *de vermibus inteſtinali-* p. 190.
bus, cum iconibus, quarum binae laruas muſcae paraſiticae, in inteſtinis feminae cuiusdam, *Pierre* dictae, inuentam, tertia lumbricum terreſtrem, quarta cucurbitinum vermem, quinta partem taeniae ſiſtit, in variarum hominum inteſtinis deprehenſos.

Pars decima ſexta alterum volumen tomi huius, p. 9.
quem indicamus, comprehendit, et praeter praefamen auctoris, quod noui inſtituti rationem explicat, et cuius nos etiam ſub initio recenſionis noſtrae iam fecimus mentionem, curſum phyſicum tradere inchoat, ita quidem, ut praemiſſa generali ſyſtematis ſui noui ſciagraphia, duas praelectiones, primam de tempore et ſpatio, ſecundam de materia, de infinite minimis, et de elementis, propoſuerit noſter iſte philoſophus, Cl. GAVTIER.

Obſ. 6 *de cauernis in ſuperficie ac in interioribus tel-* p. 20.
luris receſſibus deprehendendis itemque *de cauſſa eleuationis aquarum* exponit cum additis iconibus.

Obſ. 7. *Olea vegetabilium deſtillandi depurandique* p. 22.
modum docet M***. Vtitur ſpiritu ſalis ut menſtruo.

Obſ. 8. non nulla *de genitalibus partibus equi* et p. 24.
equae - - ex hypotheſi ſua diſſerit Auctor.

In *promtuarii philoſophici artic. XXIV methodum* p. 33.
urinae inſpiciendae diiudicandaeque tradit Cl. RICARD, medicus, quam a germano medico didicit ante viginti circiter annos, commoratus in Germania, ſed quae attentione digna viſa nobis non eſt.

p. 37. *Art. XXV. Eſſentiam curandis ſcrophulis* ſeu glandulis colli apertis, parare docet Mr. DVPVIS, e tartaro, quem igne aperto carbonum calcinatum cum portione quadam calcis viuae iubet in aquam ebullientem immittere. Aqua haec filtro depurata, et in glandulam apertam plumae ope immiſſa, abſtergere viſcidum, duritiemque omnem emollire perhibetur. Acrior ſi forte fuerit, adfuſa aqua ſimplici mitior reddita, atque cum herba chelidonii applicata loco dolenti felici cum ſucceſſu fuit.

p. 58. *Artic. XX.** In *ſententiam* Cl. BIANCHI, qua Ill. HALLERI de *irritabilitate et ſenſibilitate partium corporis animalis* diſſertationem impugnauit, animaduerſionem exhibet Mr. BERTOL. Cl. BIANCHI affirmauit contra Ill. HALLERVM, excepta cuticula, reliquas partes corporis animalis omnes eſſe in prima ſua origine neruos, atque hinc plus minus ſenſibiles, irritabilitatis vero et ſenſibilitatis adſumtam diſtinctionem videri inutilem. Cl. BERTOL autem negat omnes partes formari e neruis, quamuis iisdem omnes actiones corporis tribuat: putat enim eſſe partes ſolidas, ungues, pilos, cornua, oſſa, nec non tendines et ligamenta, quas nerui non adeant, adeoque ſenſu
p. 60. omni deſtitui. Irritabilitatis nomine fatetur idem ſe intelligere motus conuulſiuos, praeternaturales, ſeu inuoluntarios, omnemque irritationem eſſe agitationem ſpirituum animalium inuoluntariam. Nos vero, num Ill. HALLERI mentem adſequutus fuerit, an eius hypotheſin dubiam reddiderit Cl. BERTOL, ipſi adhuc dubitamus.

Art. XXI. Mr. L'OLIVE, Chirurgus Barcelonenſis, *cereos parare* docet quibus carunculas urethrae fatetur ſe curaſſe in plus, quam trecentis aegris. Triplex datur formula. Ad carunculas conſuetas conueniunt cerei, e quinque filis cerae parati, lamina

* Magnam hoc loco, veluti ubique, numerorum deprehendimus confuſionem.

na ſericea (*Taffent*) obducti, quae lata ſit transuerſum digitum, coloris albi vel alius; puluis autem e mercurii dulcis drachmis duabus, antimonii crudi uncia ſemis, tutiae praeparatae drachma una, inuicem rite mixtis, cum oleo amygdalarum amararum vel dulcium in unguenti formam redigitur; quo imbuta extrema pars cerei, in urethram immittitur. Si duriores ſint carunculae carnoſae, puluis paratur e partibus quatuor ſabinae et una aluminis uſti; aqua, qua gummi tragacantha ſoluta eſt, imbutus primum cereus, dein etiam in puluerem dictum immittitur; poſt ſiccus factus, cum oleo amygdalarum applicari poteſt. Tertia formula eſt; oſſium ſepiae, tutiae praeparatae ana grana duo, aluminis praeparati granum ſemis, M. F. puluis: dein olei roſarum unciae duae, et lithargyrii auri uncia una coquantur inuicem, atque cum puluere dicto remixta formentur in formam unguenti, quod adhiberi poterit, ut priora, cum ſucceſſu. p. 62.

Artic. XXII. (qui eſſet XXIV, ex ordine numerandi adſumto) terrae motus, Pariſiis quos ſibi perſuaderunt multi percepiſſe, non niſi venti auſtralis vehementiores fuiſſe flatus oſtendit GAVTIER. p. 63.

Pars decima ſeptima. p. 69.

Obſ. 24. *Continuatio elementorum phyſices* traditur et quidem in praelectione tertia de motu, in quarta de impulſione ſolari, ſol enim ipſi viſus cauſſa princeps omnis motus, diffuſe ſatis agitur.

Obſ. 12. (quae eſt 25) *Obſ.* 26. et *Obſ.* 27. *Saluiae naturam, virtutes et qualitates, parandaque ex ea medicamenta et uſum* copioſe exponit Mr. DEPONS et eam veluti remedium praeſtantiſſimum ad longaeuitatem aeque ac ad morbos plurimos multis extollit laudibus. *Hannibal*, miles gregarius emeritus, centeſimum decimum ſeptimum iam agens annum, vegetus adhuc et ſanus, ſaluia et radice angelicae uſus p. 88.

vitam

vitam ſuam tam longe prorogaſſe, atque auctori etiam huius remedii feciſſe notitiam perhibetur. Quae enim explicat auctor, ea iſti ſe debere fatetur *Annibali*, proprias tamen ſibi plures quoque vindicat adnotationes. Verum ſaluiae virtutes a gallo milite edoceri nos, opus haud eſt, quum germani medici hanc diu deſcripſerint accuratius et chemico etiam examine diſquiſiuerint.

p. 107. *Obſ.* 28. *Groſſulariae nigrae virtutes* et *praeparata ex ea medicamenta* deſcribuntur ſimili ratione, ac ſaluia.

p. 112. *Obſ.* 28. (debet eſſe 29) *Leonem eiusque anatomen* proponit, et icones additae leonem, leaenam, et viſcera ipſius, cor nimirum cum pulmonibus, trachaea et adnexa lingua repraeſentant.

p. 116. *Obſ.* 28. (rectius 30) *de aquis, quae* Forges *in Normannia, Galliae prouincia ſcaturiunt*, agit Mr. ** Med. D. Tres fontes ſunt, e quibus iſtae proſiliunt: primus *la Cardinale* dictus virtute reliquos ſuperat; alter *la Royale* vi etiam medicata ſecundus eſt; tertius *la Reinette* mitior reliquis et debilior putatur. Spiritus vitriolicus, isque martialis, vim medicam iisdem conciliat. Agunt diuerſa ratione, ita, ut aliis urinas moueant, aliis aluum, in aliis neque urinam, neque aluum moueant, ſed per omnem corporis habitum diffuſae quaſi hydropem mentiantur. Experientia longa edoctus Auctor vidit eas optime conducere in colica nephritica et calculo, in fluxibus ſanguinis, ut haemoptyſi, haemorrhoidibus, aliis in phthyſi. Aegri vero ut aliis ſimul medicamentis inter potandum aquarum, exactaque diaeta vel ſubleuentur vel praeparentur, oportet. Continuatio tractationis huius in ſequenti parte obſeruationum harum dabitur. Ceterum nos iam meminimus alio tempore expoſuiſſe analyſin harum aquarum a Cl. MARTEAV * datam.

Pars

* conf. Comment. noſtr. Vol. VI. Part. I. p. 30.

Pars decima octaua. p. 133.

Obſ. 30. (rectius 31.) *Phyſices continuationem* complectitur, et quidem lectio quinta luminis naturam, leges motus eiusdem, et umbrae, ſexta et ſeptima opticam colorum, nouumque ſyſtema tradit.

Obſ. 19. (rectius 32) Continuatio tractationis p. 167. *de aquis, quae Forges profiliunt*, continet deſcriptionem itineris, quod inſtituit Mr. DODART ad hos fontes, et catalogum plantarum, quae ſponte creſcunt circa eosdem.

VIII.

Diſſertatio medico-chemica inauguralis, de Oleis eſſentialibus ſiue aethereis vegetabilium absque deſtillatione parandis. Praeſide GERARDO ANDREA MÜLLER, Conſil. aul. Haſſ. et Med. Prof. Prim. Reſpondente *Io. Cornel. Friderico Schweitzer.* Giſſae, 1756. 4. pl. 5.

Cum raro genuina, ſed multis modis, ſpiritus v. c. vini, vel et oleorum pinguium adfuſu, inquinata ac adulterata deprehendantur olea plantarum aetherea, quae magnum omnino in quibusdam morborum generibus praeſtant uſum; operae pretium eſſe iudicauit Cl. Auctor, cogitare de noua atque commodiori methodo illa pura minorique pretio obtinendi. Cui quidem ſcopo aptam iudicauit Naphtam chemicam, et varia cum ea inſtituit pericula, quae candide in his pagellis exponit. Noua omnino eſt haec olea parandi via, cum, quae hucuſque uſitatae fuerunt methodi olea quaeuis ex plantis earumque partibus ſeparandi, vel diſtillando, vel experimen- p. 7. do, vel coquendo illud efficere docuerint: haec vero extractione, apto menſtruo peragenda, ſolutique olei a menſtruo ſeparatione praecipitationi analoga fiat.

Men-

Menſtruum hoc, ut iam diximus, eſt Naphta chemica, ex ſpiritus Vini rectificatiſſimi et acidi vitriolici concentratiſſimi anatica miſcela deſtillationis ope prolicita, aquae miſceri neſcia, admodum inflammabilis. Huius auxilio extraxit ex variis aromatibus oleum eſſentiale ſequentem in modum: caryophyllorum aromaticorum groſſo modo contuſorum unciae dimidiae affudit naphtae uncias duas; quam miſcelam per tres dies leniſſimae expoſuit digeſtioni. Naphta colorem inde obtinuit ex bruno rubicundum. Solutioni huic decantatae affudit aquae purae fontanae quadruplum, et innatabat aquae oleum ponderis circiter ſcrupulorum ſeptem; coloris ex flauo viridiſcentis, aqua quacunque leuius; ſaporis odorisque caryophyllacei quidem, non tamen genuini, ſed naphtae particulis impraegnati. Idem euenit cum cinnamomo, pipere rotundo nigro, aniſo vulgari; tentauit quoque ex Coffea orientali oleum extrahere felici ſucceſſu, quod tamen empyreumaticum magis, quam aethereum, nobis videtur, cum praeuia toſtione illud euolutum fuerit: Solutio croci cum naphta rubicunda euadebat, addita tamen aqua nihil olei ſeparabatur, ſed aequabiliter inuicem miſcebantur. Opium cum extraheret aquamque affunderet, coagulabatur liquor, et linctus formam acquirebat, qui tamen ſucceſſu temporis in duas partes ſponte ſecedebat, aliam pellucidam, aliam pinguem, flocculentam, conſiſtentia, forma, tactu butyrum referentem, odoris ſaporisque opiati. Quod et fiebat in caſtorei ſolutione excepto eo, quod oleum huius tenacius adhuc eſſet, picemque ex aſſe exaequaret. Subiecit deinde et huic examini alia corpora, nullis foeta oleoſis eſſentialibus particulis, deſtillatione ab iisdem ſeparabilibus. Centaurium minus, cardamomum minus, tabacum, aſa foetida, benzoes, nux moſchata, myrrha oleum exhibuerunt, cuius tamen veſtigia in coccionella, cantharidibus, melle virginiano, euphorbio, nuce vomica,

p. 10.

p. 15.

vomica, fuligine, et aloe ſuccotrina neutiquam apparebant. Ex his igitur adlatis intelligitur, noua hac ratione poſſe parari olea aetherea vegetabilium et breuiori tempore, et ſine empyreumatis metu, viliorique pretio. Ne tamen quis putet, ea liquida, quae Cl. Auctor olea eſſentialia vocat, hunc mereri non poſſe titulum, varia ſub finem addit hoc dubium remouentia aſſerta. Quanquam enim haud neget, eſſe multas admixtas naphtinas particulas, oleoſas tamen ac eſſentiales vegetabilium partes et vires natiuas ſapor aeque ac odor manifeſtant; idemque ex ebullitione, huius liquoris, pauxillo ſacchari inſtillati, et aquae calidae immerſi; quin ex noua ac iterata deſtillatione ſatis ſuperque patere affirmat. A mucilaginoſis, ſalinis ac ſpirituoſis vegetabilium partibus dependere naphtae nunc cum aqua connubium docet; et tandem BECKERVM pharmacopolam hafnienſem iam gloriatum fuiſſe enarrat, quod aromatum olea absque deſtillatione a ſuis corporibus ſeparare nouerit; dubitat tamen Cl. Auctor, num haec ipſi innotuerit ea parandi methodus.

p. 25.

p. 27.

IX.

IX.

The Hiſtory of the Royal Society of London for improving of natural knowledge, from its firſt Riſe. In which the moſt conſiderable of thoſe Papers communicated to the Society, which have hitherto not been publiſhed, are inſerted in their proper Order; as a Supplement to the Philoſophical Tranſactions. By THOMAS BIRCH, D. D. Secretary of the Royal Society. London: printed for A. Millas in the Stand. MDCCLVI. 4to. Vol. I. alph. 2. pl. 19. Tab. aen. 4. Vol. II. alph. 2. pl. 17. Tab. 3.

i. e.

Hiſtoria Regiae Societatis Londinenſis in excolenda ſcientia naturali occupatae, inde a prima eius origine, etc. edita a THOMA BIRCH, Theol. D. et Societ. Reg. Secretario.

Haec duo volumina exhibent excerpta e Diario, commentariis, et libris epiſtolarum Regiae Societatis Londinenſis, inſeruitura tam ſupplemento quam continuationi Hiſtoriae illius Societatis a SPRATO anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo ſeptimo editae. His perpetuo ordine chronologico enarrauit S. R. BIRCHIVS, quae inde a prima illuſtris illius Societatis origine uſque ad initium anni ſeptuageſimi ſecundi praeteriti ſeculi in unoquoque conſeſſu acta, relata, lecta, diſputata, deliberata, vel decreta ſunt; et ſubinde commentarios a ſodalibus exaratos, ac ſocietati traditos, qui nondum foras editi erant, publici iuris fecit. Ceterum excerptis illis Editor non nullorum ſodalium vitas interpoſuit.

Originem

Originem Societati Regiae Londinenſi dederunt conuenticula, Londini iam circa annum praeteriti ſeculi quadrageſimum quintum a doctis quibusdam viris agi coepta, inter quos erant IO. WALLISIVS, IONATHAN GODDARDVS, FR. GLISSONIVS, CHRISTOPH. MERRETVS, SAM. FOSTERVS Profeſſor Aſtronomiae Greshamenſis, et THEODORVS HAAKIVS natione Germanus ex Palatinatu, qui etiam de huius modi inſtituto primus cogitauit, ceterisque perſuaſit, ut certis diebus conuenirent, ac, ſepoſitis rebus politicis et quaeſtionibus theologicis, de rebus ad matheſin, phyſicam, medicinam, et artem nauticam ſpectantibus, inter ſe inuicem colloquerentur. Circa annum milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum nonum, quidam ſodales Oxoniam abire coacti, in hac urbe conuentus habuerunt eadem lege, qua et antea Londini hoc factum erat, et adhuc ab iis, qui ibi remanſerant, fiebat; quin etiam commercium atque amicitia perpetua inter utrosque colebatur, donec circa annum eiusdem ſeculi quinquageſimum nonum maxima pars ſocietatis Oxonienſis Londinum rediit, et cum Londinenſi ſocietate iterum coaluit. Equidem hoc anno publicis calamitatibus interrupti ſunt ſocietatis huius conuentus; at ſequenti anno, cum respublica quietior reddita eſſet, ante tertium Calendas Decembris iterum conuenticula ſua agere coepit, et de inſtituto ſuo per leges ſtabiliendo ſerio cogitare. Poſthac ſingulis diebus mercurii ad colloquia et experimenta phyſica capienda ſunt congreſſi. Anno ſexageſimo ſecundo haec ſocietas a Rege Carolo II. ſocietatis regalis titulo cohoneſtata, et priuilegia quaedam nacta eſt, quae deinceps eiusdem regis diplomatis, anno dicti ſeculi ſexageſimo tertio et nono datis, confirmata et aucta ſunt. Poſtquam numerus ſodalium inſigniter creuerat, placuit ſocietati anno ſexageſimo quarto ſodales in octo Claſſes diſtribuere, quarum prima excolendae

Vol. I. p. 2.
p. 89.
p. 230.
Vol. II. p. 363.
Vol. I. p. 406.

mechanicae, ſecunda aſtronomiae atque opticae, tertia anatomiae, quarta chemiae, quinta agriculturae, ſexta hiſtoriae opificiorum et commerciorum, ſeptima phyſicae, octaua commercii epiſtolici prouin-
Vol. II. ciam caperet. Sequente anno die 6 martii *Philoſo-*
p. 18. *phicarum Tranſactionum* publicandarum, factum eſt initium, et decretum a Societate, ut primo die lunae eiusque menſis noua earum Tranſactionum particula, ſi materia ſuppeteret, Cl. OLDENBVRGIO, qui tunc ſocietati ab epiſtolis erat, Praeſidis permiſſu, ederetur. Habes, Lector, quae ex his voluminibus de origine atque incrementis longe celeberrimae huius ſocietatis, cui matheſis, ſcientia naturalis, et ars ſalutaris tot tantaque augmenta debent, nobis annotanda videbantur.

Reſtat, ut de obſeruationibus et commentationibus, quae in hisce voluminibus occurrunt, quaedam
Vol. I. indicemus, ad noſtrum inſtitutum ſpectantia. Legun-
p. 32. tur non nulla de pluuia prodigioſa. Fama erat, anno ſupra milleſimum ſexenteſimum ſexageſimo primo ſub finem maii in pago prope Varwicum Angliae triticum pluiſſe: ſed re omni exacte perſpecta, iudicauit Societas Regalis, grana illa, pro tritico habita, fuiſſe ſemina hederae, a ſturnis, cateruatim volanti-
p. 38. bus, euomita. Experimenta cum lacrumis vulgo ſic
p. 126. dictis vitreis capta recenſentur. Exhibetur formula pro puluere ad condienda auium cadauera, earumque plumas diu nitidas conſeruandas, utili: ℞. Myrrhae, benzoini, ſtyracis calamitae, caryophyllorum et cinnamomi ana ℥j, calami aromatici et ſulphuris viui ana ℥ß, ſantali albi ʒiij, camphorae ℈j; fiat omnium puluis, qui ſpiritu vini optimo in paſtam reducendus, et exenteratis cadauerum cauitatibus dextre infarciendus eſt.

p. 183. De exhalationibus in fodinis carbonariis varia leguntur.

Proponitur

Proponitur hiſtoria foetus, qui, cum in partu retropreſſus eſſet, in abdomine matris permanſit per octodecim annos; quo tempore labente mater bis adhuc concepit utero, et feliciter peperit, elapſo autem, oſſa tandem foetus ſigillatim per abſceſſum in latere ſiniſtro ortum exierunt. p. 277.

Voluminis II. priora folia varia continent tentamina de aere libero ad combuſtionem corporum neceſſario.

Deprehendimus experimentum ab ingenioſiſſimo et doctiſſimo Cl. HOOKIO factum, an partus modo editus paullo diutius abſque reſpiratione viuere poſſit. Canis villaticae, quinquaginta circiter dies grauidae, abdomen aperuit inter muſculum medium et ſpinam dorſi, et, extracto uno uteri cornu, exemit inde catellum maiuſculum ac viuidum, cuius collo aperto confeſtim ligauit arteriam aſperam, deinde eum calefactis linteis inuoluit, et ad ignem tenuit, ne frigore periret; ſed paucis tamen horae minutis elapſis catellus viuere deſiit. Poſtea alium catulum extraxit, et, non diſruptis eius inuolucris, ita conſtrinxit amnion circa catelli collum, ut nullus aer ad os eius peruenire poſſet. Hic catellus in aqua ad eum caloris gradum, qui erat ventri canis, calefacta poſitus, elapſo minuto oſcitare coepit, quaſi ſpiritum ductu-rus, et mox mortuus eſt. Denique alium catulum, ex eiusdem matris ventre exemtum, in propriis liquoribus ac tunicis, ſine omni conſtrictione aut vi extrinſecus adhibita aeque veloci fato perire vidit. Ex hoc experimento inferre voluit HOOKIVS, non poſſe foetum vitam ducere, niſi ipſius ſanguis aut in propriis, aut in matris pulmonibus ventiletur: quod tamen num inde ſequatur, lectoribus iudicandum relinquimus. Dignum certe videtur experimentum, quod iterum, maiori tamen cum circumſpectione, repetatur. p. 232.

p. 386. Relatio additur de femina nobili, quae mortem ſibi inedia conſciſcere voluit, at poſt ſeptuaginta duos dies, intra quos vix quidquam praeter malorum aurantiorum vel citriorum ſuccum deguſtauerat, tot cruciatuum, quos ſibi abſtinentia fabricauerat, pertaeſa, mortis tandem deſiderium depoſuit, atque ad ſaniorem mentem rediit.

Haec fere ſunt, quae ex hocce opere potuimus excerpere. Multae quidem aliae et obſeruationes, et commentatiunculae, et relationes illi inſunt, ad phyſicam et Medicinam pertinentes: ſed de iis hic dicere alienum ab inſtituto noſtro iudicauimus, propterea quod earum quaedam haud ita ſint comparatae, ut inde quidquam certi colligi, et in ſcientiae incrementum conuerti poſſit, pleraeque vero poſtea in *Philoſophicis Tranſactionibus*, aliisue libris, qui omnibus harum litterarum cultoribus dudum innotuerunt, plenius et accuratius exhibitae ſunt, veluti experimenta in aere rarefacto aut condenſato capta, item ea, quae cum magnete facta ſunt, porro obſeruationes de frigoris phaenomenis et effectis, de letifero viperarum dente, de ductu chylifero, de transfuſione ſanguinis ex uno corpore in aliud.

Ceterum etſi eis, qui hiſtoriam litterariam inuentorum ſuperioris ſeculi tractare cupiunt, tam utile videtur hoc opus, ut eo carere vix poſſint: tamen non dubium eſt, quin et apud hos, et apud alios lectores longe maiorem gratiam iniuiſſet Cl. Editor, ſi indicem rerum et nominum hisce Voluminibus ſubiungendum curaſſet, ſine quo plenus taedii eorum eſt uſus; cum ſaepe plures paginae perlegendae ſint, experimentis affectis et ſucceſſu carentibus, narratiunculis, quales ſermonibus familiaribus immiſcentur, idonea ad fidem auctoritate deſtitutis, actis et geſtis, quae ſcire neminis quidquam intereſt, velut quae ad electionem ſodalium, ad oeconomiam ſocietatis, ad huius modi alia, pertinent, refertae, ante-

quam

quam legentium curioſitati aliquid ſe offerat, ſcitu dignum et ex uſu futurum.

X.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenschappen, te Haarlem. Eerſte Deel. Tweede Druk, te Haarlem by I. Boſch. 1755. 8. Eerſte Stuk pag. 484. tweede Stuk pag. 321. non computatis praefatione et paginis 72. obſeruationes meteorologicas complectentibus. tab. aen. 7.

i. e.

Commentarii Societatis ſcientiarum Harlemenſis. Pars I.

Doctrinis bonis, in primis vero patriae ſuae utilibus, augendis ſymbolas ſuas conferunt viri eruditi, qui anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum quinquageſimo ſecundo coierunt, prima vice, maii viceſimo primo eius anni conſociati. Sereniſſimus princeps Arauſionenſis protectoris ſocietatis titulo uti non dedignatus eſt. Lingua ſibi vernacula utuntur, ut ciuibus ſuis in primis proſint. Iam vero etiam verſio germanica ſub prelo ſudat, cuius magna pars Cl. KAESTNERO debetur. Nos ordine ſcripta recenſebimus.

1) *Calculum fractionum logarithmicum* peculiaribus ſignis faciliorem reddere nititur WILHELM OTTO REITZ, et de numerorum proprietatibus theoremata quaedam non inelegantia ſubiungit. p. 1

2) *De callo oſſium* obſeruata edit THOMAS SCHWENKE. Praemiſſis Hamelianis de callo et oſſi- p. 39.

p. 44. bus rubia tinctis, ſua narrat *. Cuniculo trimeſtri, braſſicae foliis et dauci radicibus flauis foliisque nutrito, auguſti octauo die, anni milleſimi, ſeptingenteſimi, quadrageſimi noni, radium et ulnam pedis anterioris in medio transuerſim verſus inferiora diffregit; deinde pedem in directum extendit, et cuniculo, quo vellet, abire permiſit. Animali viceſimo primo eius menſis occiſo, callum ſatis durum reperiit, ut inſiſtere pedi potuerit: remotis integumentis, vidit perioſteum craſſum fracturae ſuperinductum, quod plicari aliquantum poterat in loco fracturae; vaſa ſanguifera oculus ſaltem nudus non detegebat, viſae autem ſunt fibrae quaedam, ex perioſteo fracturam intrare; calli vero mutuus ſitus talis erat, qualis cartilaginum ſibi adiacentium. Eodem die alii cuniculo eiusdem pedis unicum os eodem modo fregit, occidit vero triceſimo eiusdem menſis. Satis coaluerat os, ut inſiſtere pedi animal potuerit: ſuperius ad latus fracturae macula rubra ſub perioſteo conſpiciebatur, et ipſa fractura adhuc rubebat, perioſteum ſupra ipſam fracturam non adeo craſſum erat, tendebatur vero ſupra fracturam membrana quaedam, veluti celluloſa, uſque ad margines perioſtei diffracti.

p. 46. Pluribus experimentis ſimilibus comperit, perioſteum ſemper cum oſſe diffringi, callum vero exſpectari non poſſe, ante quam perioſteum fracturae denuo ſuperinductum ſit. In fetu primo membranam oſſeam, deinde cartilaginem, tandem os formari notum eſt. Oſſa vero, quae integrum corpus non gerunt, diffracta etiam ſine ferulis rurſus coaleſcere, experimenta haec oſtendunt; ceterum de fracturis ſanandis nihil ex illis infert Noſter. Callum oſſis diffracti epiphyſi comparat, quae cartilagineam naturam diutius, ſaltem

* Quae noſter b. IOH. BENI. BOEHMER, in Progr. *de callo oſſium, e rubiae tinctorum radicis paſtu infectorum. Lipſiae* 1752. 4. *c. f.* expoſuit, eorum notitia videtur non peruenisſe ad Cl. SCHWENKE.

ſaltem donec uniatur, retinet, fibras autem oſſeas per longum ſatis tempus a fibris epiphyſeos diſtingui poſſe, oſtendit. Fracturae oſſium, quarum margi- p. 49.
nes intermedii debite opponuntur, rurſus coaleſcunt, ſiue intermediae partes omnes adſint, ſiue illarum aliqua ablata ſit, ſiue perioſteum etiam deſit, quod in artubus conſpicitur, quorum bina oſſa diffracta ſunt. Imo uno horum oſſium ſaltem fracto, et feſtucis perioſteum alterius intrantibus, ſaepius columna oſſea, ex oſſe laeſo nata, vicino adcreſcit. Coſtas etiam concretas Noſter auditoribus ſuis oſtendit. Hinc infert fetuum gemellorum oſſa tenuia facile poſſe concreſcere, monſtris inde proditurus. Cum oſſis portio periit, ex margine perioſtei fibrae oſſeae exeunt primo molliores, deinde paullatim indureſcentes, aeque, ut carne ablata, proxima loca fibras carneas emittunt. Vt vero ex partibus animalium cica- p. 51.
trices excidunt, dum coriarii illas praeparant, ita callos, vel antiquiſſimos, ex oſſibus excidiſſe militibus et nautis, ſcorbuto graui laborantibus, in Cl. ANSON itinere narratur. Fibras calli diutius a fibris oſſis diſtingui aeque, ac id epiphyſeos fibris contingit, Cl. ROLFINK expertus eſt, cui dum ſceleton componeret, callus magnus ex femoris oſſe diffracto excidit. Oſſium vero tum incrementum, tum fractorum reſtitutionem, ſimilibus naturae effectibus in reliquis corporis partibus ſimiles eſſe animaduertit Noſter. In iunioribus callus celerius naſcitur, ob maiorem vaſorum copiam in illis rumpitur perioſteum, exeunte oſſe fracto, dum interius aliud formatum eſt. Ita puellae maxillam dextram inferiorem excidere vidit Noſter una cum proceſſu coronoide, eam vero alia infra illam nata protruderat, quae artis auxilio ex ore extrahebatur. Oſſa credit ſub perioſteo p. 53.
creſcere, ut, ſi illud deſit, aliud ex marginibus eius enaſcatur, ex baſi vero oſſis fibras et vaſa prodire, quae per os ſe extendant. Recedente lamina oſſea,

ſubiacet perioſteum feſtucae decidenti, tegitque os reſiduum. Ex his ergo infert Noſter, perioſteum eſſe organum illud, unde naſcuntur fibrae oſſeae et cui adhaerent.

p. 56. 3) *De mari ad litora batauica adſcendente, terris vero ſubſidentibus*, commentatur IOANNES LVLOFS. Praecipitaſſe ſententias oſtendit Cl. LINNAEVM et MANFREDIVM, quorum ille ex ſuecicis obſeruatis decreſcere plurium ſaeculorum lapſu mare et a terris recedere, hic altius attolli ex italis intulit. Eſt vero magni momenti haec diſquiſitio batauis. Mare certa lege adſcendere negat Noſter, ſaltem argumentis illorum, qui hoc ſtatuunt, vim nullam ineſſe oſtendit. Perire utique terras, ubi ventis vehementius commotum mare ad litora adliditur, fundamenta illarum eluit, et ut in aquas cadant, efficit, ſed has mutationes regulam, qua effectus per ſaecula edant, non tenere.

p. 94. 4) Singularem caſum *pueri, cui ala molae pneumaticae cranii et cerebri partem abſtulerat, nullo virium animi detrimento, ſanati*, refert I. H. SCHVTTE, M. D. Hiſtoria eſt, quae Ill. ELLERO de animi facultatibus commentandi occaſionem praebuit in ſcriptis Academiae Reg. Scient. Boruſſ. 1752. pag. 299. Hic exempla adfinia adiiciuntur, et infertur cerebri vulnera non ſemper lethalia eſſe, maximum illorum periculum eſſe a pure et ſanguine reſiduis, putredinem efficientibus, trepanationem periculoſam magis eſſe, quam utilem, ſi cranio cerebro impreſſo laeſas animi facultates illibatas adhuc retineat, nec alia ſymptomata grauiora accedant.

p. 112. 5) *Saturninorum, quae vinis admixta ſunt, detegendorum tutam viam* oſtendit H. D. GAVBIVS. Plures morbi recentes Batauiam magis infeſtantes, in primis

primis colica pictonum, vinis adulteratis adscripta a non nullis sunt. Hoc utcunque se habeat, certum tamen est, operae-pretium facere, qui hanc nociuam vini miscelam detegere docet. Spiritum salis eo fini commendarunt plures, Noster vero comperit, nullam ab illo mutationem nasci in vino rhenano et mosellano, in quo ipse saccharum saturni, lithargyrium, plumbaginem, minium, magna copia soluerat, contra acetum plumbi, adfuso vino rhenano et mosellano, turbari, lactescere, sedimentum deponere, aeque ac si spiritus salis adfunderetur, ut erraverint, qui phaenomena saturninorum in acidis solutorum, dum illis spiritus salis adfunditur, in vino, saturninis adulterato, etiam locum habitura, ex analogia intulerunt. Eodem fundamento nititur examen p. 119.
Hockelii in Ephem. Nat. Curios. Dec. III. ann. IV. pag. 78. oleo vitrioli rectificato usi, et aeque fallax est. Nec alcalicorum, quae etiam commendantur, usus aliquis est. Qui vino examinando vere conue- p. 120.
nit liquor, est *atramentum sympatheticum*, ut dicitur, ex uncia auripigmenti et duabus unciis calcis viuae, quae comminuta in duodecim unciis aquae pluuiae digeruntur, conficiendum. Succesfit praeparatio, si miscelae huius guttae quaedam aceto plumbi aut lithargyrii instillatae, ut nigrescat, efficiant. Seruari autem debet in vasis vitreis, bene clausis, non adeo magnis, quia non saepe aperienda sunt. Vinum rhe- p. 122.
nanum et mosellanum, purum, instillatis aliquot guttis miscelae huius in cyathum semiplenum, turbatur et albescit, adulteratum fusco et nigrescente colore tingitur, magis saturato, quo plus saturnini inest. Aliarum materiarum, quibus oenopolae utuntur, ut acerbioribus vinis dulcedinem concilient, nulla Nostro nota est, eadem phaenomena exhibens, ut ex illis admixtio saturninorum tuto colligi possit. Addit vero adulterationem vini hoc modo factam, non adeo frequentem esse, ut aliqui credunt. Refert Cl. p. 125.

COHAVSEN monachos in monaſterio quodam treuirenſi colica pictonum miſere fuiſſe vexatos, quod butyrum in vaſe plumbeo diutius ſeruatum comederant. Noſter vero ait, lue in pecora graſſante, eo malitiae progreſſum quempiam, ut ſaturninis pondus butyri auxerit. Hoc ſi factum eſſe metuatur, idem examen commendat; butyrum purum cum atramento ſympathetico in mortario vitreo tritum, colorem nihil mutat, ſaturninis commixtum rurſus nigreſcit et lutum velut exhibet.

p. 127. 6) *De latitudine in mari extra meridiem inuenienda* commentatur CORNELIVS DOVWES, methodum tradens, quae et captui nautarum accommodata et expedita eſt, illamque prolixe illuſtrans.

p. 157. 7) *De fungo uteri ſanato* refert PETRVS SANNIE. Qui aprilis decimo quinto die, anno ſupra milleſimum ſeptingenteſimum triceſimo ſeptimo, ad aegrotam vocatus, quae tribus aut quatuor annis continuo fere fluxu ſanguinis laborauerat, maſſam mollem, partim vaginam occupantem, partim ex ea pendentem, reperiit, pugni magnitudine, pyri craſſioris collo inſtructi figura, ex fundo uteri, a collo, quantum coniici poterat, digitalis diametri pendentem: Eam filo ſericeo contorto, quam fieri poterat, altiſſime ſubligauit, ſicque verſus exteriora traxit, caute tamen, ne abruptam noua haemorrhagia ſequeretur, paullo enim ante procidente hac maſſa, femina haemorrhagiam experta, viribus erat quam maxime proſtratis. Sic fungi huius pars ſuperior una cum fundo uteri ad vaginam deducebatur, partibus a fluxu ſanguinis continuo flaccidis. Secundam ergo ligaturam operoſius prope fundum uteri applicauit; primam autem ſoluit, vinculorum ſecundae extremis ex vagina propendentibus, ut ulteriori uſui adhiberi poſſint. Remediis et diaeta roborantibus

rantibus adhibitis, enemate, quod roboraret, et iniectionibus, quae separationem adiuuarent, gangraenamque impedirent, in usum vocatis, horarum quadraginta et octo spatio fungus separatus decidit, ne minimo quidem fluxu sanguinis subsequuto. Pondus erat quinque unciarum, magnitudo pugni parui. Femina partus perfectos quatuor ediderat, abortibus non computatis. Vterum exulceratum iniectionibus sanauit, effecitque, ut adhuc, dum haec scripsit, bene valuerit. Menstrua integrum fere annum post cessarunt, deinde redierunt, ordine sanis consueto. Resecto fungo, haemorrhagia aegrota periisset, ligatione vero fungos plures feliciter se sustuliſſe Noster adserit.

8) *De natura et effectibus electricitatis* agit ENGELMAN. Ex vitro, quod fricatur, ignem electricum exire ostendit, cuius locum perpetuo occupet alius ex manu fricantis. Haec autem accuratius explicat, et experimentis electricis illustrat notis illis, sed sententiae suae suffulciendae idoneis, quae cum omnia hic describere non liceat, parum gratiae a lectoribus nostris inituros nos veremur, si systema effectuum electricorum explicandorum, quod Cl. Auctor excogitauit, argumentis suis destitutum exhiberemus. 10. p. 267.

9) C. C. H. *van der* AA *media* examinat, quibus, quorundam iudicio, *uti* DEVS *potuisset ad lapsum protoplastorum impediendum.* Ostendit autem, nullum eorum, quae excogitari a nobis possunt, iustum Deum, sapientem atque benignum, qualem esse scimus, decere, ut sic philosophia verior caussam Dei, lapsum permittentis, tueatur. p. 329.

10) *Mercurium in disco solis, maii 6.* 1753. Lugduni Batauorum obseruauit IOHAN. LVLOFS. p. 372.

11) IO-

p. 379. 11) IOHAN. LVLOFS obſeruauit *eclipſin ſolis octobris* 26. 1756. et

p. 382. 12) *Venerem a luna tectam, iulii* 27. 1753.

p. 385. 13) *De electricitatis uſu in ſanando affectu paralytico-ſpaſmodico* refert Cl. ALLAMAND, Prof. Lugd. Bat. et ſimilia addit Cl. I. D. GAVBIVS, Prof. Lugd. Bat. Puella tredecim annorum, ſola domi ſedens, porta vehementer pulſata, perterrefacta acceſſiones epilepſiae ſenſit, ſanguine miſſo ſedatos, illorum vero loco, dimidium corporis affectus ille, quem diximus, occupauit, ad epilepſiam proxime accedens; Cl. BYLEVELT tamen, peritus medicus, a paralyſi liberauit, niſi quod ſpaſmus linguam adhuc teneret, in ore immobilem, apice linguae verſus interiora reuoluto, ut difficulter poſſet prehenſa extendi, et ſibi
p. 388. commiſſa velut elater rurſus curuaretur. In hoc ſtatu lingua per menſes quatuor manſerat, aegra obmuteſcente, exceptis duabus aut tribus horis, quibus ipſi uſus linguae relictus erat. Corpore ceterum valebat, nullis ſymptomatibus epilepticis per tres ſeptimanas ingruentibus, ut localis morbus videretur, ſuccuſſibus electricis forte tollendus. Scintillas igitur e lingua elicuit Cl. ALLAMAND, paullatim fortiore. Haec cum ter repetiiſſet, hora dimidia quauis vice, mouendi vis aliqua linguae rediit. Quinto die in fornicis figuram curuare puella linguam potuit, apicem tamen adhuc non poterat in rectum extendere. Operationibus electricis decies repetitis, in directum omnino extendere linguam poterat, duodecimo die ex ore protrudere, duobus diebus poſt maxillae ſuperiori apprimere, ſimul balbutire, proximo die litteras ſingulas diſtincte pronunciare. Viginti operationibus, linguae flexibilitas ſua reſtituta eſt, et iam loquitur, etſi tardius, quam ante, ita tamen, ut linguae vitium nullum eſſe appareat. Paullo poſt rurſus

ſus territa epilepſiae acceſſum ſenſit, linguae uſum ſimul perdens, illum tamen mox recuperans. Dolorem ab experimentis nullum ſenſit, niſi puncturas ſcintillarum elicitarum, nullum, cum primum ipſa linguam extenderet, nullum etiam, cum ante alius manu prehenſa extendebatur. Addit Cl. ALLAMAND, Petropoli ſibi ſcriptum eſſe, de vi electricitatis ad guttam ſerenam tollendam, qua femina viginti annorum plures annos coecutiuerat. Ceterum p. 393. credunt Batavi primos ſe electricitatis felices effectus in paralyſi ſananda vidiſſe, idque hac hiſtoria probare conantur. Feminae cuiusdam brachia ambo cum manibus a ſubito terrore adeo paralytica erant, ut ea ne quidem tubo ferreo machinae electricae appropinquare poſſet, ſed ſuſtentaculo eſſent imponenda. Hoc morbo cum integrum annum laboraſſet, anno milleſimo ſeptingenteſimo, quadrageſimo ſexto, electricitatis ope reſtituit IACOB HERMANN KLEYN Amſtelodami, ita, ut recte poſtea valeret. Cl. KLEYNII epiſtolam hac de re exactius edit; intelligitur vero, vel nobis tacentibus, ſcintillas ex locis adfectis eſſe eductas. Haec igitur integro anno acta ſunt, ante quam Cl. IALLABERT, decembri anni ſupra milleſimum ſeptingenteſimum quadrageſimi ſeptimi, ſimilia Geneuae tentaret.

14) *De uſu obſeruationum meteorologicarum* commentatur IO. NOPPEN. Praeter ea, quae ſatis nota ſunt, theologicum etiam uſum reperit in libera et prouida tempeſtatum diſpenſatione; ſimul prodeunt huius viri obſeruationes trium annorum, 1751. 1752. 1753. caloris, ponderis atmoſphaerae, ventorum, pluuiae deciduae, et euaporationis. Habitae ſunt in domo *Swaneburg* appellata, inter lacum Harlemenſem et YE ſita. Ternae ſingulis diebus habitae ſunt obſeruationes, adiiciuntur meteora et coeleſtium adſpectus in eorum gratiam, qui his vim aliquam p. 398.

quam tribuunt. Animus vero eſt Noſtro, haec per integros nouendecim annos continuare, quibus nodi lunae periodum ſuam abſoluunt. Tres annos, qui iam prodeunt, ita imprimi curauit ſocietas, ut partis huius ſectioni ſecundae inſeri poſſint, vel ſeparatim ſeruari, et futuri anni, dum prodibunt, illis adiici.

p.414. 15) *De paralyſi, aegra in curru vecta ſanata,* refert THOMAS SCHWENKE. Feminae latus dextrum paralyticum erat. Illa, cum remediis omnibus fruſtra tentatis optaret, ut curru veheretur, compoſque voti fieret, redeunte curru domum, ſuccuti genu paralyticum ſenſit cum vehemente dolore, quaſi globus candens illud tranſiret. Ceſſauit vero dolor et res in priſtinum ſtatum rediit. Sequente die, idem remedium rurſus tentatura, currum ire iuſſit verſus locum, horae itineris pedeſtris a domicilio ſuo diſtantem, duplo ſcilicet viae eius, quam primo die emenſa erat: viam vero elegit lapidibus aſperam. Dum vehebatur, ingentibus doloribus in artubus aegrotis affecta mente linquebatur. Poſt reditum, manum mouere potuit, nihil brachii vel pedis. Tertio die rurſus viam longiorem emenſa, et dolores in locis affectis perpeſſa, ipſa ex curru exſiliit, a paralyſi omnino libera. Tam ſubitum motus hic auxilium fuit.

p.417. 16) *Mercurium maii 6. 1753 in ſole* vidit Hagae comitum PETRVS GABRY.

p.426. 17) IDEM *meteoron ſolem cingens cum parheliis* depingit.

p. 429. 18) IDEM *eclipſin ſolis octobr. 26. 1753.* obſeruauit.

p.433. 19) *Eadem phaenomena Harlemi* et in loco *Krommenie* obſeruata deſcribuntur. 20)

20) *De iusto pretio conatibus humanis statuendo, ad* p. 436.
Ecclesiast. cap. IX. v. 11. disserit C. C. H. *van der* AA.

Sectio II.

1) *Commentarius, quo methodi variolas per insi-* p. 1.
tionem communicandi defensio suscipitur, probarique tentatur, conscientiae labem inde nec contrahi, nec religionis leges violari. Auctore CAROLO CHAIS. Qui quidem commentarius hic gallice editur, adiecta tamen legitur quoque versio hollandica. Eorum omnino cum laude se iungit numero Cl. Auctor, qui praeiudicia, ulteriorem utilissimi illius inuenti progressum retardantia, oppugnare atque refellere, huc usque conati sunt. Plurima igitur ad hunc finem pertinentia collegit, quae medici circa hanc artis suae partem occupati obseruarunt, publicique iuris fecerunt. Postquam igitur argumenti, quod pertractat, grauitatem, insignis nimirum hominum multitudinis conseruationem, explicuit, ipsamque illam methodum non licitam solum, sed et eius notitiam inter illa dona referendam esse probauit, quae prouidentia diuina nobis concessit, quibus nos a periculis atque damnis, quae naturales minantur variolae, tueri possimus: ea recensет, quae de origine huius operationis chirurgicae constant; ipsam porro illius praestandae docet simplicitatem facilemque obseruandi regiminis modum, multaque alia, quae illam comitantur, commoda, quibus saepius carere debent, qui aliis morbis ex improuiso et praeter opinionem corripiuntur, v. c. selectum prudentis medici, conuenientis anni temporis, aetatis, necessariam praeparationem, euitationem aliorum morborum, alias facilius variolis superuenientium, et quae longe plura sunt; egregium deinde maximumque demonstrat usum inde exspectandum, perque multiplicem ideo ex multis auctoribus collectam comprobat experientiam, decimam scilicet, vel certe decimam quartam omnium, qui p. 6.

terrarum

terrarum orbem habitant, hominum partem conſeruari poſſe, qui alias a variolis, per naturalem viam illos tentantibus, e medio tollerentur; quid? quod eorum, qui ab iſto morbo pereunt, numerus eo minor fiat, quo maior ars colitur atque perficitur. Quibus omnibus probe excuſſis, ipſa Cl. Auctor aggreditur praeiudicia, ex doctrina potiſſimum morali petita, ratione officiorum, quae et ſibi, et vitae ſociis, et ipſi Deo, ſummo omnium rerum humanarum arbitro, quilibet homo debet. Proponit omnino hasce contra hanc medendi methodum factas opiniones ſumma, qua comprehendi poſſunt, veritatis ſpecie; ſummo tamen etiam iudicii acumine, et ſimul modeſte et ita ſoluit atque refellit, ut veritati inde clarior oriatur lux, eiusque veri et candidi amatores eo certius conuinci poſſint. Quum omnia tamen de illa re hic loci dicta et recenſionis limites facile excedant, neque prorſus ſint incognita, neque ad inſtitutum noſtrum ſtricte pertineant: ad ipſum librum lectores noſtros eorum cupidos ablegamus.

p. 102. Commentarium illum antecedentem excipit *epiſtola* eiusdem Auctoris, ad Cl. THOMAM SCHWENKE, Med. Doct. et Anatomiae Profeſſorem Hagae Comitum conſtitutum, data, qua is ſupplementi loco ad illum referendi non nulla inſuper expendit atque confirmat momenta, a Cl. KIRKPATRIK iam diſcuſſa; quorum primum concernit indices aegrorum, quibus variolae per artem communicatae fuerunt. In illis nimirum conficiendis iſti, quibus ab initio huius artis adhuc rudioris inſerebantur variolae, ab iis ſeparari debent, qui nunc, arte et perfectiore et tutiore reddita, earum morbo inficiuntur. Porro in diiudicandis illis indicibus obſeruandum eſt, multorum, qui feliciter artificioſum hunc morbum ſuperarunt, nullam ſaepe in iis fieri mentionem. Optandum denique eſt, ut proximas viſas mortis cauſſas ſedulo inueſtigent et adnotent medici in illis aegris, qui

qui durante ipso morbo pereunt. Ex obseruatis enim hisce apparebit clarius, mortem ab aliis caussis accidentalibus, non facile autem a variolis, prouenire solere; vel certe iacturam, si qua fiat ab hocce morbi genere, fere nullam haberi posse ratione illius, quam efficit ille, qui via naturali atque spontanea homines aggreditur. Probe tamen adnotari debet, felicem operationis euentum dependere ab accurata illa cura, quae aegrorum antea, quam ipsi subiiciantur, habere debet medicus, ut miasma non nisi in corpus iam sanum inferatur. Eam quoque ob caussam alii iam duplices semper optarunt indices, unum eorum, qui, corpore antea rite et optime praeparato, alterum vero eorum, qui, absque accurata praeparatione, morbum susceperunt.

Alterum, quod considerat Cl. Auctor, momen- p. 112.
tum respicit illum metum, quem permulti habent, ne reuertantur variolae in iis, qui eas per artem iam olim experti fuerunt. In praesenti tamen exemplum certum datur adhuc nullum; et illud certe verum est, iis, qui insitis laborarunt variolis, non maius earum forte redeuntium imminere periculum, quam aliis, qui per contagium eas susceperunt. Qua occasione memoratu dignum alicuius puellae Londinensis narratur exemplum, cui miasma varioloſum applicatum fuerat, quae vero, morbum respuens, post breue tempus dimidia nempe hora minus, filum illo pure infectum deripuit, nihiloque minus omnibus variolarum symptomatis correpta fuit.

Repetuntur denique ea, quae Cl. KIRKPATRIK p. 115.
protulit ad refutandam eorum opinionem, qui alios morbos transferri posse putent, illis forte simul inhaerentes, e quibus variolarum morbo decumbentibus depromitur materies, qua alii inficiantur. Iis tamen recensendis nunc supersedemus, quum ea iam

olim ex egregio ipſius Cl. Auctoris libro retuleri-mus *.

p. 122. Sub finem denique narrat Cl. Auctor ab amico quodam, qui per aliquot annos in regno Bengalae commoratus fuerit, ſibi eſſe relatum, inſitionis ope-rationem ibi a longo iam tempore eſſe in uſu, ita, ut medici filum ſericum contortum et materie, ex plu-ribus puſtulis varioloſis collecta, imbutum, et in ea conſeruatum, immittant per acum, huiusque ope per integumenta vel brachii vel ſurae traiiciant, ſic-que morbum excitent. Medicus etiam Bengalenſis quidam, qui hac ratione in duobus infantibus angli-cis fecit variolas, amico illi dixit, ſe uſui adhuc ad-ſeruare pus varioloſum, quod auus, quin et proauus ſuus iam olim collegerint. Alia inſuper huc perti-nentia ex India orientali ſibi enunciatum iri ſperat Cl. Auctor, quibus ipſius huius operationis origo forte clarior certiorque fiet.

p. 283. 2) Cl. ABRAHAMI KAAVV BOERHAAVE *ob-ſeruationes frigoris* exeunte anno 1748 et primis die-bus 1749 ſtil. vet. eduntur. Habitae ſunt Petropo-li thermometro, quod artifex amſtelodamenſis *Prins* confecerat.

p. 285. 3) *Obſeruationes caloris* eduntur, *in naue ad Indi-am orientalem profecta*, thermometro eiusdem auctо-ris adhibito.

p. 288. 4) *Hiſtoriae pueri Cliuenſis* ** additur a 20. iulii 1752 ad ſebtembr. 25. 1753, quo haec prodierunt, egregie valuiſſe, corporis robur conſequutum eſſe et ingenii viribus pollere.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. I, p. 125 ſeqq.

** in Sect. I. n. 4. p. 94.

5) *Praemium* propoſuit ſocietas anno 1753. ei, qui optime deſcriberet, quantum flumina Batauiae in curſu ſuo ſubſidentibus arenis et luto paulatim impediantur, et quibus mediis auxilium ferri poſſit. Vicit MELCHIOR BOLSTRA, Geodaeta tractus rhenani (*rhynland*), ſtatum autem fluuiorum, Rheni in primis, Meredae et Waſelis tabulis depictum ſiſtit; *canalem pannerdenſem* improbat, et quo modo emendari poſſit, oſtendit. Praemium, quantum ex praefatione ſectionis primae intelligimus, ab ipſius ſocietatis munificentia proficiſcitur. Numus aureus eſt, cuius margini nomen eius, qui meruit, annusque victoriae addi debet. Depictus hic ſiſtitur, altera facie religionem et libertatem arae adſidentes exhibens, addita epigraphe: *Deo et patriae*; altera Harlemum e longinquo ſpectandum, in primis autem veritatem, quae ſiniſtra palmam tenet, dextra protenſa lauream; epigraphe eſt: *optime meritis*; in ſegmento inferiore legitur: *Societ. Scient. Holl. Praemium*, et ſculptoris nomen *I. G. Holtzhey fec.* De pretio nunc nihil nobis conſtat, id ſocietas procul dubio indicauit in ſcripto ſingulari de hoc praemio emiſſo, quod nos non vidimus. p. 289.

XI.

Hiſtoire de l'academie royale des ſciences et belles lettres année MDCCLIV à Berlin chés Haude et Spener. 1756. 4. alph. 2. pl. 21. tab. aen. 20.

h. e.

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum et bonarum literarum anni 1756. Berolini etc.

Quae in hoc volumine continentur momenta, phyſico-medicum ſcopum ſpectantia, ſequentia ſunt:

p. 3. 1) *Obſeruationes de vaſorum cupreorum uſu domeſtico noxio habito.* Auctore Cl. ELLERO. Cum paucis abhinc annis vaſorum ex cupro confectorum uſus noxius ac periculoſus, quin et venenatus, a variis fuerit perhibitus, in omni fere Europa haec opinio pro certa aſſumta, multique in ſummum ſuae ſanitatis metum ſunt coniecti. Quia vero perpauci rem ita tractarunt, ut certis ac veris experientiis ſuam probarent hypotheſin, cumque ſine noxa per triginta, et quod excurrit, ſecula vaſa cuprea ad varios uſus et culinares et medicos adhibita fuiſſe perpenderet Cl. Auctor, e re ipſi viſum fuit hoc argumentum paulo curatius diſquirere, et numquid inde ſit metuendum, declarare. Paucis igitur diſſerit de ortu cupri, et de variis uſibus, ad quos a veteribus hoc metallum fuit aſſumtum, ad rem ſcilicet nummariam, ſcalpturam, et ipſo diuino numine praecipiente, ad varia utenſilia in foederis tabernaculo, quin et ad ipſam internam ſalubrem admodum et ab HELMONTIO uniuerſalem dictam medicinam. Cum tamen neutiquam ſufficere videantur monumenta hiſtorica, ad omne praeiudicium exſtirpandum, ſatius duxit Cl. ELLERVS prius, quam uſum vaſorum cupreorum vel pernicioſum vel innoxium praedicaret, ex inſtitutis chemicis periculis in naturam cupri penitius inquirere. In genere igitur primum de omnibus metallis agit, quae, ut conſtat, ſi pura ſunt ac natiua, quanquam in ſcobem minutiſſimam redacta, a noſtra ſaliua nec aliis noſtri corporis humoribus, niſi morbo corrupti ac acres facti fuerint, vix mutantur ac ſoluuntur. Soluta vero vel et in ſal ſuum, vitriolum quod vocant, mutata, ſanguinis maſſae indeque ſecernendis humoribus facillime admiſcentur. Probat id mercurii uſus, qui ſi purus ac viuus in variis morbis magna ſaepe doſi ingeritur, tutum ſatis ac ſalutare ſiſtit remedium, cum e contrario in acidis variae indolis ſolutus, venenatam prorſus induat naturam, ita, ut in forma praecipitati

cipitati rubri, turpethi mineralis, ſublimati corroſiui ob vim cauſticam ac rodentem vix externe, nunquam interne exhiberi poſſit. Ex quibus colligit, omnem metallorum vim venenatam a diſſoluentibus dependere, quibus in ſal ſiue vitriolum ſuum conuertuntur. Accedit ad haec aliud experientia probatum phaenomenon, quod nimirum ad coquendam cereuiſiam, ad conficienda in officinis pharmaceuticis rob, extracta, potiones et ptiſanas, ad depurandum ſacharum adhibentur vaſa cuprea vel ex orichalco parata, ſine eo, quod medici ullam noxam in eius modi praeparatis ſuccis vel guſtu, vel colore, vel in effectu detegere poſſunt. Vt tamen et ipſe certior fiat, et alios de falſa hac praeconcepta opinione conuincat, deſumſit varia ex vegetabili ac animali regno fluida aeque ac ſolida, et ea in vaſis cupreis coquendo detegere anniſus eſt, num quid metallici in coctione abraderetur. Fluida hoc modo praeparata ſola euaporatione, ſpiſſiora vero et ſolidiora vera calcinatione examinauit. Quae igitur deſcripſit, nunc paucis allegabimus. Salis communis unciae quatuor cum aquae depuratae libris quinque in vaſe cupreo coctae, et euaporatae exhibebant puluerem, ex quo acetum deſtillatum viginti grana aeruginis ſeparabat; in vaſe orichalceo eadem quantitas cocta, nihil cuprei, niſi nubeculam in liquore virideſcentem, oſtendebat. Cereuiſia bene lupulata per horae ſpatium cocta, nec aceto vini, nec ſpiritu ſalis ammoniaci affuſo, cupri praeſentiam prodebat, id, quod et in lacte et in vino gallico eueniebat.

Carnem bubulam * additis vegetabilibus, braſſica p. 13.
ſcilicet ac rapa, in vaſe cupreo coxit, et inde ſepara-

 uit

* Nobis tamen conſtat exemplum, carnem bubulam cum vino et aceto vini in cupreo vaſe coctam, aeruginis colore tinctam, ſaporis ſubadſtringentis noxiique effectus fuiſſe repertam.

uit contorquendo omne fluidum, quod calcinatum et cum ſpiritu ſalis ammoniaci ebulliens, ne veſtigium quidem cupri latitantis oſtendit. Id, quod et cum pomis ac pyris aliisque vegetabilibus euenit. Cum vero ſibi perſuaderet, forſan ea vegetabilia, quae ſal quoddam volatile continent ad alcalinam indolem pronum, poſſe aliquid cupri diſſoluere; cepas, allium, armoraciam, carnibus addita coxit, nec tamen ſoluti cupri indicium obtinuit. Rob ſambuci in vaſe cupreo confectum ac calcinatum, ſpiritu ſalis ammoniaci diſquiſitum, ne minimam particulam metalli continebat. Nec in piſcibus, multo ſale addito coctis, nec in coffeae potu, in vaſe cupreo confecto, quicquam cuprei detegere potuit. Cum vero aqua ſimplex cum ſalis copia, ut ſupra dictum fuit, magnam ſatis quantitatem cupri ſolueret, mirum videbatur Auctori, quid ſit, quod carnes variae et piſces cum eadem ſalis portione, per longius temporis ſpatium coctae, eius modi ſolutionem haud efficiant: quod tamen ab admixto carnium mucilaginoſo ac gelatinoſo principio fieri putat, quo ſalis acredo inuoluere-tur, eiusque in metallum actio impediretur.

Ex his omnibus ſatis ſuperque patere putat Cl. Auctor, quam ſibi finxerunt plures Auctorum, opinionem de noxia, imo venenata cupreorum vaſorum ad uſus domeſticos indole, vanam eſſe, nec veris ſuperſtructam principiis. Taxandos igitur affirmat eos, qui nullis inſtitutis experientiis ſolum modo contenderunt hanc hypotheſin, et ita ſocietati humanae imponere nulli dubitarunt: cum quidam eo usque proceſſerint audaciae, ut aquam puram, per nychthemeri ſpatium in vaſe cupreo aſſeruatam, peſtiferam indolem acquirere audacter affirmarent, quod tamen neutiquam, accuratiſſimis licet experimentis inſtitutis, Cl. Auctor detegere potuit.

2) *Neceſſariae ad cognoſcendas plantas diuerſas in digenas, regulae, quarum uſus, eſſe poſſit in coriis conficiendis, et quae loco quercuum atque exoticarum rerum poſſint adhiberi.* Auctore Cl. GLEDITSCH. Quercuum cortices ad praeparanda coria adhiberi, hunc autem uſum, quum magna earum copia requiratur, ingentem ſimul ligni, adeo ad vitae noſtrae commoda neceſſarii, deſtructionem efficere, nemo neſcit, operae itaque pretium ſe facturum eſſe prouide credidit Cl. Auctor, ſi aliquod proponeret remedium, quod omnibus ſimul medeatur, inde metuendis, incommodis. De eo enim eſt quaeſtio, numne etiam inueniantur indigenae et ubiuis obuiae plantae, quae in locum vel iam uſitatarum, vel peregrinarum poſſint ſurrogari. Sunt autem varii coria faciendi modi, quorum non nulli ex minerali regno, alii ex vegetabili eius modi poſtulant auxilia, quibus mediantibus poſſint fila cutanea denſa et ad varios apta uſus reddi, de hac poſteriori ſpecie potiſſimum nunc Noſtro ſermo eſt. Quatuor diuerſa corii genera per vegetabilia praeparantur, nempe: 1. corium commune; 2. corium vaccinum; 3. aluta (*Corduan*); 4. corium turcicum (*Maroquin*). Lixiuia vegetabilium his producendis adhibentur vel frigida vel calida, priora, ut ut maxime uſitata, lentius, poſteriora citius debitum huncce effectum edunt, modi vero adhibendi generalem quandam notitiam exhibet Cl. Auctor. KLEINIVS quidam nouem iam genera noua praeparandi corium, ſingulari ad academiam dato commentario, expoſuit, ſimulque ſpecimina felicis ſucceſſus exhibuit; facta autem eſt illa praeparatio per vegetabilia, penes nos occurrentia. Vegetabilium itaque diſquiſitionem inſtituens Noſter, plus quam ſexaginta iam, huic uſui apta inuenit, quae iisdem inſtruantur, ac quercus, gallae, ſumach, cet. principiis. Sunt illa, quae attendi merentur, principia *fixa, actiua: terreo-gummoſa, vel terreo reſinoſo-* p. 16.

gummoſa. Priora inodora, guſtu acria ſunt, proportio varia eſt, poſteriora ſimul alias moleculas admixtas habent, ut oleoſas volatiles, ſeu principium, quod vocat Cl. Auctor, *vaporoſo-ſpirituoſo-aethereum.* Porro chemico igne plantas diſquiſiuit, principiorum proportionem determinauit, ſimulque ponit, ex diſquiſitionibus ſimilibus veram plantae in arte coriaria utilitatem cognoſci poſſe, et quae prae altera praerogatiuam mereatur: immo actionem quoque inde in coria poſſe intelligi. Solubiles ſcilicet et actiuas vegetabilium moleculas, aeris acceſſu, vaporibus, aqua, maceratione, caloreque ſeparari, hinc faciliorem eas in cutem praeparandam ingreſſum inuenire, et ſine eo, ut animaduertatur, mutationem efficere. Ne fuſiores ſimus, inter alia characterem, ex quo plantam ad dictum iam ſcopum adhiberi poſſe cognoſcitur, certum ponit in mixtione vitrioli martis cum puluere vel decocto talium plantarum. Poteſt autem vel mars ſolui et commiſceri, vel contra, tunc enim in mixta maſſa exſurgit color rutilans, vel profunde ruber coeruleus vel niger, qui ex principiis chemicis aptitudinem plantae ſufficientem declarat.

p. 31. 3) *Tentamina, quae ſpectant ad regenerationem aluminis ex terra ſua propria, per acidum vitriolicum ſeparata; adiectis quibusdam compoſitionibus artificialibus aluminis, ope aliarum terrarum dictique acidi.* Auctore Cl. MARGGRAF. Conueniunt auctores in eo, quod alumen conflatum ſit ex acido vitriolico et terra quadam peculiari; diſcrepant tamen quam maxime in conſtituendo genere huius terrae, quam Cl. STAHL ad cretaceas, Ch. POTT ad argillaceas, Cl. NEVMANN ad calcareas retulerunt. Vt igitur componeret hanc litem, certoque definire poſſet huius terrae naturam, accuratiſſimo chemico examini ſubiecit eam Cl. MARGGRAF. Duplici modo ſeparauit hanc aluminis terram ex ſale ipſo, cum aliam

ex

ex aluminis crudi ſolutione, in aqua feruida facta, ope alcali fixi praecipitauerit et ſiccauerit; aliam vero calcinando praeparauerit, qua encheireſi, expulſo, fortioris ignis auxilio, acido, terram acquiſiuit reſiduam. Has utrasque terras variis diſquiſiuit experimentis, quorum tamen effectus in utrisque eosdem fuiſſe ſtatim ſub initio monet. Huius ergo terrae certam quandam copiam admiſcuit ſpiritui vitrioli, quae, quamuis in principio non efferueſceret, tamen cum acidum propius ad ſaturationem accederet, vehementer et cum inſigni calore ebulliebat. Haec ſolutio euaporata et frigefacta cryſtallos quidem deponebat, neutiquam vero et figura et conſiſtentia alumen referentes. Nec alius erat effectus, quamuis ad rubedinem uſque calcinauerit terram, vel loco ſpiritus ipſum vitrioli oleum affuderit. Ex mente igitur Cl. POTT, quid argilla cum acido vitriolico mixta efficeret, tentaturus, ſubtiliſſimas puriſſimasque argillas varias, cum oleo vitrioli in retorta ad ſiccitatem deſtillauit; reſiduum ſoluit in aqua ebulliente, ſolutionem artis lege cryſtalliſauit, et eundem, ac in praecedenti, expertus fuit effectum, qui idem erat in argillis fortiſſime calcinatis. Cum itaque deeſſe ipſi aliquid adhuc videretur, ad conſuetas encheireſes confugit, et addito alcali fixo vel et volatili praecipitauit ſoluta in aqua ſalia, ex praecedentibus acquiſita, et tunc ex omnibus his verum, purum, in nitidas cryſtallos formatum alumen obtinuit. Non vero omnis argilla in acido ſoluebatur, ſed circiter ex uncia una argillae purae, oleum vitrioli drachmas duas cum ſcrupulo uno terrae aluminaris educebat, ut igitur pateret, ineſſe quidem terris argillaceis terram aluminis propriam, attamen diuerſam eam eſſe et ab argilla vera et a calcareis glebis, quod ulterius in ſequentibus demonſtrare annititur. Paucis tandem explicare ſtudet, cur addito opus ſit alcali in praeparatione aluminis, et qui fiat, ut nullas cryſtallos ſine

eius miſcela obtineamus. Putat nimirum alcali hoc additum deſtruere certam partem pinguedinis tenacioris, in lixiuio aluminis deprehendendam; vel etiam turare acidum, quod ob nimiam copiam cryſtalliſationem impedire ipſi videtur. Varias demum alias terras ad argillaceas referendas ſchiſti ſiue fiſſilis lapidis e. g. in examen vocauit, et ex his aeque, ac ex ſupra dictis, alumen parauit; quod tamen cum bolo alba et creta hiſpanica nullo modo efficere poterat.

p. 41. 4) *Continuatio experimentorum de terra aluminis.* Auctore eodem Cl. MARGGRAF. Cum affirmarit in praecedentibus, terram aluminarem, quamuis argillis inſit, diuerſam tamen ab illis prorſus eſſe, atque peculiaris omnino indolis, nunc variis experimentis inſtitutis, hoc ſuum aſſertum probare conatur. Adhibuit ad has experientias terram, ex alumine praecipitando ſeparatam ac edulcoratam, in qua, cum in acidis, potiſſimum mineralibus, eam ſolubilem penitus deprehenderit, indolem quandam alcalinam detexit. Nec tamen eam calcaream dicere audet, quia cum acido vitrioli alumen, minime vero, ut reliquae, calcarearum, ſelenitidem producit. In nitriacido cum magna incaleſcentia ſoluebatur, quae ſolutio ſaturatiſſima, cum aqua ſimplici diluta et filtrata, nullum ſal in forma cryſtallina praebebat, ſed magna illud exſiccatum ac aeri liberiori expoſitum deliquiſcebat, eundem in modum, ac aliae calcareae terrae in nitri ſpiritu ſolutae. Neutiquam vero hic liquor affuſo acido vitrioli praecipitatum ſeleniticum efficiebat, ſed illud in aqua facillime ſoluebatur, et tunc addito alcali in aluminis forma apparebat. Praeter ea haec ſolutio in aere facta, in retorta vitrea deſtillata, reliquit veram terram aluminarem, quae tamen, ſummo licet igne toſta, neutiquam BALDVINI phoſphorum ſiſtebat, quem conficere ſolemus ex terris calcareis, cum acido nitri ſolutis. In ſalis acido omnia

eodem

eodem modo eueniebant, et remanebat terra aluminaris in forma aluminis usti in retorta, nec tamen fundi poterat, ut sal ammoniacum fixum. Idem fere euentus fuit, si cum acidis vegetabilibus vel animali, aceto, crystallis tartari, sale acetosellae, succo citri, acido formicarum disquisita fuit terra, quae omnia cum calcareis terris sal medium crystallisatum efficiunt, cum nostra vero terra omnem crystallisationem respuunt. Addidit sal ammoniacum huic terrae et ex retorta destillans sperabat, fore, ut acquirat spiritum urinosum. Sed spes fefellit, cum loco spiritus alcalini, acidum salis ammoniaci separatum prodiret, ex residuo vero soluto in aqua, alcali fixi ope nihil aluminis praecipitaretur, sed liquor limpidus maneret. Nitro aeque ac sali communi mixta haec terra ex utroque acidum latitans expellebat, et ex harum praeparationum residuis magna adhuc copia et nitri et salis communis educi poterat. Cum alcali fixo mixta, et summo ignis gradui exposita, non exacte fundebatur, nec causticam acquirebat indolem. Calcinata terra aluminaris fortiter, cum aqua adfusa non, ut mos est calcareis, efferuescebat; nec cum sulphure in aqua cocta, sulphur soluebat; nec, ut cretaceae aut calcareae terrae, ex cinnabari in forma sua mercurium restituebat. Quae cuncta experimenta quoque cum ea terra instituit, quam calcinando ex alumine parauit, nec tamen alium effectum vidit: unde pro certo affirmat, hanc terram, basin aluminis constituentem, in calcarearum neutiquam esse recipiendam numerum.

5) *Continuatio ulterior disquisitionis terrae aluminaris*, eodem Auctore. Addit plures adhuc cum dicta saepius terra institutas experientias; quarum aliae cum salibus reliquis, tartaro vitriolato, sale mirabili GLAVBERI, factae, nullam in terra hac mutationem efficiebant; borax vero admixtus et cum ea fusus p. 51.

massam

maſſam quandam vitream producebat, quam et nitroſum ſal fuſibile ſiſtebat. Cum arſenico mixta et deſtillata, ipſius colorem non inquinabat, cum e contrario calcareae terrae gryſeum colorem ipſi conciliant. Aeri expoſita haec terra bene exſiccata augebatur in pondere, quod forſan ab acido vitriolico, ipſi ſeſe inſinuante, dependere autumat Cl. Auctor. Variis quoque terrarum ſpeciebus admiſcebat hanc noſtram terram, ut, quamnam earum admixtione induceret, qualitatem perſpiciat. Cum ſabulo puriſſimo mixta, neutiquam in fluorem redigebatur, ſummo licet igne adhibito, ſed puluerulenta manebat, quod etiam cum creta eueniebat et ſelenitide. Addito ſtentitide et larditide cum aequali ſabuli portione, in vitream maſſam flaueſcentem, duram, opacam abibat, quae borace admixto pellucens, topazii ad inſtar euadebat. Cum argilla mixta et igni fuſorio expoſita, maſſam opacam, vitream, albam, ſatis duram producebat, quam ad varia paranda utenſilia aptam iudicat Noſter. Cum vitro vero comminuto maſſam porcellanae ſimillimam offerebat. His expoſitis, quas cum calcibus metallorum, argenti, cupri, ferri, ſtanni, plumbi, vel et cum ſemimetallis ſubeat terra aluminaris mutationes, fuſe ſatis ac ſolide explicat, et quaenam in his obſeruauerit, phaenomena ulterius declarat. Sub fine tandem diſputat adhuc, de indole reſidui illius, quod poſt factam ope acidi vitriolici ex argilla extractionem terrae aluminaris, remanebat, et quod cum illa coniunctum veram argillam ſiſtebat. Hoc ſcilicet reſiduum omnino ad vitreſcentium terrarum claſſem eſſe referendum variis experimentis demonſtrat, affirmatque omnem argillam puram in mixtione ſua conſiſtere ex terra aluminari et ſubtiliſſima arena. Vnica vero, quam cum calcareis terris communem habet, proprietatem terra noſtra, ea eſt, ut cum acido vitriolico coniuncta pyrophori baſin conſtituat. De reliquo vero neutiquam ad calca-

reas

reas eam esse referendam ex adlatis satis superque intelligitur.

6) *Dissertatio physico-philologica, super locum plinianum in historiae naturalis lib. XXXVII. cap.* 47.* *ubi disserit de gemma veterum, Asteria dicta.* Auctore Cl. LEHMANN. In omni fere doctrina conqueruntur eruditi de summa veterum in definiendis vel et describendis rebus confusione et obscuritate, qua fit, ut saepissime dubii haereamus, num eandem rem sub hoc intelligamus nomine, quam intellexerint prisci aeui auctores. In historiae naturalis campo potissimum permulta occurrunt, quae hoc assertum satis superque probant. Inter quorum numerum et referenda videtur Cl. LEHMANNO gemma, quam in citato loco descripsit PLINIVS, et de qua magna satis inter lithophylos hucdum fuit disceptatio. Adfert Cl. Auctor variorum celeberrimorum scriptorum mentem, BAYERI, VOLCKMANNI, MYLII, BOCCONIS, WALLERII, BOETII, CARDANI, AGRICOLAE, quos tamen omnes longe alias, ac PLINIVS, fouere sententias affirmat, cum eorum alii sub asteriae nomine petrefacta corallina, alii entrochos vel trochitas, vel astroitas, alii opali speciem intelligant: hinc eos omnes vix veram asteriam PLINII vidisse suspicatur. Cum vero ipsi contigerit inuenire in vicinis Berolino agris lapillum, qui nomen hoc plinianum mereri ipsi visus est, eum hic in tabula aenea depictum copiose describere nullus dubitauit. Est vero ille lapis silex siue fragmentum quartzi colore amethystino tinctum. Apparent in superficie huius lapilli, stellae sex, quarum quaeuis ex quinque constat lineis, totidem coloribus tinctis. Exterior stellae linea est dodecahedra, colore sapphiri, coeruleo, p. 67.

* In editione Basilienſi anni 1549, aeque ac in Dalechampiana, hic locus in Lib. XXXVII capite nono legitur.

coeruleo, pellucida: altera conſtat materia quartzoſa, opaca, alba; tertia octahedra, colore, ex albo amethyſtino parum diaphana: quarta aeque octahedra opaca prorſus ex quartzo conſtat; et quinta tandem, quae intima eſt, onychem aemulatur et coloris et pelluciditatis ratione. Diameter et latitudinis et craſſitiei lapidis dimidium exaequat pollicis. Data hac deſcriptione nunc demonſtrare annititur, reiectis aliorum ſupra adductorum ſcriptorum opinionibus, hunc lapillum veram eſſe plinianam aſteriam *, cum qui in

* Quanquam gratiſſimum nobis fuerit, nitidam hanc glebam et mirum naturae in producendis corporibus luſum deſcriptum a Cl. Auctore legere, dubium tamen nobis ſubortum fuit, num hic lapillus Aſteriae PLINII nomine ſit inſigniendus. Ex ipſa, quam adtulit PLINIVS, huius gemmae deſcriptione patere ſatis nobis videtur, opalum WALLERII virideſcentem, aſtritam quem CARDANVS, oculum cati vulgus appellat, iure ſibi hunc titulum vindicare. Minime enim, ut Cl. LEHMANN in ſua paraphraſi monet, aſteria eſt lapis, qui ſtellis ornatus ſuperbit, cum ipſe PLINIVS aſteriae nominis etymologiam paulo infra eam dicat, quod contraria ſoli radios referat. Nec conſentimus cum Cl. Auctore in eo, quod verba PLINII: *quod incluſam lucem pupillae modo quandam continet*, ita explicauerit: *quoniam ſpatia lucida continet. quae cum pupilla conueniunt*; cum potius coloris tantum ratione totum lapillum iridi animali ſimilem eſſe nobis perſuadeamus, quod et PLINIVS indicauit ſequentibus, ubi dicit: et cum inclinatione transfundit lucem, velut intus ambulantem ex alio atque alio loco reddens, et CARDANVS ita exprimit; eſt gemma dura, quae ſolem, dum circumuertitur, oſtendit intus lucentem. Hinc a recentioribus commode *giraſole* appellatur. Quam igitur nos vidimus aſteriam gemmam, omnino conuenit cum dicta opali ſpecie, quamuis mallemus eam propriam inter gemmas conſtituere ſpeciem, ut Cl. HILL in ſua foſſilium hiſtoria pag. 600 monet, cum vere ab opalo ſua opacitate aliisque notis differat, unde

in omnibus notis exacte conuenire visus est Cl. Auctori. Nec tamen naturae artificium, quo utitur in efformandis ac pingendis eiusmodi lapidibus declarare suscipit, cum et eruditissimos ac solidissimos physicos in rebus tam arduis tamque difficilibus vix certi quicquam detegere posse affirmet.

7) *Dissertatio, de malo caule humili, fruticoso, nec non de specie quadam degenere, feminina, apetala, eiusque varietatibus.* Auctore Cl. GLEDITSCH. p. 76. Mali varietates pene sunt innumerae, et per culturam perpetuo nouae fiunt, nec nostris tantum temporibus, sed olim iam magni aestimatae, quod pro sua quidem in studio botanico scientia, uberioribus ex omni antiquitate petitis exemplis, confirmat Cl. Auctor. Praeter *malum sylueſtrem* autem, quae foecunda quasi reliquarum varietatum mater creditur, et sola, aliam adhuc naturalem speciem esse adserit, *malum* nempe *pumilam*, quam Germani *Iohannis-Apffel*, vel *Iohannis-Holtz* nominant. Hanc veram esse speciem id quoque manifestat, quod nullum adsit exemplum, quod sylueſtrem dictam malum, ut ut sponte crescentem, minorem restitisse declaret. Expositis autem *nanae*, cui Cl. Auctor nomen sequens imponit: *Malus caule fruticoso, humili*, synonymis, de reliquis conditionibus circumspiciens Noster, patriam incognitam esse dicit, eamque ob teneritudinem plantae Orientem esse credit. Humilis autem statura, nulla arte mutanda characterem certum specificumque exhibet, nec non quod praecocia, id est, mense iam iulio auguſtoque matura mala fert. Materiem habet porosam, raram corticemque succosum.

Praeter

unde et factum est, ut PLINIVS opalum in peculiari capite descripserit.

Praeter hanc autem vitioſa, ut appellat Cl. Auctor, dicenda morboſa forte, varietas datur, a priori degenerans. Quoad omnia cum priori conuenit, ſolo flore differt. Deſcribit eandem Cl. Auctor nomine hoc: *Malus degener, caule humili, fruticoſo, floribus apetalis foemineis.* Quo eo melius differentia ab ante deſcripta pateat, utriuſque floris icon exhibetur tum in naturali, tum in aucta magnitudine. In degenere hac varietate loco petalorum ad calycis lacinias aliae adcreſcunt, anguſtae, breues, concolores, deſunt ſtamina, ſed ſtylos obſeruamus nouem ad duodecim. CAMERARIVS ſtylorum quosdam pro ſtaminibus vitioſis habet, quorum tamen nullum veſtigium in multis diſquiſitis exemplis ſe inueniſſe aſſerit Noſter, uſus hac occaſione exponendi ſuam, de foecundatione plantarum relatiuarum vel defectiuarum, opinionem, alibi uberius exponendam. Conſiſtit autem in eo, ut puluerem antherarum fertilem non aere ſolum, ſed apum potiſſimum acceſſu afferri atque foecundationem facere; hinc autem plantas generari hybridas poſſe. Defectus autem rationem, in corolla et ſtaminibus deprehenſi, in vaſorum numerum admodum exiguum reiiciendum eſſe putat.

p. 84.

p. 92. 8) *Obſeruationes anatomicae de calculis, in variis humani corporis partibus repertis.* Auctore Cl. MECKEL. Nulla fere eſt corporis humani pars, quae non interdum calculis ibidem genitis repleta inueniatur; Nec cerebrum ipſum, quamuis molliſſimum et ſubtiliſſimum totius corporis viſcus, excipiendum erit. In hominibus mente alienis ſaepius vidit Cl. GÜNTZ glandulam pinealem, corporibus ſabuloſis refertam, hinc et cauſam maniae ex hoc phaenomeno forſan petendam exiſtimauit. Quod tamen neutiquam pro vero aſſumit Cl. MECKEL, cum in quatuor additis obſeruationibus, circa hanc rem in melancholicis inſtitutis,

ſtitutis, tres glandulas pineales integras ac ſanas deprehenderit, et in unica quarta tantum calculi inſignis magnitudinis, texturae fibroſae, pumicis ad inſtar, in lobulo poſteriori hemiſphaerii ſiniſtri poſt glandulam pinealem latitantis, mentionem faciat. Hinc, cum et in aliis hominibus ſanis ante mortem viſis, huiusce modi glandulae pinealis corruptionem inuenerit, vix eam pro cauſa mentis alienationis aſſumendam ſtatuit. Alius ſpeciei lapilli reperiuntur in cyſtide fellea, qui inflammabiles ac friabiliores ſeu molliores omnibus aliis deprehenduntur. Differunt hi calculi et ſubſtantiae et figurae ratione, de quibus varia adducit exempla et alios ouales, alios ſphaericos, alios triangulares, alios planos deſcribit. Copioſe ſaepius inſunt cyſtidi felleae, ita, ut in variis ſubiectis viginti quatuor, quin immo quingenti reperti fuerint. Ex omnibus allegatis obſeruationibus tandem demonſtrat poſſe ab ipſorum colore aeque ac pondere coniectura effici ad eorum inflammabilitatem, docetque leuiſſimos et coloris picei eſſe omnium maxime inflammabiles, hos excipere albos, ſuperficie politos, quo magis vero ad nigrum vergant colorem, et quo plus habeant ponderis, eo minus in ſe phlogiſti continere. Accedit tunc ad eos calculos, qui non ſunt inflammabiles, ſed ex terreſtribus particulis, lympha auxiliante, conglutinatis conſtant. Frequentiſſime horum genus occurrit in iis partibus, quae ſecretioni urinae dicatae ſunt. Multa adfert Cl. Auctor lectu digna de his vel in renibus, vel in pelui renum, vel in ureteribus, vel in veſica urinaria, inuentis, quae quomodo et ſubſtantia, et figura et magnitudine differant, optime oſtendunt. Rarius reperiuntur calculi, eiusdem, ac praecedentes, ſubſtantiae in corde, ac muſculis; inuenit tamen Cl. Auctor in corde humano duabus vicibus lapillos generatos, quorum alter orificium venoſum ventriculi poſterioris ſiniſtri in ambitu cingebat, alter vero eiusdem ventriculi orificium

cium auriculare annulo quaſi obducebat. In muſculis femoris viri ſexagenarii fere omnibus copioſe latitantes lapillos inuenit, qui, et formam et ſubſtantiam ſi reſpexeris, conueniunt cum iis ex corde deſumtis. Eiusdem etiam ſubſtantiae ac conſiſtentiae dicit eas concretiones, quae ſaepiſſime in bronchialibus haerent glandulis. Et in inteſtinorum canale, potiſſimum inter coli tunicas, et in alis veſpertilionum ſaepius lapillos minores vidit: nec ipſa ſeminalia vaſa deprehenduntur ab iſtis concretionibus libera, cum in ſenum vel et eorum, qui chronicis morbis laborarunt, veſiculis ſeminalibus obſeruauerit calculos. Quae in arteriis occurrunt lapilli, oſſificationes vulgo qui dicuntur, forma quidem, neutiquam vero ſubſtantia ab his differunt. Vidit Cl. Auctor in femina ſeptuagenaria aortam deſcendentem, ab origine meſaraicae ſuperioris ad diuiſionem iliacarum uſque in lapideam maſſam conuerſam. In alio corpore coronariae cordis uſque ad minores ramificationes induratae apparebant. Plura arteriarum lapillos in ſe continentium exempla ſe allegaturum promittit in peculiari de corde eiusque vaſis maioribus tractatu.

p. 112. 9) *Deſcriptio monſtri cyclopis, nati Berolini die decimo nono februarii, anno* 1755. Auctore Cl. ELLERO. Monſtrum hoc fuit excluſum partu ſatis laborioſo a femina triginta annorum; corporis longitudo aequabat duos pedes cum quatuor pollicibus; capitis vero pedem unum et lineas tres, quae capitis moles ab hydrocephalo dependebat. Vnicus ipſi erat inter os, et frontem valde latam oculus, colore rubro, in foramine quadrangulari latitans, nullis nec palpebris nec ſuperciliis tectus. Vnde et ipſi impoſitum fuit cyclopis cognomen. Sub hoc oculo, excreſcentia carnea, craſſa, cylindrica apparebat, quae priapum ex aſſe referebat, urethra, glande et praeputio inſtructa, oculumque maximam partem tegebat.

bat. Copioſe ac fuſe deſcribit omnes huius monſtri partes Cl. ELLERVS, cum vero ſine adhibitis iconibus vix ſatis intelligi queant adlata, eorum ulteriori recenſioni hic ſuperſedemus, et lectorem, plura ſciendi cupidum, ad ipſam tractationem Cl. Auctoris remittimus.

10) *Catalogus plantarum, quae ad tentamina, corium conficiendi, adhibita fuerunt.* Probauit ſuperius Cl. GLEDITSCH, eſſe characteres, ex quibus eluceſcat aptitudo plantae ad propoſitum ſcopum, hic relatae plantae videntur ſecundum dictam methodum examinatae fuiſſe, inter quas optimae ſunt repertae, quae adſtringentem, acidam, crudamque continebant ſubſtantiam. Repetere hic catalogum, qui nomina latina, germanica et gallica plantarum exhibet, non poſſumus, notamus tantum non nullas florentes, vel earum flores, alias in foliis, ramis, fructibus immaturis, ſeminibus, nec non radicibus, moleculas ad hunc finem idoneas, continere, nec dubitamus, alias adhuc, ulterioribus factis experientiis, his addi poſſe. p. 124.

XII.

D. IOHANN EHRENFRIED THEBESII, *des Königl. Preuß. Glogauiſchen* Collegii Medici et Sanitatis Adiuncti, *und Creyſs-und Stadt-Phyſici zu Hirſchberg, Hebammenkunſt. Mit Kupfern. Hirſchberg und Liegnitz; bey David Siegert.* 1756. 8. 1 *Alph.* 19 *pl.* 31 *Kupfertafeln.*

i. e.

Ars obſtetricia: Auctore IO. EHRENFRIED THEBESIO, M. D.

Hirſchbergae, quae urbs circuli eiusdem nominis in Sileſia inferiore caput eſt, per multos iam annos cum laude non medicinam ſolum fecit Cl. Auctor, ſed ex muneris etiam, quo fungitur, ratione, qua rerum publicarum ad ciuium ſanitatem pertinentium curam gerere debet, artem inſimul coluit obſtetriciam, tum feminis difficulter parturientibus manum praebendo auxiliatricem, tum obſtetrices publica auctoritate denominandas, num artis ſuae peritae ſatis ſint, tentando. Quum igitur gerendi huius negotii ſummam ſaepius in iſtis feminis deprehenderet inſcitiam; inſuperque Collegium Medicum a Potentiſſimo Boruſſorum Rege Glogouiae conſtitutum, cui ipſe Cl. Auctor Adiuncti nomine adſcriptus eſt, ante aliquod tempus medicis in ſingulis ſuae ditionis circulis Regia auctoritate conſtitutis imperaret, ut publicas haberent ſcholas obſtetricias, eamque artem docerent feminas hoc officiorum genere olim defuncturas; nullum vero, in quod praelegeret, artis compendium germanica lingua conſcriptum, fini ſuo aptum adeſſe intelligeret: hoc demum cepit conſilium, ut ipſe talem librum exararet, quo cuncta hanc artem attinentia, et a recentibus potiſſimum medicis inuenta, vel emenda-

emendata, cum in publicum, tum priuatum medicorum et obſtetricum uſum comprehenderet. Optime etiam, quem ſuſcepit, laborem praeſtitiſſe ipſum laetamur, adeo, ut ex huius artis libris, vernacula noſtra lingua conſcriptis, quem anteferamus praeſenti, noſcamus adhuc nullum, ideoque eum etiam hunc in finem ſingulari modo commendare poſſimus, ut ad eius ductum germanae obſtetrices inſtituantur. Interim tamen nec feminis obſtetricantibus ſolum et medicis illas ſuam artem docturis ille eſſe poterit utilis, ſed et alii iuniores in primis medici, licet ipſi manum praebere nolint parturientibus, quum iis tamen conſilia certe ſaepius dare debeant, multum ex eo capient utilitatis. Praeter ipſas enim regulas ad manus applicandae peritiam dexteritatemque ſcitu neceſſarias, permulta quoque addidit Cl. Auctor ex therapia generali dicta huic ſpeciali praxeos medica parti applicata, quorum obſeruatio in puerperis medico ſoli, non obſtetrici, competit, licet ea ſaepius a multis medicis nimium omnino negligantur. Clarius tamen haec iam dicta, vel ex ipſo duntaxat generali totius libri conſpectu, quem exhibebimus, patebunt.

In *quinque* enim *ſummas partes* omnis ille diſpeſcitur, quarum *prima de partibus ſexus feminini, generationi inſeruientibus, earumque uſu*, agit. Breui itaque earum, tum *oſſearum*, tum *molliorum* expoſitione anatomica praemiſſa, ea, quae ad intelligendam rationem *fluxus menſtrui*, *virginitatis*, *ſterilitatis* et *foecunditatis*, tandemque *conceptionis*, et *incrementi foetus* ex phyſiologicis doctrinis hic loci repeti debent, *ſex capitibus* proponit.

Secunda porro libri *pars de grauiditate tribus ſe-* p. 51.
ctionibus abſoluitur, quarum *prima de ſignis grauiditatis ſex* iterum capitibus docet, quo modo *orificium uteri tactu explorari debeat?* Quaenam *ſigna* ſint *grauiditatis incerta* et accidentalia, et contrario *certa*

eiusdem vere praesentis; foetus insuper *viui* aut *mortui; unius pluriumue foetuum*, atque *grauiditatis* falsae, siue eius corporis status, qui veram grauiditatem si-
p. 96. mulet. *Altera* deinde *sectio* prophylactica dicenda, exponit ea, quae circa *vitae rationem*, quam respectu sic dictarum sex rerum non naturalium habere debeat grauida; quae circa *venae sectionem* porro, *purgantium* atque *clysterum*, *balneorum* et *unguentorum* usum, ipsamque tandem per ultimum gestationis mensem ad appropinquantem partum faciendam *praeparatio-*
p. 116. *nem*, obseruanda sint. *Tertia* deinde *sectio praecipuos*, quibus grauidae obnoxiae fieri queant, vel quae in iis singulari modo attendi debeant, *morbos* per viginti capita recensetur: *digestionem* nimirum alimentorum vario modo laesam, *dolores* aliaque *mammarum* vitia, *infimi ventris* vicinarumque partium *dolores*, *urinae* praeternaturalem vel *retentionem* vel *incontinentiam*, *seri* copiosi e genitalibus *profluuium*, *uteri tympanitidem*, *haemorrhagiam* eius, *haemorrhoidum* varia genera, *varices*, *haemorrhagiam narium*, varia in foetu obuia *vitia* a *terrore matri incusso* vel *laesa eius imaginatione* prouenire putata, *prolapsum uteri* aut *vaginae*, *hernias*, *affectus* varios *hystericos*, *febres*, catarrhales in primis et quarum causa proxima pulmones obsidet, *aluum* varia ratione *laxam*, *varialas morbosque venereos*.

p. 119. *Tertia*, quae sequitur, libri *pars* inter ceteras est amplissima, *deque* ipsis *parturientibus* agit, et *quinque sectiones* continet, ex quibus *prima* de *doloribus ad partum*, *instantis partus signis* et de iis, quae ab *obstetricante*, *parturiente* et *aliis*, qui *adstant*, hominibus
p. 247. obseruanda sint, differit. *Altera sectio rationem*, qua *partus naturalis* fieri solet, et *quid obstetricans* in eo
p. 269. casu facere debeat, exhibet; *tertia* vero *partus praeternaturales* et pro variis foetus partibus primum obuenientibus varios, simulque modum per duodecim capita explicat, quo partes illae in conuenientem

situm

ſitum referri ipſeque foetus inuerti extrahique poſſint, *Quarta ſectio* non nullos alios partus modos tradit, ſi *uno* nimirum *plures foetus* excludendi adſint; ſi *ſpurius obuenerit conceptus* ille nimirum ita appellandus, ubi ab initio ſui embryo deſtitutus nutritione fuerit extinctus, reliquis tamen ad eum pertinentibus partibus in maiorem molem excreſcentibus, donec a natura expellantur; ſi porro *abortus* aut *partus* demum *praecox* accidat, vel ipſe *foetus* iam *mortuus* ſit. *Quinta* denique *ſectio de grauibus quibusdam et naturali et praeternaturali partui interdum ſuperuenientibus ſymptomatis*, ideoque, de *ſpuriis* vel *non* ſatis *valentibus* aut prorſus *euaneſcentibus* ad partum *doloribus*, de *haemorrhagiis* ipſo partus tempore accidentibus, de *parturientium vomitu, lipothymiis, motibus epilepticis, herniis*, tandemque de *ſecundinarum extrahendarum difficultatibus* agit. Tria inſuper huic ſectioni *appendicis* nomine adiecta ſunt capita de *operatione caeſarea* dicta, *molis*, inſtrumentoque ROONHVISII, quo modo illud conficiatur adhibeaturque.

p. 374.

p. 390.

Quarta libri *pars* ipſas nunc *puerperas* reſpicit, et in *prima ſectione vitae regimen* ab iis obſeruandum, in *altera* dein *ſymptomata* per naturae ordinem expectanda, *lochiorum* ſcilicet *fluxum*, *dolores* poſt partum et *lactis* in mammas factum impulſum, in *tertia* autem *ſectione* illa proponit *ſymptomata*, quae *praeter naturam* interdum affligunt puerperas, *prolapſum uteri* nimirum, *perinaei rupturam*, *inteſtini recti prolapſum*, *lipothymiam*, *epilepſiam*, *apoplexiam*, *paralyſin* et *affectus hyſtericos*, *haemorrhagiam*, vel nimis *copioſum lochiorum fluxum*, vel eorum *obſtructionem*, *uteri inflammationem*, *dolores imi ventris*, *labiorum vaginaeque laeſionem*, *urinae retentionem vel incontinentiam*, *diarrhoeam*, *haemorrhoidum* tubercula tumentia, *mammarumque inflammationem*.

p. 431.

Quinta et ultima libri *pars* de *infantibus recens natis*, primoque de *illorum*, qui *ſani* ſunt, habenda

p. 519.

cura; deinde vero de *morbis* aliisque eorum *vitiis* multa egregie disputata continet. Alia vero dantur horum genera, quibuscum ipsi infantes interdum solent nasci; quo pertinent totius corporis *debilitas*, vel non nullae *partium* eius sub ipso partu *factae laesiones*, vel *male* quoque eorum *conformata membra*; alia deinde quoque post partum eos affligentia, quo omnes referri poterunt morbi tenerrimae huic aetati proprii, v. c. *meconium aliaque materies aliena in ventriculo haerens, exanthemata, dentitio difficilis, motus epileptici, aphthae*, aliaque vel sexcenta mala.

Omnibus his variis artis obstetriciae argumentis probe excussis, subiunctae sub finem deprehenduntur tabulae aeneae una et triginta, in quibus et partes corporis feminini, quae ad generationem necessariae sunt, et varia in partus negotio interdum adhibenda instrumenta, et varii denique in primis praeternaturales foetus non numquam obuii situs delineantur, de quibus tamen facere non possumus, quin optemus, ut a manu magis artificiosa delineatae aeriique incisae, ideoque scite magis atque venuste expressae fuissent.

Summa nunc totius libri ratione exposita, aliqua etiam insuper addere licet, hinc et illinc ex eo de-

p. 20. promta. Vteri grauidi substantiam propter vasa iam ampliora facta ad ipsius fundum omnino crassiorem spongiae humidae in modum, ad ceruicem autem atque orificium eo tenuiorem fieri, quo propius ipse partus instat, recte dici asserique potest.

p. 23. Ipsum uteri orificium, quod alii internum tantum appellant, rectius cum recentioribus Cl. Auctor diuidit in internum externumque dicendum, hoc nimirum, qua facie vaginam, illud, qua uteri cauitatem respicit.

p. 103. Venae sectio in grauidis eo magis est necessaria, quo magis eorum corpora sanguine turgent; ea tamen prophylactica, quae primis grauiditatis mensi-

bus

bus et ante tertium fit, alteri omnino praeſtat, quae ex errore uniuerſali et communi fere facto circa medium geſtationis tempus celebrari ſolet; primo enim tempore ſanguinis abundantia facilius fieri poterit nociua, et ex decem abortibus, qui contingunt, certe nouem ante tertium menſem eueniunt. In genere quoque valet regula, quo grauiorem plethoram, eo crebriorem eſſe debere venae ſectionem.

Propter inteſtini coli flexuram hepatisque et in- p. 110.
teſtinorum pondus incumbendo illud premens, aegra, cui clyſter applicatur, dextro lateri incumbat, et in eo ſitu, poſtquam lotio iam fuerit immiſſa, per aliquod tempus maneat; alias, quae iniecta fuerunt, facilius elabuntur.

Balnea grauidis in genere non facile conueniunt, p. 112.
et iis, quae abortui edendo vel haemorrhagiis obnoxiae ſunt, aut ſanguinis abundantia et acrimonia laborant, praeſertim ſi illa ab initio ſubque finem grauiditatis adhibeantur, redeuntis haemorrhagiae vel ipſius abortus periculum inducunt: iis tamen feminis, quae natu iam grandiores ſunt, ut earum emolliantur genitalia, ſub finem ultimi menſis concedi poterunt balnea, dummodo parum tepida ſint. Eo etiam ultimo tantum tempore rogantibus concedantur unguenta.

Spurius conceptus ſupra iam explicatus, raro p. 147.
ultra tertium menſem in utero geritur. Si carnoſa iſta maſſa iam expulſa caute inciditur, in illa media ipſius embryonis prima rudimenta ſub albicantis grani cuiusdam forma facile deprehenduntur. Quodſi femina hactenus ſterilis talem modo ſpurium experta fuerit conceptum, quam proxime vere grauidam ſe futuram eſſe, expectare poteſt.

Omnis quidem partus praematurus naturali ma- p. 153.
ius affert periculum, eoque eſſe ſolet grauior, quo crebrius redire ſolet: periculoſiſſimus tamen eſt grauidae iam alio morbo, febre acuta, variolis aut haemoptyſi,

moptyſi, laboranti ſuperueniens; lochia enim ut plurimum deficiunt breuique poſt aegra moritur. Haemorrhagiae iis caſibus familiares primis menſibus raro mortem minantur; deinde vero et ad ſextum iam menſem periculi pleniſſimae; unde quoque partus aliqua vi nunc faciendi ſumma ſaepius oritur neceſſitas.

p. 164. In capite de laeſa grauidarum imaginatione vitiisque inde in foetus conformationem redundare creditis, acute Cl. Auctor contra illos diſputat, qui naeuorum aliorumue vitiorum cauſſam in iſta volunt quaerere; quam vero potius aliis in rebus quaerendam eſſe probat. Quam enim facile tam tenerae tamque copioſae, ac in embryone occurrunt, partes, caſu quodam pauloque vehementiore motu, immutari, inque ſuo ſitu atque nexu diſturbari poſſunt. Ipſa porro embryonis imbecillitas aut aegritudo in cauſſa eſſe poterit; quum ille corpus ſibi proprium habeat cum vitae actionibus eo pertinentibus, ſuosque ideo etiam morbos experiri poſſit. Incrementum inſuper eius partium vario modo ſaepe laeditur. Externae iniuriae, quam habent vim? Ipſorum denique parentum malus corporis habitus ſaepe eſſe poterit nociuus.

p. 194. In grauida, quae luis venereae morbo affecta eſt, niſi iſte ſummum iam adeptus fuerit gradum ipſaque femina primos modo grauiditatis menſes agat, adeo ut inde et ipſi et foetui maxima naſci queant mala, non facile excitandus eſt ptyaliſmus: urgente tamen neceſſitate, curatio iſta fiat, mercurio tantum ſub unguenti forma per frictionem applicato, minime interne dato; ſimulque omni ſtudio euitetur diarrhoea; decocta vero, ſaliuae profluuium adiuuantia, omnino conueniunt.

p. 225. Vltra nonum menſem a grauida matre geri poſſe foetum Cl. Auctor exiſtimat, quando ille nimirum ſufficiens huc uſque nondum acceperit nutrimentum,

ut

ut in iuſtam excreſceret magnitudinem; vel quando uterus abdominisque velamenta in maiorem adhuc, ac illo tempore iam factum ſit, modum ſe extendi patiantur, ideoque interna cauitas ſatis adhuc ampla ſit: determinatum enim dari aliquem extenſionis earum partium gradum, quo facto, eas ſeſe contrahere ideoque contentum foetum expellere.

Pernicioſus iſte non nullarum obſtetricum recte damnatur mos, quo ante, quam funem umbilicalem ligant praeſcinduntque, ſanguinem in eo contentum retro verſus ipſius corpus pellunt ſtringendo funem. Ille enim iam frigidiuſculus iuſtoque inde craſſior factus, ſi in hepar infantis reprimatur, ſumma mala quin et mortem ipſi inferre poterit. p. 263.

Si partum geminum vel quoque plures gerat parturiens, eorum ſingulum ſuis incluſum eſſe membranis, licet una ſaepe quidem vel quoque plures adeſſe queant ſecundinae, Cl. Auctor confirmat et contra eos defendit, qui cautum eſſe iubent obſtetricantem, ne pedem unius alteriusque foetus ſimul prehendat attrahatque. p. 374.

Quoniam ſigna, quae foetum iam mortuum eſſe indicant, interdum fallere poſſunt, ea cuncta colligi probeque inter ſe conferri debent, nec ipſe foetus iam extinctus quidem viſus, ut talis haberi, niſi ſumma ad matrem conſeruandam urgeat neceſſitas. Quum ſaepe etiam foetus in lucem iam editi, vere quidem mortui viſi, ad ſe tamen redire obſeruati ſint: talibus illico, ſimul ac editi fuerunt, in os fortiter inſpirandus eſt aer, naribus eorum compreſſis, ut, ſi qua forte ſuperſit vitae particula, pulmones explicentur ſanguinisque circulus reſtituatur. p. 390.

Spurios ad partum dolores, quibus nimirum uteri orificium haud dilatatur, ſed ſaepius e contrario conſtrictum attollitur, ut plurimum quidem ab obliquo uteri ſitu prouenire cum Cl. ROEDERER opinatur Auctor Noſter, ab aliis tamen quoque cauſſis v. c., plethora, p. 391.

plethora, nimis breui aut circa foetum conuoluto fune, eos oriri poſſe non negat, ideoque auxilium variis illis cauſſis accommodandum eſſe, nec opii uſum, quem alios feſtinanter nimis adhibere ſcimus, niſi ſymptomatum habita ratione, concedendum eſſe, recte monet.

p. 424. Molam, de cuius natura plurimi adhuc diſputant auctores, a ſpurio conceptu Noſter diſtinguit, eamque carnoſam appellat excreſcentiam, ex interna uteri ſuperficie oriundam, ſi nimirum v. c. ex illo ſub graui partu laeſo, aut alia ratione ulceroſo facto, caro fungoſa naſcatur; vel pars eius inflammata in ſcirrhoſum tumorem abeat; vel quoque tumores cyſtici, quales etiam omnes fere reliquas corporis partes occupare poſſunt, ibi generentur.

p. 449. Non eſſe, cur puerperae abdomen, excluſo foetu, inuoluatur faſcia vel aliis linteis, nec ullum inde exoptandum eſſe fructum Cl. Auctor putat; id, quod vero miramur; quum ex neglecta abdominis vinctura illud ſaepe tumidum manere experientia probet; ne quid de generali illo faſciarum uſu dicamus, quo laxarum debiliumque partium robur inſigniter inde adiuuari atque reſtitui conſtat.

p. 451. Neque puerperae ſi nimirum ſana ſit, opus eſſe dicit remedio, quod aluum purget, ſique poſtulanti illud dare velit medicus, non, niſi lochiis fluere prorſus deſinentibus, illud ex lenioribus modo pa-
p. 449. randum praeſcribere eum debere; ideoque etiam, praeter diaetam tenuem, puerperae lactare nolenti nihil commendat; quum tamen apozema leniter aluum ducens, ſic dictum antiplogiſticum, altero tertioue poſt partum die, ad auertendum lactis affluxum datum, optime tutoque et ſine lochiorum euaneſcentium metu dari poſſe, ipſa quoque confirmet experientia.

p. 454. Vtilis nec omnibus medicis nota eſt illa obſeruatio, per tertium quartumque diem a partu, cum lac

in

in mammas irruit, naturaliter euaneſcere lochiorum fluxum, deinde vero redire, coloris tamen nunc minus rubicundi, ſed loturae carnium ſimilis eſſe, donec uti humor albicans atque viſcoſus appareat ſenſimque deſinat eadem ratione, quae in vulnere recenti obſeruatur, ita, ut HIPPOCRATIS effatum omnino certum ſit, puerperam tractandam eſſe ut grauiter vulneratam.

Ad labiorum vaginaeque laeſiones refert quoque Noſter tumores iſtos ſanguine plenos, vel in interna labiorum ſuperficie, vel in ipſa vagina ortos; quando nimirum ſub ipſo partu a doloribus nimis vehementibus una alteraque vena rumpitur, ſanguis igitur inter membranas earum partium effuſus, illasque diſtendens aliquem ſaccum quaſi format; quare iſtos etiam tumores Cl. Auctor appellat ſacculos ſanguinolentos. Optima eorum curatio ita fit, ut illi toti ab inferiore ad ſuperiorem uſque marginem ſecundum longitudinem incidantur lanceola, ſanguis contentus emittatur et vulnus deinde curetur applicatis epithematibus ex vino paratis, cui incocta fuit herba ſaluiae. Illi, qui exteriores partes occupant, pauci atque parui ſunt, periculi eſſe ſolent expertes, alii vero in primis maiores, unoque plures et alte in vagina haerentes, maius omnino afferre poterunt periculum. p. 495.

Amplas medicoque eas noſſe omnino neceſſarias ille quoque tradit regulas, ad quas merito omnes examinari debent nutrices ante, quam infantes ipſis dentur nutriendi, ne morbos cum ipſarum lacte ſugant puſilli. p. 543.

Inter alias porro circa infantum educandorum curam probe obſeruandas cautiones ea quoque referri meretur, ne illis potum praebeamus, qui in cupreis vel orichalceis vaſis, niſi ſtanno ſint obducta, ne argenteis quidem haud inauratis, ſteterit. p. 555.

Recte

p. 565. Recte is etiam contra illum, apud non nullas obſtetrices obuium errorem inuehitur, quo debilis iam editi infantis abdomini imponunt calentes adhuc ſecundinas, quibus eorum parua iam reſpiratio difficilior redditur. In excitandis quoque neonatis cautiſſimum eſſe debere volatilium remediorum uſum bene monet.

Attamen, quae adduximus, ſufficiant. Quem ad modum vero totus liber, ita etiam ultimae in primis eius partes, utiliſſimas ſaepiusque nimis neglectas cautiones obſeruationesque continent; quare illum eo magis commendamus medicis noſtratibus, quo maiorem utilitatem ex grauidarum recensque natorum infantum bene habita cura in totam rem publicam redundare conſtat.

XIII.

Die eingebildeten Würmer in Zähnen, nebſt dem vermeyntlichen Hülfsmittel wider dieſelben, beſchrieben, und unterſuchet von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *Evang. Prediger in Regensburg, der königl. Geſellſchaft der ſchönen Wiſſenſchaften zu Göttingen, und der königl. Geſellſchaft derer Wiſſenſchaften zu Duisburg Mitglied, wie auch der freyen Künſte zu Leipzig Ehrenglied. Nebſt einer Kupfertafel in Farben. Regensburg, bey den Gebrüdern Zunkel.* 1757. 4. 5½ pl.

i. e.

Deſcriptio ac diſquiſitio fictorum in dentibus vermium, laudatique contra eos remedii, Auctore

Auctore IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFERO.

Celebre est ac famosum inter agyrtas remedium antodontalgicum, quod fumus seminum alkekengi vel et hyoscyami, cerae impastorum carbonibusque iniectorum, denti carioso ac dolenti adplicatus praestare affirmatur. Quod et assertum ipse effectus satis superque probare videtur, cum non solum dolores cessent, sed et corpuscula quaedam ex dente excidere videantur, quae pro vermibus dentem exedentibus, nunc enecatis, habent ac venditant medicastri. Variis commotus caussis Cl. Auctor, horum corpusculorum naturam, remediique famigeratissimi indolem ulterius ac accurate disquirere in se suscepit. Expositis hinc in prima sectione hisce mouentibus caussis et medicamentum applicandi modo, in altera sectione ea perpendit momenta, quae haec corpuscula veros vermes esse persuadere cuilibet possint. Quae igitur et Cl. SCHAARSCHMIDT, WELSCHIVS, ANDRY aliique de dentium vermibus eosque necandi modis disputauerunt, sedulo ac solide congessit et allegauit, multaque adtulit, quae omnino hanc praeconceptam opinionem confirmare ac certam reddere videntur. Nec enim quicquam in diligentissima disquisitione detegere poterat, quod falsitatem eius comprobaret. Cum tamen varia dubia mouerit ipse huius remedii applicandi apparatus, ulterius in hoc phaenomenon inquirere et summa cautela in instituendis periculis versari nullus dubitauit. Quo factum p. 28.
est, ut omnino detegeret, hos fictos vermes esse seminum adhibitorum germina, caloris actione et cerae liquefactae ope progerminantia et a cotyledonibus separata. Monstrat in sequentibus, mirum ob vim narcoticam seminum hyoscyami ac alkekengi non esse, dolores fuisse hoc remedio mitigatos, quamuis et saepissime frustra adhibitum fuisse moneat:

neat: et tandem varia addit, hanc ſuam ſententiam illuſtrantia ac probantia, et ſub examen vocat caſus iſtos varios a ſupra nominatis Auctoribus, potiſſimum Cl. ANDRY deſcriptos, et quo modo decepti fuerint, oſtendit.

XIV.

Noua phyſico-medica.

Agrorum, artium et opificiorum omniumque honeſtae mercaturae generum culturam, quae nimis ſaepe operariis tantum rerumque eo pertinentium non ſatis peritis relinqui ſolet, inſigniter emendari, indeque uniuerſam regionum diuitias felicitatemque quam maxime augeri poſſe, ſi illi vacare velint boni, attenti atque prudentes, ciues, res per ſe iam aeque eſt certiſſima, ac per experientiam in permultis Europae prouinciis huc uſque confirmata. Laudem itaque non a ciuibus tantum ſuis, ſed ab omnibus aliis quoque rei publicae ſtudioſis meretur vir honeſtus MONTAVDOIN, *Nanneti* in Britannia cismarina, quae Galliae eſt prouincia, mercaturam faciens, qui proceribus illius optimum alicuius conſtituendae ſocietatis propoſuit conſilium, cuius princeps finis ſit, ut agrorum, artium et mercaturae culturam, in patriae in primis uſum, emendare velint atque amplificare. Maximo etiam cum applauſu illud non ſolum ab iis exceptum, ſed ei iam ita quoque ſatis factum fuit, ut in quolibet prouinciae tractu, cui aliquis praeeſt epiſcopus, ſex electi ſint ciues, qui in illis iam recenſitis ſtudiorum quaeſtuumque generibus elaborent, varia tentamina faciant, probe obſeruent omnia illorum augmento vel noxia, vel proficua, tandemque de omnibus, quae habebunt detecta, emendata annotatuque digna deprehenſa, ad totius Societatis ſummam concionem referant,

rant, *Rhedonibus* in eadem prouincia conſtitutam, cuius auctoritate atque ſtudio illi ad ipſam a ſociis miſſi commentarii lecti, examinati et inter ſe collati, in uſum publicum edentur. Vt Societatis autem huius conuentus atque labores eo tutiores utiliores-que ſint, eam ipſam eiusque leges nuperrime confirmauit, ſuoque omnium grauiſſimo adſenſu comprobauit Potentiſſimus Galliae Rex, priuilegio eum in finem ipſi conceſſo publiceque edito; quam ob cauſſam eo maiores inde fructus non in modo dictam prouinciam, ſed in omnium quoque communem uſum expectari poſſe confidimus atque laetamur.

Berolini nuper, die menſis iunii nono, ſolennem quidem, uti ſolet, conuentum celebrauit Regia Scientiarum Academia: attamen praemium quaeſtioni, ex phyſicae experimentalis claſſe depromtae * praeſtitutum, hac vice exhibendi opportunitate carens, proxime ſubſecuturo anno illud ſe praefixum velle declarauit.

Ibidem Vir Ill. CHRISTIANVS ANDREAS COTHENIVS, Med. Doct. Potent. Boruſſorum Regis Archiater, aliisque pluribus, quibus praeeſt, muneribus conſpicuus **, a Ser. ſuo Rege, ex ſpontanea ipſius voluntate, Conſiliarii intimi titulo atque honoribus ante breue tempus exornatus fuit.

Ab Imperiali Scientiarum Academia *Petropolitana*, in membrorum ſui ordinis numerum receptus nuper fuit venerabilis ille ſenex, IACOBVS THEODORVS KLEIN, Senatus *Gedanenſis* rerum publicarum actor, Vir de hiſtoria naturali meritiſſimus indeque inter viros

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. III. p. 549.
** ibid. Vol. III. P. II. p. 348.

viros doctos celeberrimus, saepius a nobis, uti meretur, laudatus.

In conuentu publico, quem die maii septimo nuper habuit Regia Scientiarum Societas *Gottingensi*, ab hac in numerum eorum, quibuscum litterarum habet commercium, recepti fuere Viri Cll. CAROLVS ALLIONIVS, Phil. et Med. Doct. Taurinensis, nuper a nobis commemoratus * et CAROLVS HISINGH, Suecus, per exteras regiones iam iter doctum faciens, sua in primis dissertatione *de emendandis terris paludosis*, ante paucos annos edita, subque Cl. BERCHII praesidio defensa, clarus factus; uterque *Correspondentis* titulo exornatus.

Regia Scientiarum Suecica, quae *Holmiae* floret, Academia Virum Cl. IOAN. GEORG. ROEDERER, Med. Doct. et in Academia Gottingensi Med. et Anatom. Professorem Publ. Ord. ante aliquod tempus sibi adsciuit Sodalem.

Vir Cl. porro, IOAN. GOTTFR. ZINN, Med. Doct. inque modo dicta Academia Gottingensi Med. et Botan. Professor Publ. Ord. ab Academia scientiarum *Bononiensi*, *Instituti Litterarii* nomine cognita, inter socios suos relatus fuit.

Qui in Academia *Vpsaliensi* docendae anatomes omnisque medicae artis munere cum laude huc usque functus est Vir Cl. NICOLAVS ROSEN, *Imperii Suecici Archiatri* honoribus nuper cohonestatus **, illo propter infirmam corporis valetudinem anno iam superiore 1756 sese abdicauit, illudque genero suo, Cl. SAMVELI AVRIVILLIO, Med. Doctori, concedens,

* vid. Comment. nostr. Vol. V. P. IV. p. 704.

** ibid. Vol. V. P. V. p. 725.

cedens, publicae nunc bibliothecae ſummam curam in ſe ſuſcepit.

Inter noſtrates pari iure ac theologos referendum eſſe putamus Virum, dum viueret, ſumme Venerabilem, IOANNEM BROWALLIVM, Theologiae Doctorem et Profeſſorem, *Aboae*, quae urbs caput eſt Finniae, Suecici regni prouinciae, conſtitutum Epiſcopum, cuius obitum iuſto quidem longe ſerius annotare, quam prorſus praeterire, malumus, quippe qui iam ante duos annos, die nimirum viceſimo quinto iulii, anno huius ſeculi quinquageſimo quinto, octauum et quadrageſimum aetatis annum agens, deceſſit, apud theologos et hiſtoriae et philoſophiae naturalis cultores memoriam ſui et deſiderium relinquens, cuius adhuc inedita ſcripta phyſici maximam partem argumenti, ut ab aliquo Viro docto reuiſa in lucem edantur, optamus. Quae olim contra SIGESBEKIVM, et ante tres modo annos *de aquarum oceani putata imminutione* ſcripſit, paucis forte ignota eſſe opinamur.

Toeplizenſes thermae in Bohemia ſcaturientes, quae non ultra ſeptimum milliarium lapidem ab urbe Dresda abſunt, permultos omnino ſuarum, quibus praeditae ſunt, virtutum habuerunt praedicatores, praeter Virum autem Illuſtrem, IOANNEM FRIDERICVM ZITTMANNVM, Med. Doct. Potent. Poloniarum Regis Conſiliarium Aulicum et Archiatrum, qui maiori ſtudio ipſas inueſtigauerit longiorique experientia comprobatas habuerit, ex medicis facile nullum. Ille quidem Dresdae ſedem ſuarum rerum ac fortunarum collocans, a Pot. Poloniarum Rege, FRIDERICO AVGVSTO, Clementiſſimi, qui nunc imperii ſummam tenet, Regis noſtri patre, inter archiatros ſuos relatus, a primis vitae ſuae medicae annis, annuente Rege, per menſes tantum

 aeſtiuos,

aeſtiuos, in extrema autem aetate vix non ſemper *Toeplizii*, ſuum conſtituerat domicilium, aegris eo, ut thermis uterentur, peruenientibus conſulens. Viribus tandem fractus viuere ibidem deſiit nuper die menſis maii decimo quinto, forti apoplexia oppreſſus, ſummoque mane in lecto ſuo mortuus iam deprehenſus, decori illius medici non immemor, ex quo medicum non niſi ſenem mori decere aiunt: aetatis enim ſuae anno ſexto et octogeſimo ex hac vita deceſſit. Praeter *praxin forenſem medicam* * ab illo editam, ipſarum thermarum Toeplizenſium uſum deſcripſit, interprete Cl. SCHWENKE, Dresdenſi medico doctiſſimo et feliciſſimo **.

Senectute etiam confectus paulo poſt illum, die nimirum maii decimo ſeptimo, *Halae Magdeburgicae* diem ſuum obiit ſupremum MICHAEL ALBERTI, Med. D. Potent. Boruſſorum Regis Aulae et Senatus ſacri, qui Magdeburgi conſtitutus eſt, Conſiliarius, Medicinae et Philoſophiae Naturalis in Academia Halenſi Profeſſor Publicus Ordinarius, rei publicae Norimbergenſis Phyſici ordinarii, Imper. Naturae Curioſorum et Berolinenſis ſcientiarum Acadd. Sodalis; qui b. STAHLII, medici et chymici multae famae magnique nominis, auditor olim ac diſcipulus, eiusque

* D. IOHANN FRIEDRICH ZITTMANN Medicina forenſis ſiue *eröffnete Pforte zur Medicin und Chirurgie, anweiſende der mediciniſchen Facultaet in Leipzig hochvernünfftig ertheilte Ausſprüche und* Reſponſa *über allerhand ſchwere, zweiffelhafte und ſeltene von 1650 bis 1700 vorgekommene Fragen und Faelle. Frankfurt am Mayn. 1706. 4. m. K.*

** Eiusdem *practiſche Anmerkungen von den Töplitzer-Baedern, dem Böhmiſchen Bitter- und Biliner-Waſſer, auf Verlangen in einem Mediciniſchen Rath aufgeſetzet von* D. CHRISTIAN GOTTHOLD SCHWENKEN. *Dresden und Leipzig. 1752. 8.*

que deinceps de organiſmo corporis humani et reliquarum artis medicae partium doctrinae ſtrenuus fuit adſectator, adeo ut ex paucis eſſet, qui praeceptoris dogmata ex ipſius mente intellexerint defenderintque. Natus ille erat Norimbergae, quae urbs imperii romano-germanici eſt celebratiſſima, anno ſuperioris ſeculi octogeſimo ſecundo, die menſis nouembris decimo tertio, patre PAVLO MARTINO, ſacrorum ibi curam gerente, qui ipſe filium prima purioris religionis fundamenta docens, eum deinde celebris gymnaſii patrii, a S. AEGIDIO denominati, praeceptoribus erudiendum tradebat, quorum docta fidelique inſtitutione Noſter ita proficiebat, ut adoleſcens adhuc in Academiam Altdorfinam ſe conferre ibique in ſacrarum litterarum ſtudium, cui ſe tum temporis dicauerat, cum fructu atque laude poſſet incumbere. Vitae inſuper integritate indefeſſaque induſtria omnibus ſe commendans, poſt aliquod tempus alicui, cuius mores atque ſtudia moderaretur, adoleſcenti praeficiebatur, quo comite academiam Ienenſem petebat, theologicis tantum et philoſophicis ſcientiis inhaerens. Cum ibidem vero in WEDELII, KRAVSII et SLEVOIGTII, medicorum ſui aeui celeberrimorum, perueniret familiaritatem, illud, quod ſcientia medica habet iucundum, cognoſcebat, eoque captus tandem in medicorum ſcholas tranſibat, animumque iis appellebat totum. Artis itaque noſtrae ulterius indagandae cupidiſſimus Halam adibat Magdeburgicam, STAHLIO et HOFFMANNO academiae ibidem florenti maximam famam praeſentia ſua atque inſtitutione conciliantibus. Priori ex his duumuiris potiſſimum commendatus, apud eum quoque breui veniebat ſingularem in gratiam, alterius tamen, uti et ceterorum medicinam eo tempore docentium profeſſorum, ideo minime negligebat lectiones. STAHLII interim doctrinis quam maxime delectatus, et ab eo ipſo etiam aeſtimatus atque di-

lectus eum prae reliquis adsectabatur, ipsum quoque non praeceptorem solum, sed et rerum suarum atque fortunae statorem perpetuumque nactus amplificatorem. Quamuis autem ab eo iam tum temporis vitae academicae destinatus esset, eoque praeside anno huius seculi tertio *de malo hypochondriaco et hysterico* dissertationem ipsius publice defenderet, sequenti autem anno *de erroribus medicinae practicae* eodem moderante disputans, doctoris medici honores atque priuilegia in Halensi academia consequeretur, et in eadem ipse nunc publicas aperiret scholas, et philosophiam et medicinam docens affluentem ciuium academicorum copiam: patris tamen, aetate nunc grauis facti filiumque cupientis adiutorem, iussu in patriam reuertebatur, pietati in patrem omnia postponens commoda, quae ab academia expectare poterat. Egregia vero multarum rerum cognitione excellens, in aliorum inuidiam incidens, non nisi post multas superatas difficultates et anno demum huius seculi septimo in Collegium, quod Norimbergae constitutum est, medicorum recipiebatur. Pacis autem et tranquillae vitae per totam vitam amantissimus, cum pater esset mortuus, denuo derelinquebat patriam ingratam et regrediebatur Halam, a praeceptore suo, quem patris loco amabat, humanissime exceptus inque omni, quam suscipiebat, re fideliter adiutus. Itaque publicas iterum habebat lectiones, philosophicas in b. CHRISTIANI THOMASII in primis scripta eo pertinentia, medicas autem in praeceptoris theses tironibus artis intellectu saepe difficiles. Ex illo deinde tempore iam dicta Halensis academia perpetuus, in quo consisteret, ipsi manebat locus, licet ei post aliquot annos, ut in patriam rediret, rogato munus professoris medici in academia Altdorfina offerretur, quod vero recusabat. Nec habebat, cur Halam cum patria commutasse eum poeniteret. Ibi enim anno huius seculi decimo Professoris Medicinae

cinae Etraordinarii, decimo ſexto Ordinarii, paulo poſt Philoſophiae Naturalis Extraordinarii, eiusdem vero Ordinarii anno undeuiceſimo, munera obtinebat. Aliis inſuper exornabatur honoribus: anno enim ſeculi decimo tertio ab Imperiali Naturae Curioſorum, et deinde a Berolinenſi Scientiarum Academiis in Sociorum, anno autem decimo ſeptimo a Sereniſſ. ſuo Rege in Conſiliariorum aulae numerum recipiebatur, quumque in theologicis quoque ſtudiis verſatiſſimus eſſet, paulo poſt Senatus ſacri ſiue ſic dicti Conſiſtorii Magdeburgi conſtituti Conſiliarius nuncupabatur. Omnibus quoque hiſce muneribus in ſummam uſque ſenectutem omni cum dexteritate, induſtria atque fide functus fuit laudemque medici vere pii, indefeſſi et integri, poſt ſe reliquit. Laboribus academicis ſemper quoque ſummo cum ſtudio vacauit, adeo ut, ſi modo diſſertationes ſub eius nomine editas reſpicere velis, earum trecentis multo plures publice ab eo defenſas et magnam partem ab ipſomet conſcriptas, deprehendes. Maioris quoque voluminis non nullos exarauit libros, ex quibus *Introductio in uniuerſam Medicinam*, tribus tomis in forma, quam dicunt quartam, comprehenſa, et *Syſtema Iuris prudentiae medicae*, in ſex tomis eiusdem formae editum, *Tentamen lexici realis obſeruationum medicarum*, *Commentatio in Conſtitutionem criminalem Carolinam medica* et *Tractatus de natura humana*, appellari poſſunt praecipui: omnium tamen eius ſcriptorum catalogum vitaeque bene actae uberiorem expoſitionem reperies in Cl. BOERNERI *relationibus de vitis medicorum et phyſicorum huius aeui celebrium**.

* vid. Eiusd. *Nachrichten von den vornehmſten Lebensumſtaenden und Schriften jetztlebender berühmter Aerzte und Naturforſcher. ErſterBand. Wolfenbüttel* 1749. 8. p. 401 et ſeqq. *Zweyter Band.* ibid. 8. p. 441 et 766. Nec non proluſionem, qua Exequias b. Viri indicit Academia Halenſis, interprete Cl. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO, Prorectore.

Memoria IOANNIS NATHANAELIS LIEBERKÜHNII, Medicinae Doctoris, Regiae Scientiarum Academiae Berolinenſis Membri Ordinarii, Imperialis Naturae Curioſorum et Regiae Holmienſis Academiarum, uti et Regiae Londinenſis Societatis Scientiarum Sodalis.

Natura duce et magiſtra, ſi quis ab ea innatam ſequatur inueſtigandi certi alicuius ſtudii cupiditatem, longe multumque ceteros omnes eum praeſtare poſſe, exemplo ſuo egregie comprobauit Illuſtris, dum viueret, LIEBERKÜHNIVS, orbi litterario ſcientiarumque augmento praematura nimis morte nuper ereptus *. Docile enim aptiſſimumque ad quaslibet bonas artes excolendas nactus ingenium, eo admodum acri, ad uniuerſae in primis matheſeos, eiusque potiſſimum ad utiliſſimas conficiendas machinas inſtrumentaque varia applicatae, uti et omnium rerum phyſicarum cognitionem atque uſum mirifice valebat. A teneris iam horum doctrinae generum intelligendorum cupidiſſimus, in proiectiore deinde aetate ſingulari aliquo feruore in eorum ſemper ferebatur culturam. Quum igitur pater ipſius, IOANNES CHRISTIANVS, Aulae Berolinenſis faber aurarius, qui eum anno huius ſeculi undecimo, die menſis ſeptembris quinto, EXEMERENTIA RAVIA, matre adhuc filio ſuperſtite, Berolini ſuſceperat, excellens in eo deprehenderet ingenium, ideoque in omnibus, quae iuuentutem ad humanitatem informant ornantque, ſtudiis artibusque in gymnaſio Halae Magdeburgicae conſtituto inſtituendum eruidendumque curaret, anno iam aetatis decimo octauo ciuibus academiae ibidem florentis, adſcribi poterat. Quamuis autem ex conſtanti patris voluntate in eadem

* vid. Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p. 727.

dem aeque, ac Ienenſi academia, in quam proximo anno, ſeculi nimirum viceſimo octauo, ſe contulerat, in ſacrarum litterarum ſtudium quam diligentiſſime incumberet, matheſi tamen artique in primis mechanicae, et cuius inde maxime adiuuatur cognitio augmentumque, philoſophiae naturali, multum operae nauabat et meditando, et manum applicando tum experimentis, tum conſtruendis ad ea inſtrumentis neceſſariis, beatum HAMBERGERVM ideo principem ſequutus doctorem: quo etiam ſtudiorum genere adeo delectabatur, ut reliquas eo pertinentes ſcientias, anatomiam, phyſiologiam omnesque reliquas, quae medicum faciunt, ſibi redderet cognitas, ideoque WEDELIVM atque TEICHMEYERVM ſuorum praeceptorum adiungeret numero. Quo autem in medicinam, quam olim faceret, inde fiebat propenſior, eo maioris ipſius in patrem aeſtimanda erat pietas, ex qua eius voluntati ſatis faciens anno ſeculi triceſimo tertio ab academia diſcedebat ſtudium theologicum ſemper profeſſurus.

Ad fratrem itaque ſacro aliquo munere fungentem, ſe recipiebat ſaepiusque ex ſuggeſto ſacras ad concionem habebat orationes, reliquum tamen tempus omne illis dicabat litteris, quae in maxima apud eum erant gratia, mathematicis, phyſicis et anatomicis. Nec inanes ipſius erant labores. Data enim occaſione, theologus ille magni nominis, REINBECKIVS, de ſingulari ipſius ſtudio, induſtria atque dexteritate referebat ad Boruſſorum Regem, FRIDERICVM GVILIELMVM, perſpicacem ingeniorum aeſtimatorem, qui inde laetatus eum ipſum ad ſe arceſſebat longumque cum eo de rebus theologicis aeque ac mechanicis aliisque faciebat colloquium, amplam egregiamque viri iuuenis admiratus doctrinam. Regia igitur auctoritate ſua legibus a patre praeſcriptis ſoluebat filium, isque, ut totus vacaret rebus mathematicis atque phyſicis, ſerio volebat.

Imperio igitur Regis obtemperans Noſter, quum inſuper diem ſuum obiiſſet pater, Berolino iterum decedebat anno ſeculi triceſimo ſexto ea mente, ut ſtudiorum, quae nunc colere et publice profiteri volebat, cauſſa denuo adiret academias, ante ſuum diſceſſum a Regia Scientiarum Academia Berolinenſi in ſociorum numerum honorifice relatus. Halae Magdeburgicae iterum atque Ienae per aliquod tempus commorabatur, et proxime ſequenti anno iter ad exteras regiones ſuſcipiens Erfordiam tranſibat ibique ab Imperialis Naturae Curioſorum Academiae Praeſide, Ill. BÜCHNERO, Socii honoribus exornabatur.

Lugdunum Batauorum adueniens, BOERHAAVIO, ALBINO, GAVBIO atque SWIETENIO, ducibus et praeceptoribus, omnem artis medicae ambitum quam ſollertiſſime denuo emetiebatur, anatomiae in primis atque chemiae deditiſſimus. Subtilioris potiſſimum inueſtigandae anatomes amore captus, in artem minima corporis vaſa iniectionis ope replendi adeo inquirebat, ut hanc ad ſummum uſque faſtigium perduxiſſe eum recte omnino dixeris neminemque fuiſſe, qui in praeparandis oculoque perſcrutanti exhibendis partibus humani corporis vel minimis eum ſuperauerit umquam. Accedebat et hoc, quod omnium artium mathematicarum peritiſſimus, praeſtantiſſima ipſe conficeret microſcopia et inter ea illud nunc omnibus notiſſimum, quod a radiis lucis ſpeculo exceptis et ad inquirentem oculum reflexis nomen accepit, quorum ope omnium ſubtiliſſimas, quas praeſtabat, iniectiones cuilibet harum rerum cultori et arbitro quam elegantiſſime et accuratiſſime demonſtrare poterat. Quum eum ſibi quoque finem propoſuiſſet, ut non minima ſolum totius corporis vaſa ante oculos ſiſteret, ſed eorum quoque directionem, curſum et prorſus admirabilem, quem inter ſe habent, nexum atque mutuam inter ſe rationem, quantum demum fieri poſſet, clare atque perſpicue

exponeret; illud, quo medicorum pauci nunc carebunt, excogitabat microſcopium anatomicum ſiue machinam a ranis potiſſimum apud plurimos cognomen ideo adeptam, quoniam haec reliquis ad experimentum hoc aptiora ſeligi et ad uſum eius ut plurimum adhiberi ſolent animalia. Vt eo autem melius ſua proſequi tentamina et inter ea circulationem ſanguinis in variis animalium, in primis ranarum partibus, meſenterio, pulmonibus aliisque, accuratius obſeruare poſſet, in illud, quod cum camera ſic dicta obſcura facere ſolent phyſici, experimentum omni ſtudio atque ſollertia tamdiu inquirebat cumque ſolis radiis tentabat, donec ſolare illud dictum ſatisque nunc eruditis cognitum inueniret microſcopium, quod vero poſt aliquod demum tempus prima vice notum et manifeſtum faciebat Londini, Regiae Scientiarum Societati illud cum reliquis ſuis experimentis exhibens.

Quamquam igitur Medici Doctoris titulum atque honores iam diu meruerat, eos tamen anno demum ſeculi triceſimo nono ab Academia Leydenſi petebat accipiebatque, diſſertatione ideo *de valuula coli et uſu proceſſus vermicularis* ab ipſo conſcripta, edita publiceque defenſa, cuius graue argumentum, ut illud exponeret, a BOERHAAVIO atque SWIETENIO, dexteritatem eius atque doctrinam probe intelligentibus, ipſi fuerat commendatum; quo fiebat, ut aliam, quam *de plumbi indole* exarauerat, diſſertationem ſeponeret, numquam ab ipſo editam, nec inter ſchedas poſt mortem relictas reperiundam.

Suum deinde iter, quod cum laude et omnium, quos viſebat, admiratione proſequebatur, Londinum dirigebat, ibique ab omnibus viris doctis multo cum honore exceptus, nanciſcebatur occaſionem, phyſica ſua et anatomica in primis inuenta coram Regia Scientiarum Societate ibidem conſtituta, publice demonſtrandi repetendique tentamina. Inter alia ſubtiliſſimas

mas etiam, quas praeſtabat, iniectiones anatomicas in parte aliqua inteſtini cuiusdam tenuis illi doctorum virorum concioni demonſtrabat, cuius vaſa cuncta vel omnium tenuiſſima, arteriae aeque ac venae, tam eleganter erant repleta, ut eſſet nullum, quod oculo aufugeret, vel etiam quod disruptum emiſiſſet, quam continebat, materiem ceraceam. Inter artificioſiſſima quoque et feliciſſime a ſe facta Noſter ipſemet illa de inteſtinis ſumta, habuit praeparata anatomica, quibus etiam deinde ſuam egregia cum induſtria elaboratam, ſuperſtruxit *diſſertationem anatomico-phyſiologicam de fabrica et actione villorum inteſtinorum tenuium hominis, iconibus aeri inciſis illuſtratam, Lugduni Batauorum* anno huius ſeculi quadrageſimo quinto, in forma, quam dicunt, quarta editam, in qua villorum cauitatem chylum recipientem huncque per vaſa exinde orta lactea ulterius vectum, defendit. Omnium itaque applauſum reportans, in honoris et adſenſus documentum Sociorum claſſi adſcribebatur a Regia iam dicta Societate. Ingenium itaque ſtudiumque ſuum eximia cum laude omnibus comprobans, fieri non poterat, quin in plurimorum dignitate, fama meritisque, illuſtrium virorum peruenirет familiaritatem, ex qua etiam omnem, quem demum cunque poterat, fructum percipiens, cuncta ſibi reddebat cognita, quae in mathematicis, mechanicis, phyſicis atque medicis rebus vel inuenta, vel nouiter emendata, vel caeteroquin excellentia, Londini reperiunda deprehendebat. Quum eum porro finem tum temporis iam ſibi haberet praefixum, ut in patriam olim redux ipſe faceret medicinam; probe autem intelligeret, veram atque prudentem medica principia ad curandos morbos applicandi rationem optime perſpici poſſe coram aegrorum lectis, publica etiam frequentabat noſocomia aliorumque experientiam faciebat ſuam.

Ea tamen vel maxime egregia, quam in Anglia ſibi comparauerat, eruditionis ſupellectile nondum contentus, iter ſuum ſcientiae augendae cauſſa ſuſceptum ulterius proſequebatur Lutetiam Pariſiorum ibique omnia ad finem ſuum pertinentia inueſtigabat ea, qua per totam vitam uſus fuit, diligentia. Opinione tamen citius in horum laborum tramite interpellebatur. Per ſex enim modo menſes Pariſiis commoratus, multoque longius in alias regiones dirigendum iter meditans, a Clementiſſimo ſuo Rege, reditum ipſius exoptante, reuocabatur Berolinum.

Sub medium itaque annum ſeculi noſtri quadrageſimum ad ciues ſuos redibat, eorum ſeſe totum dicans utilitatibus. Quo plura autem atque maiora a ſui Regis gratia expectare poterat emolumenta, eo acerbior ipſi erat eius, qui paulo poſt contingebat, ex hac vita diſceſſus. Propoſiti tamen tenax eam, quam ſemel ingreſſus fuerat, viam animo ſtrenuo et acri procedebat. Simul ac etiam in urbe patria medicinam facere inceperat, non apud ciues ſolum multum conſequebatur exiſtimationis atque auctoritatis, ſed fama eius ad exteros quoque cito percrebeſcebat, adeo ut docendae medicinae cauſſa in non nullas academias, eius vero faciendae gratia in ſplendidiſſimas aulas euocaretur, inter alias Imperiali Petropolitanae quam maxime commendatus ab ipſo BOERHAAVIO. Singulari autem erga patriam atque ciues propenſione, amore atque fide ductus, omnes quam ampliſſimas et fructuoſiſſimas recuſabat conditiones. Ea tamen quoque rara apud ſuos fruebatur felicitate, ut excellentia eius merita ab iis et cognoſcerentur et aeſtimarentur. Confirmabat quoque hancce ſemel partam gloriam prorſus indefeſſo illo ſtudio, quo cuncta, quae ſuſceperat, ad finem ſuum perducere conabatur.

Omnium vero laborum duplicem obſeruabat rationem; unam, qua aegrorum, qui ab ipſo petebant

bant auxilium, maximam habebat curam; alteram, qua in muſeo detentus, ſtudiis et litteris vacabat, mathematica in primis atque phyſica pertractans. Medicum omnino agebat et prudentem et felicem. Morbi enim alicuius hiſtoriam percipiens, ad artis medicae regulas, quas optime callebat, in eius cauſſas, indolem atque naturam ſedulo inquirebat, ſubtili et acri, quo pollebat, iudicio inſigniter adiutus, adeo ut in praedicendo morbi euentu vix non ſemper certiſſimus, et in eo curando, ſi qua eius curatio dari poterat, feliciſſimus eſſet medicus. Alacer etiam atque promtus in diiudicandis erat morbis; ſi quos vero occultos penitusque abſtruſos deprehenderet, prorſus erat impiger in eruenda eorum natura, donec eam detegeret.

Quamuis autem aegrorum ad ipſum confugientium multitudo ſemper eſſet maxima, ideoque multum temporis huic vitae generi eſſet impendendum; reliquum tamen omne in muſeo conſumebat. Anatomiae eiusque in primis ſubtiliſſimae ſtudio delectatus olim, et nunc illud proſequebatur et permulta ſic dicta praeparata anatomica incredibili et prorſus admirabili arte per iniectiones facta, colligebat et aſeruabat, ex quibus paulo ante mortem ſuam aliqua accuratiſſime pingenda, in aes incidenda et viuis coloribus naturae ad inſtar exprimenda curare incipiebat, ex parte nouae, quam meditabatur, diſſertationis paulo ſupra iam allegatae *de fabrica et actione villorum inteſtinorum* editioni adiicienda; quos autem labores aeque ac alios, corporis animalis oeconomiae, per obſeruationes haſce ſuas anatomicas explicandae, deſtinatos, praematura eius morte interruptos eſſe vehementer dolemus. Maximum quidem rerum eo pertinentium apparatum reliquit minimarum in primis partium ex plurimis corporis viſceribus deſumtarum et mirandum in modum repletarum, quem ipſi nosmet vidimus: ſed dubium omnino eſt, num

aliquis

aliquis futurus sit perficiendo tali operi aptus. Nimis enim multis aliis laboribus Noster implicatus, litteris parum ipse consignauit, quae habuerat obseruata, hoc studiorum genus prouectiori aetati reseruans, qua ab aegrorum gerenda cura liberiorem se facere studiisque suis se altius immergere et in uniuersi litterarii orbis usum desudare posse sperauerat.

Varia quoque ratione iniectionis artem ingeniosissime immutabat, ita, ut alias partes consueto modo, attamen ad exilissima usque vasa, materie sua ceracea tenuissima repleret; alias autem, v. c. renes, hepar, e. s. p. quoad ipsorum viscerum vasa tantum exhiberet, partibus nimirum intermediis membranosis, pinguibus aliisque singulari aliqua arte exesis; alias denique, argento in locum materiae ceraceae iniecto, elegantissime et eo modo praepararet, ut, illis partibus ipsis destructis, argentum tantum remaneret, totius illius visceris figuram exhibens atque repraesentans *.

Insuper, quod a puerili aetate vehementer amauerat, mathematicum et in primis mechanicum studium, feruore numquam interrupto aut imminuto, et sumtibus priuati hominis fortunam fere superantibus, aliquot nimirum aureorum nummorum millibus impensis, colere pergebat, adeo ut per plures annos artificum omnis fere generis numerus insignis in ipsius domo esset et quilibet suum ab ipso datum opus faceret, eo ipso noua inueniendi callido viro totam rem dirigente, quin et adiuuante: artificiosissima enim manu efficere poterat, quidquid modo volebat. A vero enim haud aberrabis, si mechanicorum et condidisse et coluisse eum dixeris academiam, cuius fructum diu adhuc, si velint, percipient Berolinen-

* conf. Histoire de l'Academie Roy. des sciences et belles lettres; année 1748. à Berlin, et Comment. nostr. Vol. I. P. I. p. 128.

linenſes; quum huius ſui ciuis ſtudio artificum, qua gaudent, praeſentem copiam referre debeant, qui nunc omnia inſtrumenta mathematica et ex his potiſſimum optica, tam eleganter et accurate conficiunt, ac ab aliis expectari poterunt. Muſeum itaque rerum utiliſſimarum omnique admiratione digniſſimarum, teleſcopiorum, microſcopiorum, antliarum aliorumque eius generis plurimorum inſtrumentorum, colligebat.

Tot igitur tamque variis ſtudiis atque laboribus obrutus, praeter iam commemoratas diſſertationes, perpaucos modo alios conſcribere potuit commentarios, Berolinenſis ſcientiarum Academiae Actis inſertos: tamen plures forte cum Regia Suecica, quae Holmiae floret, Scientiarum Academia, a qua nimirum anno ſeculi quinquageſimo quinto in ſociorum numerum receptus fuerat, communicaturus fuiſſet, dummodo ipſi licuiſſet longiore vita frui. Aſſiduis autem, quibus ſe onerabat et quos ſemper ſummo praeſtabat ardore, laboribus defeſſus, ante aliquot iam annos in aſthmatis morbum incidebat, ex quo emergere quidem videbatur thermarum Carolinarum uſu; ipſe ſibi tamen modo breuem vitam pronunciabat, quum a decimo iam quinto aetatis anno labem aliquam ſuos contraxiſſe pulmones, uni pectoris lateri inſuper accretos, exiſtimaret. Eueniebat etiam, quod metuerat. Anno enim ſuperiore, ſeculi huius quinquageſimo ſexto, ſub initium menſis decembris ſubito corripiebatur acutiſſimo lateris dolore, adminiſtratae venae ſectioni cedere nolenti: hinc omnem recuperandae ſanitatis ſpem ipſe illico abiiciebat. Aliorum etiam, qui in auxilium aduocabantur, medicorum vel optima prorſus irrita erant conſilia atque conamina, ita, ut die decimo ſeptimo iam dicti menſis vitam ipſi eriperet pleuroperipneumonia.

Ante decem annos, ſeculi nempe quadrageſimo ſexto, matrimonium inierat cum lectiſſima virgine,

CATHA-

CATHARINA DOROTHEA NEVELINGIA, ex qua duos modo liberos, filium filiamque, ſuſceperat, eos omnes beato Viro adhuc ſuperſtites, praecocem optimi patris maritique mortem iure ſuo lugentes. Quin et obitu eius inſignem omnino iacturam fecit uniuerſus orbis litterarius viri clare docti, ingenioſi atque aſſidui; urbs patria medici prudentis, indefeſſi atque felicis; omnes vero ciues amici integri, cuius memoria, quae in omnium bonorum conſeruetur animis, eſt digniſſima.

XV.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756. prodierunt.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences; Année 1752; avec les Memoires de Mathématique et de Phyſique pour la même Année, tirés des Regiſtres de cette Academie; à Paris, 4 mai. c. f.

Hiſtoire et Memoires de l'Academie Royale des Sciences de Paris pour l'année 1747. 3 Voll. à Amſterdam, 12. maj. c. f.

Der Königl. Academie der Wiſſenſchaften in Paris phyſiſche Abhandlungen; zwölfter Theil, welcher die Jahre 1737 *und* 1738 *in ſich hält, aus dem Franzöſiſchen überſetzt von* W. B. A. *von* STEINWEHR. *Breßlau,* 8 mai. *m. K.*

Ebenderſelben Academie anatomiſche, chymiſche und botaniſche Abhandlungen; 8ter Theil, welcher die Jahre 1731 *bis* 1738 *in ſich enthält; aus dem Franzöſiſchen überſetzt von Ebendemſelben.* ibid. 8 mai. *m. K.*

Samınlung der Schriften, welche bey der Königl. Academie der Chirurgie in Paris, des Preiſſes halber, eingeſendet worden; aus dem Franzöſiſchen überſetzt

von IOHANN ERNST ZEIHER. *Altenburg*, 4 mai.

Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1756. Vol. XVII. Stockholm, 8 mai. c. f.

Der Königl. Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanik; auf das Jahr 1753; funfzehnter Band; aus dem Schwediſchen überſetzt von ABRAHAM GOTTH. KAESTNER. *Hamburg und Leipzig*, 8. *m. K.*

Ebenderſelben ſechszehnter Band. ibid. 8. *m. K.*

Eſſays and obſervations, phyſical and litterary; read before a Society in Edinburgh and publiſhed by them. Vol. II. Edinburgh, 8 mai. c. f.

Neue Verſuche und Bemerkungen aus der Arzneykunſt und übrigen Gelehrſamkeit, einer Geſellſchaft zu Edimburg vorgeleſen und von ihr herausgegeben. Als eine Fortſetzung der mediciniſchen Verſuche und Bemerkungen. Erſter Band; aus dem Engliſchen überſetzt. Altenburg, 8. *m. K.*

Auserleſene mediciniſche, anatomiſche, chymiſche und botaniſche Abhandlungen der Römiſch-Kayſerl. Academie der Wiſſenſchaften; aus dem Lateiniſchen überſetzt. Zweyter, dritter und vierter Theil. Nürnberg, 4. *m. K.*

Sacrae Caeſ. Mai. Mandato et Priuilegio Leges S. R. I. Academiae naturae curioſorum confirmatae atque munitae Recuſae. Halae, 4.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et Belles-Lettres. Année MDCCLIV. à Berlin, 4. c. f.

Saggi di Medicina degli Accademici Conghietturanti di Modena. Tomo Primo. In Carpi, 4.

Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig. Dritter Theil. Danzig und Leipzig, 4. *m. K.*

Der

Der Zittauiſchen Geſellſchaft fortgeſetzte Bemühungen aus dem Reiche der Wiſſenſchaften. Erſter Band. Zittau, 8.

Ebenderſelben zweyter Band, erſte Abtheilung. ibid. 8.

Hiſtoire naturelle, generale et particuliére, avec la deſcription du Cabinet du Roi. Tome ſixieme; à Paris, 4 mai. c. f.

Allgemeine Hiſtorie der Natur nach allen ihren beſondern Theilen abgehandelt; nebſt einer Beſchreibung der Naturalienkammer S. Maj. des Königes in Frankreich; des dritten Theiles erſter Band. Hamburg und Leipzig, 4 mai. *m. K.*

Suite des Lettres à un Americain ſur les quatriéme et cinquiéme volumes de l'Hiſtoire naturelle de M. DE BVFFON et ſur le Traité des Animaux par M. l'Abbé DE CONDILLAC; 6. 7. 8 et neuviéme parties; 4 Voll. à Hamburg. 12. (*Auctor eſſe dicitur Pater* DE LIGNAC.)

Hiſtoire générale des voyages, ou nouvelle collection de toutes les relations des voyages par mere et par terre; Tome XIII; à Paris, 4.

Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und zu Lande; oder Sammlung aller Reiſebeſchreibungen durch alle vier Theile der Welt; vierzehnter Band. Leipzig, 4 mai. *m. K.*

A New Univerſal Hiſtory of Voyages and Travels, collected from the moſt authentic Authors in all Languages, containing every thing worthy Obſervations in the four quarters of the Globe, and including the lives and remarquables exploits of the moſt eminent Admirals, Captains and Seamens of all Nations. London, 8.

Voyage à la Mer du Sud, fait par quelques Officiers commandans le vaiſſeau *le Wager;* pour ſervir de Suite au voyage de GEORGE ANSON; traduit de l'Anglois; à Lyon, 4.

Verſuch einer Beſchreibung natürlicher und hiſtoriſcher Merkwürdigkeiten der Landſchaft Baſel; 14*tes*, 15*tes und* 16*tes Stück. Baſel*, 8.

Diſcorſi epiſtolari ſopra i fuochi di Loria a Sua Eccel. il Sig. Procuratore *Giovanni Emo.* in Venezia, 4. (*Auctor Cl.* GIOVANNI LARBER).

Abhandlung von dem mineraliſchen Gehalt und mediciniſchen Gebrauch des im Maggrafthum Baden-Baden gelegenen warmen Bades und der Mineral-Bäder überhaupt. In demonſtrativiſcher Lehrart geſchrieben, nebſt einem Anhange von der Euclidiſchen Lehrart in der Medicin und einigen beſondern Verſuchen. Strasburg, 8. (*Auctor eſſe dicitur Cl.* WIDMER.)

Hollands Magazyn voorzien met aerdrykskundige, hiſtoriſche, philoſophiſche, poetiſche, godgeleerde, regtsgeleerde en geneeskundige aanmerkingen, beſchryvingen, brieven, proeven, ſchetrens, uyttrekſels, verhandeling, vraegen, waernemingen, etc. uit de nieuwſte Schriften en verzamelingen zoo der uitlandſche maetſchappyen, als van byzondere Geleerden in eene andere als de Nederlandſche Taal geſchreeven. Tweede Deel; 1 en 2de Stukje. Te Haarlem.

Hamburgiſches Magazin oder geſammlete Schriften, zum Unterricht und Vergnügen aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 16*ter und* 17*ter Band. Hamburg und Leipzig.* 8. *m. K.*

Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt und Wiſſenſchaften. 7*ter und* 8*ter Theil. Leipzig*, 8. *m. K.*

Bremiſches Magazin zur Ausarbeitung der Wiſſenſchaften, Künſte, Naturlehre, und Tugend; erſtes und zweytes Stück. Hannover, 8.

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oeconomie und den damit

mit verwandten Wiſſenſchaften. Erſter Band. Nürnberg, 8.

Ebenderſelben 7tes bis 9tes Stück. ibid. 8.

Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land- und Stadt-Wirthſchaften, Policey-Finanz- und Cammer-Weſen dienlichen Nachrichten. bis 141 Stück. Leipzig, 8.

Schleſiſche oeconomiſche Sammlungen; bis 15tes Stück. Breslau, 8.

Sammlung oeconomiſcher und anderer in der Haushaltungskunſt nützlicher Anmerkungen. Langenſalza, 8.

Oeconomiſch-phyſicaliſche Abhandlungen; 9ter und 10ter Theil. Leipzig, 8.

Oeconomiſche Nachrichten bis 102tes Stück. Leipzig, 8.

Oeconomiſch-phyſicaliſche Wochenſchrift, welche das nützlichſte und neueſte aus der Natur- und Haushaltungs-Wiſſenſchaft enthält. Erſter Band. Stutgart, 4.

Der phyſicaliſche und oeconomiſche Patriot, oder Bemerkungen aus der Naturhiſtorie, der Haushaltungskunſt und Handlungs-Wiſſenſchaft; erſter Jahrgang. Hamburg und Leipzig, 4.

Vermiſchte Schriften aus der Naturwiſſenſchaft, Chymie und Arzeneygelahrheit. Erſtes bis 4tes Stück. Frankfurt an der Oder, 8.

Nordiſche Beyträge zum Wachsthum der Naturgeſchichte, Haushaltungskunſt, Handlung, Landeshiſtorie, Alterthümer und der freyen Künſte überhaupt. Erſter Theil. Altona, 8.

Der Wirth und die Wirthin; eine oeconomiſche und moraliſche Wochenſchrift; erſtes bis 12tes Stück. Braunſchweig, 8.

Journal oeconomique ou memoires notes et avis ſur les arts, l'agriculture, le commerce et tout ce qui peut y avoir rapport pour l'année 1756; Part. XII. à Paris, 12.

Obſervations phyſiques et pratiques ſur le jardinage et l'art de planter; avec le calendrier des jardiniers. Vol. III. à Paris, 12. c. f.

Flora Berolinenſis, *oder Abbildung der Kräuter und Blumen nach der accurateſten Abzeichnung der Natur ſelbſt. Erſtes Hundert. Berlin,* fol.

Abhandlung von den Maulbeerbäumen, den Seidenwürmern und der Seidenſpinnung, aus dem Franzöſiſchen überſetzt; nebſt einem Anhange von dem Seidenbau in Berlin und der Churmark Brandenburg. Berlin, 8. *m. K.*

Vollſtändiger Unterricht von Küchengewächſen, der Beſchaffenheit des Erdbodens, der ihnen dienlichen Lagen und Himmelsſtriche, erfoderliche Wartung; ferner ihrer Nutzbarkeit für das menſchliche Leben, wie auch der verſchiedenen Mittel ſie zu vermehren, ingleichen die Art und Weiſe die Miſtbeete anzurichten, zu ieder Jahreszeit Schwämme zu ziehen u.ſ. f. aus dem Franzöſiſchen überſetzt von IOHANN ERNST ZEIHER. *2 Theile. Leipzig,* 8.

Inſtruction, wie der Bau und die Bereitung des Waidtes zu tractiren. Breßlau, 8. *m. K.*

Vorſchläge, nach welchen der Transport der Bäume, Landgewächſe, Saamen und verſchiedener anderer Naturalien über die See zu veranſtalten iſt, aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Coppenhagen, 8.

Obſervations ſur divers moyens de ſoutenir et d'encourager l'Agriculture, principalement dans la Guyenne, où l'on traite des cultures propres à cette Province et des obſtacles qui les empêchent de s'étendre; deux parties; à Paris, 12.

Précis des Expériences qui ont été faites par ordre du Roi à Trianon, ſur la cauſe de la corruption des bleds et ſur les moyens de la prevenir; à la ſuite duquel eſt une inſtruction propre à guider les Laboureurs dans la maniére dont ils doivent préparer le grain avant de le ſemer; à Troyes, 8.

Anwei-

Anweiſung zur Hauswirthſchaft und Feldbau, darinnen den Bürgern und Bauern, auch beſonders den Pachtern auf den Gütern, die Aecker, Wieſen und Gärten, nach eines ieden Ortes Lage und Beſchaffenheit, nicht weniger dieſelben beſonders zu düngen, und ſo gar ohne Miſt fruchtbar zu machen; auch ein herrliches Mittel wider die Kornwürmer gezeigt wird. Arnſtadt, 4.

Der wohlerfahrne Weingärtner und ſorgfältige Weinſchenke, welcher eine gründliche Anweiſung zum Weinbau und nöthigen Unterricht zur Erhaltung und Verbeſſerung der Weine mittheilet. Ulm, 8.

Der oeconomiſche Tauſendkünſtler in ſympathetiſch-antipathetiſch- und andern Wein- und Haußhaltungs-Geheimniſſen. ibid. 8.

Kunſt-Stücke die ſchönſten Farben zu verfertigen; zweyte vermehrte Auflage. Zittau, 8.

Wahrhafte Färbekunſt, wie man alle Farben auf vier bis fünferley Art färben kan; was vor Waaren dazu können gebraucht werden; und wie die Waſſer verbeſſert werden ſollen. Dritte verbeſſerte Auflage. Langenſalze, 8.

Caminologie ou Traité des cheminées, contenant des obſervations ſur les différentes cauſes qui font fumer les cheminées, avec des moyens pour corriger ce defaut; à Dijon, 8.

La phyſique expérimentale et raiſonnée, qui contient en abrégé ce que cette Science a de plus intéreſſant. Par l'Auteur de la Clef de Sciences (l'Abbé COCHET). à Paris, 8.

De ortu ſtratorum telluris et ratione, qua corpora marina in loca mediterranea translata ſint, commentatio. Pragae, 8.

The general theory and Phenomena of Earth-quakes and Volcanoes; wherein the ſeveral Syſtems of Mr. AMONTONS, Dr. LISTER, and M. DE BVFFON, Dr. WOODWARD and others are exhi-

bited and considered with Remarks, in which the natural Causes of the astonishing Effects are assigned, and the process of Nature in their production investigated and confirmed by Experiments, explaining the several Phenomenes, the usually precede or accompany Earth-quakes, but more especially those uncommon and more general ones of the late Earth-quake, to which are added an historical Account of the various appearences and effects of the most memorable Earthquakes, and Eruptions of Volcanoes upon Record, and a particular history of the Lisbon-Earthquake. By an Ingenious Gentleman who was an Eye-witness of that tremendous Calamity. London, 8.

Reflections physical and moral, upon the various and numerous uncommon Phenomena in the air, water or earth, which have happened from the Earthquake at Lima to the present Time. In a series of familiar letters from a member of Parliament in Town to his Friend in the Country. ibid. 8.

Reflexions physiques et morales sur les differens phénoménes dans l'air, dans l'eau et sur la terre, qui sont arrivés depuis la destruction de Lima jusqu'au tems present; à Londres, 8.

Conjectures physico-mechaniques sur la propagation des secousses dans les tremblemens de terre, et sur la disposition des lieux qui en ont ressenti les effets; à Paris, 12. (*Auctor esse dicitur* Cl. DESMAREST.)

Storia degli orrendi Terremoti che ne' Mesi di Novembre e Dicembre dell' anno 1755. hanno desolato Lisbona; in Venezia, 8.

Angestellte Betrachtung über die den 1 Nou. 1755. *so ausserordentliche Erdbeben und Meeres-Bewegungen, wodurch die Grundfeste eines grossen Theils Europens erschüttert worden, in* 4 *Abhandlungen eingetheilet,*

theilet, und nach phyſicaliſchen und aſtronomiſchen Gründen erläutert. Leipzig, 4. m. K.

Allgemeine und beſondere Geſchichts-Beſchreibung der merkwürdigſten Klüfte und Erdbeben, ausführlich und zuverläßig mit ihren Urſachen, Abſichten und Würkungen von den älteſten bis auf unſere Zeiten erörtert. ibid. *m.* K.

Betrachtungen über die Urſachen der Erdbeben und bisheriger Witterung, nebſt einer hiſtoriſchen Erzählung von den Erdbeben und merkwüridigen Waſſerbewegungen unſerer Zeiten. ibid. 8.

Phyſicaliſche Betrachtung von dem Erdbeben und andern Naturbegebenheiten, nebſt einer geographiſchen Beſchreibung des Königreichs Portugal, und einem umſtändlichen Berichte von dem letzten Unglücksfalle dieſes Reichs, wie auch von allen Erdbeben ſeit der Erſchaffung der Welt bis zum Ende des Jahres 1755. Frankfurt am Mayn, 8. m. K.

Chronica oder Sammlung alter und neuer Nachrichten von den merkwürdigſten Erdbeben, und was ſelbige für Urſachen zum Grunde haben. Frankfurt, 8.

Hiſtoriſch- und phyſicaliſche Abhandlung von Erdbeben, inſonderheit von der in Liſſabon ſich ereigneten großen Erderſchütterung. Augsburg, 8.

Sammlungen von Meynungen großer Gelehrten, die Wunder-Regen betreffend, bey Gelegenheit des zu Ulm und anderwärts den 15 Novembr. 1755 gefallenen Blut- und Korn-Regens herausgegeben. Ulm, 8.

Syſtema neologiae medicae more geometrarum conditum; cum praefatione G. F. STRVVII et acceſſione teſtimoniorum virorum illuſtrium. Nordhuſae, 8.

Aphoriſmi variorum auctorum, maxime HIPPOCRATIS et CELSI locis parallelis illuſtrati; cura THEOD. IANS. AB ALMELOVEEN; gr. et lat. Viennae, 4.

Idem liber recuſus Argentorati. 8.

Phyſiologia of natuurkundige Ontleding van het menſchelyke Lichaam, waarin deszelfs Maakſel, Werking, enz. verklaart wordt. Eerſte Stukje. Te Amſterdam, 8 mai.

Elémens de Phyſiologie, compoſés en faveur de ceux, qui commencent à étudier en Médecine; à Paris, 12.

Drey merkwürdige phyſicaliſche Abhandlungen von der Einbildungskraft der ſchwangern Weiber, und derſelben Würkung auf ihre Leibes-Frucht; aus dem Engliſchen überſetzt. Strasburg, 8.

Deux Memoires; le premier ſur la conſervation des Enfans et une deſtination avantageuſe des Enfans trouvés; le ſecond, ſur les biens de l'Hôpital *S. Jaques* leur état actuel et leur veritable deſtination; (à Paris) 12.

Miſericordiae limites in exercenda arte. Progr. Lipſiae, 4. (*Auctor Cl. D.* IO. ERNEST. HEBENSTREIT.)

Onomatologia medica completa, *oder mediciniſches Lexicon, das alle Benennungen und Kunſtwörter, welche der Zergliederungs- und Wundarzneywiſſenſchaft eigen ſind, deutlich und vollſtändig erkläret; von einer Geſellſchaft erfahrner Aerzte herausgegeben; mit einer Vorrede begleitet von Hrn.* ALBRECHT VON HALLER. *Ulm, Frankfurt und Leipzig,* 8 mai.

Pharmacopoeia Collegii Regii Medicorum Edinburgenſis. Edinburgi, 12.

Idem liber recuſus Hannouerae. 8.

Recueil périodique d'obſervations de médecine, chirurgie, pharmacie, etc. Tome IV et V. à Paris, 8.

Sammlung auserleſener Wahrnehmungen aus der Arzeney-Wiſſenſchaft, der Wundarzeney- und Apotheker-

thekerkunſt; aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Straßburg, 8. (*Eſt translatio praecedentis libri: Recueil periodique d' obſervations de medecine, etc. Translator Cl.* ROTHE M. D. *Reviſor Cl.* BOECLER M. D. et P.)

Recueil de piéces concernant l'inoculation de la petite-vérole et propres à en prouver la ſecurité et l'utilité; à Paris, 12.

The grand objections to inoculation conſidered with caſes, that tend to confute the only plauſible arguments made uſe of prejudice to ſo beneficial a practice, to which are added remarks in a Letter upon inoculation lately publiſhed. London, 8.

Recherches ſur le pouls par rapport aux criſes; à Paris, 12. (*Auctor eſſe dicitur Cl.* DE BORDEV.)

Extrait du ſecret de ROONHVYSEN pour accoucher les femmes; Nürenberg, 8. c. f.

Auszug aus ROONHVISENS *Geheimnis in der Geburtshülfe; mit Anmerkungen. Nürnberg,* 8. *m.* K.

Tractatus medico-hiſtoricus de tribus impoſtoribus, *oder freymüthige Gedanken von den drey berüchtigten Verführern des Volks:* 1) *dem Getränke des Thee und Coffee;* 2) *der Erwählung commoder Tage;* 3) *der Anſchaffung der Haus-Apotheken, Leipzig,* 8.

Der Engliſche Stallmeiſter und bewährte Roßarzt; aus dem Engliſchen MATTH. HODSONS *und anderer überſetzt; Neue Auflage.* ibid. 8.

Entdeckung derer bey der Rindviehſeuche mit einem bewährt befundenen Mittel angeſtellten Verſuche. Cöthen, 8.

Sammlung chymiſcher Verſuche. Tübingen, 8.

Eines ſcharfſinnigen Chymici hinterlaßenes Buch ohne Titel. Nürnberg, 8.

Alchimiſch Siebengeſtirn, oder ſieben auserleſene Tractätlein vom Steine der Weiſen. Frankfurt, 8.

Centrum

Centrum naturae concentratum; *oder ein Tractat von dem wiedergebohrenen Salz; insgemein genennt der Weiſen-Stein. Frankfurth,* 8.

Aufrichtiger Wegweiſer zum Licht der Natur, oder ad Tincturam phyſicam Paracelſi *und* lapidem philoſophicum. *Nürnberg,* 8.

Auszüge aus den neueſten mediciniſchen und chirurgiſchen Diſputationen; bis 4tes Stück. Stuttgard, 8.

Bibliographie médicinale raiſonnée; ou Eſſai ſur l'expoſition des livres les plus utiles à ceux qui ſe deſtinent à l'étude de la médecine; avec une lettre de M. *du* MONCHAVX, Médecin de l'Uniuerſité de Douay ſur les commentaires de M. le Baron *van* SWIETEN et ſur quelques autres Ouvrages. à Paris, 12.

Kurze Unterſuchung der wahren Urſachen, welche den Profeßor der Chymie bey dem Königl. Collegio Medico-Chirurgico *zu Berlin, Herrn* IOHANN HEINR. POTT, *bewogen, ſeine ſo genannten* Animaduerſiones *wider die phyſicaliſchen und chymiſchen Erfahrungen, ſo in denen Gedenkſchriften der Königl. Preußl. Academie der Wiſſenſchaften, von dem* Director *der phyſicaliſchen Claſſe beſagter Academie, dem Königl. Geheimen Rathe und erſten Leib-Medico, Herrn* IOH. THEODOR ELLER, *einverleibet worden, abzufaſſen und durch den Druck bekannt zu machen; nebſt beygefügter Prüfung beſagter* Animaduerſionum. *Berlin,* 4.

E. D. ADAMI *Gedanken über das Seltene und Betrachtungswürdige an einem zu Landeshut* 1755 *gefällten Buchenbaum. Breßlau,* 8.

B. S. ALBINI Academicarum Annotationum Liber Tertius. Continet anatomica, phyſiologica, pathologica, zoographica. Leidae, 4. mai. c. f.

GE. LVD. ALEFELD, Diſſ. inaug. de aere ſanguini permixto. Gieſſae, 4.

Relation

Relation de la peſte dont la ville de Toulon fut affligée en MDCCXXI; avec des obſervations inſtructives pour la Poſterité; par M. D'ANTRECHAVS. à Paris, 12.

VON ARVIEVX, *hinterlaſſene merkwürdige Nachrichten von ſeinen Reiſen nach Conſtantinopel, in Aſien, Egypten und der Babarey; im Franzöſiſchen herausgegeben von* LABAT, *und itzt ins Deutſche überſetzt; 6ter und letzter Theil. Coppenhagen,* 8.

PETR. ERNEST. ASCH, Diſſ. inaug. de natura ſpermatis obſeruationibus microſcopicis indagata. Gottingae, 4.

Oſſervazioni teorico-pratiche del Fiſico ANTONIO DE AVGVSTINIS Novareſe intorno alle Febbri migliari, che popolarmente ſi ſono diffuſe per la Citta' di Novara e propagate talor per contatto nell' anno 1755. In Milano, 8.

F. B. *Geheimniße der Probierkunſt des Münzweſens und Gvardeins Verrichtung beym Aufwiegen auf Seygerhütten. Leipzig,* 8.

Examen de pluſieurs parties de la Chirurgie d'après les faits qui peuvent y avoir rapport. Par M. BAGIEV; Voll. II. à Paris, 12.

Nuttig Gebruyk van het Miſcroſcoop, of Handleiding tot niewe Waarnemingen etc. int Engelſch beſchreeven door HENRY BAKER; Hieragter is gevonden de natuurlyke hiſtorie van de Polypen; alles met nodige afbeeldingen opgeheldert. Te Amſterdam, 8. c. f.

H. BAKERS, *das zum Gebrauche leicht gemachte* Microſcopium, *aus dem Engliſchen überſetzt; dem beygefügt eine neue Nachricht vom* Polypo, *und* L. STEINERS *Beſchreibung ſeines neuerfundenen* Vniuerſal-Microſcopii. *Zürich,* 8. *m.* K.

Delle Acqui minerali di Chianciano nel Seneſe Relazione di GIVSEPPE BALDASSARRI. in Siena, 4.

D. BECKERS *Vertheydigung des Chymiſchen Wahrſagers; nebſt Erklärung vieler wichtigen alchymiſchen Sätze. Langenſalza*, 8.

ANDR. BERCH, Diſſ. Staeders afſtand ifran hwarandra upräknat pa oeconomicka grunder. Reſp. *Carol. Brunkmann.* Vpſal.

IOH. PHIL. BERCHELMANN, *Abhandlung vom Krebs, worinnen deſſen Urſachen unterſucht, und zwey bishero geheim gehaltene Heilungsmittel entdeckt werden. Frankfurt am Mayn*, 8.

CAROL. AVGVST. DE BERGEN, Comment. de thermometris menſurae conſtantis. Norimbergae, 4. c. f.

Eiusd. Diſſ. inaug. de phrenitide. Reſp. *Fab. Iac. Rohntzen.* Francof. ad Viadr. 4.

FRID. CONR. BERGMANN, Commentatio de dignitate et praeſtantia medicinae. Lipſiae, 4.

Eiusd. Comment. de neceſſitate atque amicitia, quae ſacerdotibus cum medicis intercedit. ibid. 4.

I. H. BEHRS Medicina conſultatoria, *oder Sammlung einiger ſchweren und ſeltenen Fälle, ſammt denen von ihm darüber verfertigten Berathungen und eingeſchickten Beantwortungen. Zweyter Theil. Augſpurg*, 4.

Memoire ſur les Tremblemens de Terre, avec quatre ſermons à cette occaſion par M. ELIE BERTRAND. à Vivis, 8.

The Hiſtory of the Royal Society of London for improving of natural Knowledge, from its firſt riſe; by THOMAS BIRCH; Voll. II. London, 4 mai.

ELISABETHAE BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum uſum aſſeruantur, etc. ſeu ELISABETH BLACKWELL *vermehrtes und verbeſſertes Kräuterbuch; bis* 392 *Blat; illuminirt. Nürnberg*, fol. mai.

IOH. GOTTLIEB BOECKMANN, *gegründete Verſuche und Erfahrungen von der zu unſern Zeiten höchſtnöthigen Holz-Saat.* Chemnitz, 8 mai.

PHIL. ADOLPH. BOEHMERI Obſeruationum anatomicarum rariorum Faſciculus II. notabilia circa uterum humanum continens. Halae Magdeb. fol. c. f.

HERM. BOERHAAVE Inſtitutiones medicae. Editio noua. Norimbergae, 8.

FRID. BOERNER, Relationes de libris phyſico-medicis partim antiquis partim raris. Faſciculus I et II. Vitembergae, 8.

Eiusd. Inſtitutiones medicinae legalis in uſum auditorum ſuorum adornatae. ibid. 8.

Eiusd. Diſſ. exponens Antiquitates medicinae aegyptiacas. Reſp. *Paulus Fabri.* ibid. 4. c. f.

Eiusd. Progr. Memoriae Profeſſorum Medicinae in Academia Wittembergenſi inde a primis illius initiis renouatae Specimen ſecundum. Lipſiae, 4.

GEORGE DANIEL BÜSEL, *Grundlegung zur Hebammenkunſt vor die Wehmütter; nebſt einem Anhange vom Hebammeneide. Flensburg,* 8.

BARTHOLOMAEI BOSCHETTE, de ſaliuatione mercuriali tractatio phyſico-medico-mechanica. Francofurti, 4.

ERNESTI GOTTLOB BOSE, Diſſ. inaug. de conatuum pariendi regimine. Reſp. *Chriſtian. Frider. Angermann.* Lipſiae, 4.

GEORG. MATTH. BOSE, Diſſ. phyſ. de natura et origine nebularum. Reſp. M. *Andreas Caſparides.* Vitembergae, 4.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

1. Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar for Aor 1755. Vol. XVI. p. 195.

2. HALLERI Diſputationes chirurgicae ſelectae Tom. III. IV. et V. p. 226.

3. PLVMIERII Plantarum americanarum Faſciculus III et IV. p. 240.

4. Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la deſcription du cabinet du Roi. Tom. V. p. 243.

5. PLANCI Ep. de urina cum ſedimento coeruleo p. 261.

6. BROWNE the civil and natural hiſtory of Iamaica p. 263.

7. GAVTIER Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle ſur la phyſique etc. Part. XIII-XVIII. p. 289.

8. MÜLLER Diſſ. de oleis eſſentialibus ſiue aethereis vegetabilium absque deſtillatione parandis p. 301.

9. BIRCH the Hiſtory of the royal ſociety of London etc. Vol. I. II. p. 304.

10. Verhandelingen uitgeegeven door de Hollandſe Maatſchappy der Weetenſchappen te Haarlem. Pars I. p. 309.

11. Hiſtoire de l'academie royale des ſciences et belles lettres de Berlin. an. 1754. p. 323.

12. THEBESII *Hebammenkunſt* p. 340.

13. SCHAEFFER *die eingebildeten Würmer in Zaehnen* etc. p. 350.

14. Noua phyſico-medica p. 352.

15. Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756. prodierunt p. 369.

CATALO-

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VI. PARS III.

LIPSIAE. MDCCLVII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Pariſiis apud Briaſſon, Patavii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.



I.

Kongl. Suenska Vetenskaps Academiens Handlingar foer Aor 1756. Vol. XVII. med Kongl. Academiens Tillſtoand. Tryckte i Stockholm hos Lars Saluius pao deſs egen Koſtnad 1756. 8 mai. pl. 21. tab. aen. 10.

h. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae. Anni 1756. Vol. XVII.

Trimeſtre primum: p. 1.

1) Cl. VARGENTIN *de parallaxi ſolis et planetarum* commentatur, in primis Cl. DE LA CAILLE conatus eo tendentes, in promontorio bonae ſpei ſuſceptos, et Suecorum aſtronomorum, illis reſpondentes, breuiter enarrat.

2) *Modum tabulata aedium et ſtructuras ligneas a putredine et mucore ſeruandi* edit CAROLVS KNVTBERG. Cum haec damna ab aere et vaporibus humidis ſtagnantibus oriantur, vult aeri vias libere permeandi ſub pauimentis conclauium inferiorum relin- p. 13.

qui: pauimenta vero duplicia eſſe oportet, ne conclauia ſic frigida reddantur.

p. 23. 3) *Ayeniam deſcribit et depingit* Cl. LINNAEVS. Planta, ex ſeminibus a PHILIPPO MILLER miſſis nata, 1755 in horto Academiae Vpſalienſis floruit. Patriam LINNAEVS eſſe ait nullam aliam poſſe, quam calidiorem Americae partem. Annuam ſuſpicatur, etſi certus de hoc adſerto non ſit; caulis enim, cum in ſerum hiemem duraſſet viridis, diebus quibusdam nubilis interiit. Plantam a Waltheriis et Sidis ſine flore parum expertus non diſtinguit. Caulis in vaſe altitudinem quartae partis ulnae attigit, erectus, unicus, rotundus, ſubhirſutus, inferius aliquantum ramoſus. Folia ſunt alterna, ouata, profunde ſerrata, nuda, nutantia, venis oppoſitis ad angulum acutum exarata: Foliorum petioli erecti, ſubhirſuti, foliis ipſis longitudine aequales. Stipulae erectae, breues, ſubulatae. Florum petioli breues, unici, ſubhirſuti, in ala folii, gerentes ſinguli florem
p. 24. unicum, verſus terram nutantem. Vberior deſcriptio haec eſt: *Calix*: Perianthium pentaphyllum; foliolis lanceolatis, patentibus, perſiſtentibus. *Corolla*: Vngues quinque, filiformes, longiſſimi, extrorſum arcuati. Laminae totidem, connatae in ſtellam planam, quinquedentatam, ambientem apicem receptaculi apicibus bifidis reflexo-adnatis. *Stamina*: Filamenta quinque, ſtellae corollinae incumbentia, patentia, breuia, adſcendentia, diſtantia, ſuperne craſſiora, in antheras effoetas terminata. Antherae ſubrotundae, ſeſſiles in crenis corollinis, ſub ſtella corollina, vere polliniferae. *Piſtillum*: Columna cylindrica, recta, longitudine calycis, terminata ſtella corollina. Germen ſubrotundum ſupra ſtellam corollinam. Stylus cylindricus, breuis. Stigma capitato-obtuſum. *Pericarpium*: Capſula ſubrotunda, quinqueloba, quinquelocularis. *Semina* ſolitaria,

ria, ſubrotunda, compreſſa. Singulare huic flori eſſe ait receptaculum, cylindri modo elongatum, et calycem longitudine aequans, fere, ut in Paſſiflora et Clutia. Vnicum vero hoc exemplum in regno vegetabili exiſtit petalorum, ad apicem receptaculi in ſtellam planam coeuntium, ſuamque naturam, qua mollia et colorata ſunt, deponentium, unguium petalorum autem arcuatorum exterius et florem velut clathro circumdantium; non minus ſingulare eſt, ſtamina ſupra ſtellam illam adcreſcere, et ibi antheras mentiri, ſed ſteriles, cum verae ſub ſtella ſine filamentis ſedeant. Cum planta in ordine naturali proxima ſit Waltheriis, Sidis et aliis columniferis, vim eius medicam pronunciat mucilaginoſam, inuoluendis humoribus acribus, fibris molliendis et lubricandis aptam. Nomen ipſi impoſuit a duce D'AYEN, quod ille rariſſimas plantas in hortos ſuos ex orbe uniuerſo conquirit.

4) *Napi cultura* quo modo in Seelandia Batauiae ſuſcipiatur, et oleo exprimendo adhibeatur, deſcribit ERIC. GVSTAV. LIDBECK. Plantam feliciter in Sconia iam colunt, quo pertinentia plura, ut ipſe expertus eſt, addit, ut vere ſeri napum non poſſe, quia aeſtate proxima non matureſcat; poſt medium auguſti ſatum, non ſatis temporis habere, ut radix hyemem ſubſequuturam ferre poſſit, et alia, Sconiae in primis climati aptata. Oleum napi, ut butyri aut alius pinguedinis loco inter eſculenta haberi poſſit, ita ait extra Sueciam praeparari: in vaſe ferreo igni leni imponi, iniectis fruſtis panis acidi, quae acerbum illud et ingratum guſtui, quod oleo ineſt, attrahant. p. 27. p. 31.

5) *Piſcem quendam, Suecis* Mal *dictum*, deſcribit PETRVS OSBECK. Eſt *Silurus pinna dorſali unica,* p. 34.

cirris ad os plurimis. LINN. It. Scon. p. 62. eſculentus, ſed rarior.

p. 40. 6) *De variolarum contagio quodam, inſitioni ſimili*, commentatur; ſimul ut frequentetur variolarum inſitio in Suecia, ſuadet PETRVS IONAS BERGIVS. Feminae pauperis infans ſeptimanarum viginti et quatuor, variolis confluentibus malignis, tunc epidemicis, undecimo morbi die, medicamentis et aliis morbi leuaminibus deſtitutus, perierat. Mater exiguo deinde tempore elapſo, male ſe habens, dolores artuum ſentiens et febrim vehementem, Noſtrum conſuluit. Pulueribus, qui refrigerarent, datis, poſt quinque dies nuncium accepit, ceſſare febrim, variolas vero ſe oſtendere. Reperit igitur in mamma ſiniſtra variolas coaceruatas, in primis infra papillam copioſiſſimas, paucas in facie, vix unam alteramue in reliquo corpore toto. Paſſane morbum hunc ante fuerit, ignorauit. Lectulo cautionis loco magis decubuit, quam quod vis morbi illam coegiſſet. Variolae benigni generis erant, neque medicamentis multis indigebant; Mox ſiccae factae, tandem omnes defluebant. Ante decimum diem plane conualuerat, niſi quod mamma dolebat adhuc et tumebat, forte quia lac ibi ſtagnauerat. Primum in eo eſt Cl. BERGIVS, ut veras variolas fuiſſe oſtendat. Nam quod ſolet efflorescere variolis plane ſimile, in eorum, qui variolis decumbentibus adſunt, ipſi vero variolas iam perpeſſi ſunt, corporibus, in primis ubi aegrorum variolas attigerunt, id ſine febre et morbo eſſe pronunciat. Matri autem virus inſitione quadam ab infante datum eſſe probat locus, ubi variolae emerſerunt, ea enim mamma ſola infantem lactauerat: Hoc igitur phaenomenon exacte conuenit cum iis, quae in inſitione artificiali variolarum contingunt. Quod ſuctione infans mammam irritauerat, effecit, ut humores copioſius eo confluerent. Ab

hac

hac irritatione et fluxu humorum, eum in locum, ubi minus periculi a variolis est, determinato, pendere arbitratur Noster, quod insertione elicitae variolae periculo careant. Praeparationem corporis eo aliquid facere non negat, haec tamen femina nullis plane remediis praeparantibus usa erat, et ab infante, variolis pessimis exstincto, optimas accepit: Neque praeparatione usi sunt barbari americani, cum crudeliter grassarentur variolae, insertione omnes seruati. Vrget igitur Noster, ut Sueci hac seruandorum hominum arte utantur, huc usque narrat quatuor saltim infantibus ibi variolas insertione datas esse.

7) *De sale alcali et terra ei iuncta noua quaedam* p. 46. *experimenta* edit G. BRANDT. Vegetabilium, quae alcali volatile praebent, primo nominat semen sinapi, quod in catino tecto in furno docimastico candefactum, cum vehementi flamma, diuturna, et crepitante, deflagrat; residuus est post pinguedinem consumtam cinis griseus, nullum alcali fixum praebens, non effervescens cum aqua forti, ab illa tamen solubilis, facilius etiam solitarius vitrescens, quam cinis lignorum elixatus. Eadem fere ostendit fuligo, immo flammam vehementiorem et diuturniorem, cinis vero obscurius griseus est, elixatus et filtratus pauculum alcali fixi ostendit, terra residua cum acidis fortioribus effervescente, rursus facilius vitrescebat cinere ligni. Sali culinari inest alcali fixum minerali simile, nitro autem vegetabili simile. Prioris adserti argumentum est, quod ex acido vitrioli et alcali illo fiat sal mirabile, acido nitri addito nitrum cubicum, acido vegetabili addito sal Seignette; praeter ea quod alcali hoc in crystallos abeat ab aere humido non diffluentes. Quod autem nitrum attinet, acido eius phlogisti ope remoto, alcali nitri, nitrum fixum vocant, ab aere humido liquatur aeque, ac cineres clauellati, et acido vitrioli aut sulphuris admixtum prae-

p. 48. bet tartarum vitriolatum. Cineribus clauellatis pauxillum ſalis medii ineſſe, etſi nihil acidi ex aere attrahere potuerunt, ita probat: Cineres ex furno, in quo ignis per aliquot ſeptimanas non exſtinctus fuerat, ſumſit, calidas aquae indidit et coctione elixauit. Ex lixiuio filtrato euaporatione eryſtallos obtinuit, guſtu et ignis patientia tartaro vitriolato ſimiles; illi cum pauxillo puluēris carbonum et ſalis tartari, ab omni vitrioli acido puri, fuſi, aliquid hepati ſulphuris ſimile exhibuerunt: Nihil hepatici exhibuit ſal tartari ſolum cum carbonum puluere fuſum. Acidum vitrioli igitur ex aere in cineres, candentes fere, aquae inditos, intrare non potuit, ſed vel ante in illis fuit, vel a vaſe ferreo natum eſt, in quo lixiuium ebulliit
p. 50. et euaporauit. Lixiuium cinerum clauellatorum griſeorum euaporatione et frequenti agitatione in ſal griſeum abiit, valde cauſticum, et facilius in igne fundendum cineribus clauellatis albis. Cauſticam hanc vim et facilitatem fluendi in igne a calce non eſſe, ſed a terra pingui, quae poſtquam deflagrauit pinguedo, lota, ſiccata, candefacta, cum aqua fortī non efferueſcit, ſed facile vitreſcit. Experimentum, quo id probat, hoc eſt: Cineres griſei, in aqua ſoluti, fluidum colore rubeo tinxerunt, lixiuium vero hoc adeo cauſticum fuit, ut pennam in illo per noctem relictam ad nigredinem combuſſerit. Eius generis cineres, igne fuſi ſunt, ante quam candeſcerent, albi vero cineres clauellati, candeſcunt ſine fuſione. Porro cineres griſeos, exiguo calore et perpetua agitatione calcinauit, ut nec funderentur, nec coirent, reperit autem, prouti magis magisque albeſcebant, plus ignis ante fuſionem ferre, donec plane albi facti eſſent, nulla fuſione aut colliquatione candentes. Hos calcinatos cineres ſoluit, filtratione a terra ſua ſeparauit, et lixiuium obtinuit, aquae limpiditate gaudens, non cauſticum, ex quo euaporatione ſal lixiuioſum album obtinuit. Ita ſuadet cineres clauellatos

tos griſeos omnes purefieri, donec album ſuum colorem obtineant, cum tunc demum ſatis puri mechanicis uſibus recte adhibeantur. Terram a lixiuio reſiduam lento calore ſiccauit, quae cum aqua forti efferbuit, ante quam canduerat; poſt candefactionem vero non amplius efferueſcebant, etſi microſcopium nihil vitri inde nati oſtenderet. Igne docimaſtico per octauam horae partem ſolle agitato colliquari et fluere coeperunt, quarta autem horae parte ſimili igne in vitrum abierunt, indicio calcem terrae huic non ineſſe. Acre vero eſſe et cauſticum, quod inde naſcitur, hepati ſulphuris ſimile, guſtus ſatis docet. Alcalica maiore ignitione magis acria fieri negat Noſter, p. 52.
cum vegetabilia aeque, ac mineralia, fuſionibus in igne magis acria non fieri, ſaltim notabiliter, expertus fuerit; diſcrimen vero hoc ab eo naſci autumat, quod terra illa pinguis, de qua diximus, maiori minoriue copia, illis admixta, colliquatur. Olea et pinguedines alcalicis nulla calce mediante uniri, ex adductis manifeſtum eſſe ait, additque exempla varia ſaponum ſic praeparandorum, puta, adhibitis cineribus clauellatis albiſſimis. Tartaro combuſto, aqua p. 54.
eloto, filtrato, lixiuio euaporato, ſal tartari griſeum obtinetur: cineres reſidui copioſi cum aqua forti efferueſcunt, ſiue igne canduerint, ſiue non. Ineſt vero minore copia ſali tartari huic griſeo alia terra ſimilis illi, quae cineribus clauellatis griſeis admiſcetur. Sale tartari eodem modo et eadem attentione, ut de cineribus clauellatis griſeis diximus, calcinato, terra haec a ſale alcalino ſeparatur, vinculi, quod utrumque colligauerat, pinguedinis ſcilicet, deflagratione, opus vero eſt, ut caueatur, ne ſal fundatur. Terra ſic igne ſeiuncta, ſolutione ſalis in aqua, filtratione et euaporatione facile ſeparatur. In par- p. 55.
tibus 357 ſalis tartari griſei, 9 phlogiſti combuſti, terrae colorantis 21, cuius reſiduae erant poſt combuſtionem phlogiſti 21. Hepate autem ſulphuris

confecto ex floribus, cum dupla quantitate ſalis alcalini albi colliquatis, acidum ſulphuris $16\frac{2}{3}$ vicibus ſu-
p. 58. perare phlogiſton eius reperit: Denique quid conferat terra illa ad coeruleos iſtos colores pictorios, Berolinenſem et Erlingenſem, docet, et quaedam eo pertinentia accuratius deſcribit.

p. 60. 8) *Solis parallaxin obſeruationibus Holmiae inſtitutis, quae illis reſpondent, quas* Cl. DE LA CAILLE *in capite bonae ſpei inſtituit*, definire tentat PETRVS VARGENTIN. Vtitur martis parallaxi horizontali, quam ex obſeruationibus 31 Holmienſibus, cum Cl. DE LA CAILLE comparatis reperit min. ſec. 18.
p. 70. tert. 20. Vnde comparatis martis et ſolis a terra diſtantiis illa die, qua parallaxis haec martis obtinuit, ſolis parallaxis computatur ſec. 10. tert. 50.

p. 72. 9) *Acus magneticae declinationes in locis Sueciae borealibus obſeruauit* ANDREAS HELLANT. Torneae declinare acum verſus occaſum gradibus 7 aut $7\frac{1}{2}$ reperiit, ut Cll. BILLBERG et SPOLE 1695 ibidem repererunt. Galli vero, qui arcum meridiani 1737 ibi menſurarunt, gradibus 5 minutis 5 declinare reperierunt. In inſula vero Vadſo acus minuta 45 ſaltim et Vardhuſiae dimidium gradum declinauit, indicio prope ea loca meridianum magneticum tranſire, quod theoria magneticae Halleianae illuſtrandae inſeruit.

p. 75. 10) *Remedium foeno, quod humidum ob aeris temperiem locis, ubi ſeruari debet, inferendum eſt, adhibendum*, docet C. G. B. Sal ei interſpergendum eſt. Id experimentis plurium annorum utile ſe reperiſſe teſtatur; etiam cum ſiccum ſatis foenum eſt, cum ſal tunc humido naturali foeni ſeruando conducat efficiatque, ut non comminuatur et ſic perdatur. Impenſas etiam minores eſſe ait, quam ut metui debe-
ant,

ant, cum de pabulo pecoribus ſano procurando agitur.

11) *De praemiis ab Academia* 1755 *diſtributis refertur.* Alterum FAGGOTO datum eſt, qui methodum nitri in dato puluere pyrio contenti quantitatem reperiendi, ſubiectis de pulueris pyrii praeparatione monitis, docuerat; alterum LIDBECKIO, qui de rubiae tinctoriae cultura et uſu commentatus erat. Scripta illorum trimeſtre ſecundum anni 1755 exhibet. Praemia ſingula ſunt nummi aurei ducatorum decem. p. 77.

Trimeſtre ſecundum: p. 79.

1) Doctrinae *de cometis* hiſtoriam litterariam inchoat PETRVS VARGENTIN.

2) *Faciliorem uſum machinae optimis frumentorum granis a leuioribus et ſeminibus heterogeneis ſeparandis* docet C. I. CRONSTEDT. Perill. L. B. A BRAVNER *in cogitatis de agris et pratis*, quae ſuecico ſermone edidit, cylindrum cauum parari iubet, cribri modo foraminibus pertuſum, circa axem ſuam verſatilem, ei iniecta grana alia meliora per unam partem cylindri, alia per aliam foraminibus diuerſae magnitudinis eiiciuntur. Noſter primo magnitudinem foraminum pro quolibet frumenti genere accurate definit, deinde cribro hoc cylindrico circumuoluendo ventum adhibere docet, ne hominis verſantis opera neceſſaria ſit, deinde inſignem eius uſum experimentis oſtendit. Ita hordeum, cuius ſemunciae decem grana auenae 514 continebant, quinquies cribratum, nouendecim grana auenae in eodem pondere retinuit. p. 90.

3) *Cicadam Americae ſeptentrionalis* deſcribit PETRVS KALM. In omnibus regionibus Americae borealis p. 101.

borealis reperitur, notiſſima in iis, quas Angli et Sueci incolunt. Maxillam utramque habet lineis octo transuerſis concauis diſtinctam, alarum marginem inferiorem luteſcentem; eiusdem ſpeciei cum gallica Ill. A REAVMVR *Memoires ſur les inſectes Tom. V. Mem. III. tab. XVI. fig.* 1. 2. 5. 6. deſcripta, ſingularibus tamen proprietatibus gaudens, quibus a gallica differt, niſi eaedem de hac non commemoratae ſunt. Inſecta vermium forma ſub terra deliteſcunt; fide digni teſtes retulerunt in profunditate quatuor, immo duodecim pedum reperta eſſe. Maio ineunte emergunt, arbores perrepunt et ibi laruam deponunt, alas vero euoluunt. Aculeo, quem in poſtica parte corporis gerunt, tenuem corticem ramuſculorum perterebrant, ibique ſiue oua, ſiue aliam materiem deponunt, ramuſculos etiam muco quodam inquinant. Ramuſculi interdum exſiccati pereunt, arboribus integris id accidiſſe idoneae obſeruationes non teſtantur. Rarius vero magna copia hae cicadae apparent, plurimis annis vix ſingulae in
p. 105. ſyluis videntur, et audiuntur. Anno vero 1749, quo Noſter in Penſyluania morabatur, ſubito ingenti copia nocte, quae viceſimum ſecundum maii ſtil. vet. anteceſſit, apparuere, cum die praecedente nulla illarum viſa eſſet. Cantu ſyluas adeo replent, ut loquentes mutuo ſe audire vix poſſint. Mirabile vero eſt, quod incolae retulerunt, et teſtimonia obſeruatorum quorundam confirmare videntur, ſeptendecim ſingulis annis magnam horum inſectorum copiam apparere. Etſi credibile ſit ouis recipiendis corticem ramorum perforare, id tamen explicari nequit, cur nulli in arboribus vermes, eorum progenies, eodem anno aut ſequenti appareant, quos copioſos naſci ab hoc genitorum exercitu deceret. Immo ipſae cicadae ſequenti anno fere euanuerunt, nam cum eadem loca ſequenti anno 1750 menſibus aprili, maio, iunio tranſiret Noſter, vix unam alteramue audiuit, et

plures

plures non adfuiſſe incolae teſtati ſunt. Solent in alia regione copioſa eſſe, in alia rariora, eodem anno. Barbari veſcuntur vermibus aſſatis. Iidem veſparum progenie, cum eo adoleuit, ut alarum initia appareant, aſſata coctaque veſcuntur. Damna ab inſectis his praeter illam ramorum perniciem nulla obſeruata ſunt.

4) *Hominis, qui frigore interemtus videbatur, ad vitam reuocati, hiſtoriam narrat* SAMVEL NAVCLER, M. D. Vir ſexagenarius martii 23. anni 1756 naufragio in ſcopulum eiiciebatur. Spiritu vini temulentus, ibi ſtatim in ſomnum incidebat, neque reperiebatur, niſi matutino tempore diei ſequentis. Dum vero pedes frigore omnino combuſti, digiti pedum omnes nigreſcentes, pollice dextri excepto, ceterum pedes, brachia, manus, thorax, abdomen, facies frigidiſſima; maxillae vi maxima iunctae, oculi tumentes, immobiles, pulſus motusque cordis, in- et exſpiratio nulla: Scrobiculi cordis tamen exiguus calor ſuaſit Noſtro, ut tentaret, poſſitne homo reſuſcitari. Frictionem igitur pannis laneis uſus in brachiis pedibusque diligenter inſtituit, umbilico et thoraci lintea impoſuit primo parum calefacta, deinde magis, cum renaſci aliquem in corpore calorem ſenſit. Ne hypocauſti calor noceret, pauimento imponi iuſſit, paucis lectulis ſubſtratis. Pedes credidit ſeruari non poſſe. Medicamentis autem deſtitutus, matres familias imitari decreuit, quae frigore rigentes carnes aut oua et ſimilia aquae frigidae iniiciunt. Igitur cum aliter hic res peragi non poterat, lintea aqua frigida madentia pedibus circumpoſuit, eaque ſaepius mutauit. Paullatim regio umbilicalis et thorax incaleſcere, reſpiratio vero non ſentiri, niſi quatuor horis ita abſumtis, hora ſecunda pomeridiana. Pulſus tunc nullus adhuc, neque maxillae ſeparari poterant. Balſamo Torningiano tempora et loca, ubi arteria p. 117.

pulſans

pulſans tangitur, inunxit. Hora tertia cum dimidia elapſa ſentiebatur pulſus, et altera hora poſt maxillae cochleari argenteo ſeparari poterant. Vino igitur calefacto immiſit guttas viginti medicamenti, quod
p. 119. forte aderat, nomen ei *Gratia Probatum*, quod cum viri ori inderetur, is bouis modo mugire, ut animam reddere adſtantibus crederetur, ſed cum aliqua difficultate deglutiebat. Poſt leuiter ſudare et malae rubeſcere, hora quinta oculos mouere, hora ſexta brachia. Igni in lectulo admouebatur, brachiis pedibusque linteis calefactis tectis. Pauxillum vini tepentis ei datum. Hora octaua loqui coepit, primo parum diſtincte, deinde, ubi intelligi poterat, delirare. In pedibus frigoris effectus iam ſublati erant, digiti non amplius nigreſcebant, pedes tamen adhuc erant gelidi. Hora decima veſpertina mouere pedes poterat, de dolore tamen in illis conqueſtus. Pedibus rurſus circumiecta lintea, frigida aqua madentia. Pauxillo cereuiſiae, cum ouo coctae, adſumto dormiuit. Mane ſequente pedes calidi erant; dolor ceſſabat; digitorum color naturalis; pulſus vehemens; ſitire ſe querebatur. Venam ſecare inſtrumentorum defectu Noſter non potuit. Decoctum auenae dedit. Meridie pulſus remiſſior; aluum exonerauit, leniter ſudauit, dormiuit, et veſpere eius diei ipſe, licet cum doloris quodam ſenſu, nauiculam intrare potuit.

p. 120. 5) *Lapidem deſcribit, in fodina Lapponica et in alia Islandica reperiundum*, AXEL. FR. CRONSTEDT. Eum notis lapidum claſſibus, quae phaenomenis, quae lapides in igne exhibent, diſtinguuntur, commode inſeri poſſe negat. Fruſta vero habuit minora, quam ut examini accuratiori in igne docimaſtico ſufficiſſent. Igitur de his ulterioribus experimentis diſpiciendum eſt. Lapis Noſtro Zeolites vocatur.

6) *Dipſacus*

6) *Dipſacus Fullonum quo modo plantetur*, deſcri- p. 123.
bit ERICVS GVSTAF LIDBECK. Gallicum Sueci huc uſque emerunt, ſed iam ait Sconico uti poſſe, cuius aculei rigidiores ſunt, nec tamen, dum ad uſum transferuntur, franguntur.

7) *Monſtrum Vadſtenae editum*, deſcriptum et de p. 126.
pictum ſiſtit HERMANN SCHVTZER. Deſcriptio et pictura *Suenoni Walmanno*, legionis Krigsmannshuſanae chirurgo debetur, qui patri SCHVTZERI eam miſit. Biceps fuit, binis collis unico trunco inſidentibus. Brachia tria, quorum duo ſedem et conformationem conſuetam habebant, tertium e ſcapula ſiniſtra natum circa ſiniſtrum praecedentium curuabatur, digitis inſtructum quatuor, craſſioribus, longioribus, unguibus gallinarum unguibus ſimilibus. Pedes etiam tres, duo rurſus nihil inſoliti habentes, tertius ex lumbo ſiniſtro, ſiniſtro lateri adiacens, digitos habens ſex, ungues gallinaceos. Spina dorſi duplex ſentiebatur; ani etiam duo, alter conſuetae magnitudinis, alter perexiguus. Sexus femineus. Cor unicum in thorace medio, ſupera parte et inferiore aeque craſſum, ad nullum latus inclinans; ventriculi eius bini, auriculae binae. Pulmones perfecti, dexter pulmo tracheam emittens in unum caput, ſiniſter aliam in reliquum. Abdominis cauum nihil inſoliti oſtendens; oeſophagi vero bini, digito transuerſo ſupra diaphragma in unum coaleſcentes, ventriculum qui intrabat; iecur, lien unica; renes duo; inteſtinorum tubus unicus, rectum etiam unicum. Parum vitalis partus fuit: Mater illo edito bene ſe habuit.

8) *Remedium doloribus dentium tollendis* commen- p. 128.
dat CAROLVS FRIDERICVS RENSTROM. Praefatus, tot contra odontalgiam laudari ſolita remedia, fruſtranea ſaepius eſſe, quod ad cauſſas diuerſas morbi

bi non attendatur, in Weſtmannia odontalgiam vehementem, a rheumatiſmo ortam, hoc modo ſublatam ſe vidiſſe refert. Aqua fontana pura, ad ebullitionem uſque calefacta, vaſi infunditur, cui aegri caput ore aperto imminet: caput vero et collum linteis teguntur, ut vapor non poſſit os aegri praeterire. Tunc ſudor ex facie guttatim defluere, dens, qui dolet, frigeſcere, et ex eo oreque ipſo ingens humoris copia deſtillare, quem ne deglutiat, cauet aeger, os etiam non claudit, ſic vero per horae quadrantem perdurat. Poſt detergitur ſudor, mentum linteo tegitur, os etiam ipſum, ne frigus ſubito noceat. Relatum et Noſto, qui huc uſque narrata vidit, ſi, quod vix fieri ſoleat, redeat dolor, altero die eadem facienda eſſe, euentu certo felici. Optime remedium hoc veſpere adhibetur, ut quieſcere et os tegere poſſit aeger. Noſter remedium hoc alios docuit, qui optato ſucceſſu illo uſi ſunt.

p. 131. 9) *Febres a variolis ceſſantes* fiſtit PETER IONAS BERGIVS. Duo caſus ſunt feminae viginti annorum et infantis annorum ſex, febre illa, quae plerumque infantes adgreditur, vexati. Et haec febris et illa adultae ceſſarunt, variolis ingruentibus confluentibus malignis. Ita febrim ſuam non ſenſit adulta ſeptimanas ſex, infans quatuor. Poſtquam autem variolae defluxerunt, ſtatim febres redierunt. Contra Cl. ROSEN Vpſaliae expertus eſt, infantes duos a febre infantum liberatos eſſe variolis, ſed poſtquam illas perpeſſi erant, febrim rediiſſe.

p. 134. 10) *Anginam veram et alios colli tumores ſanatos* narrat M. HENRICVS IACOB SIVERS, in loco, Tryſerum appellato, concionator regius aulicus et praepoſitus. Ibi medicinam ſimul facit, quoniam parochianis ſuis numero 2300 medicus deeſt, et aliqui ſex milliaribus ſuecicis ab urbe quadam diſtant.

Ipſe

Ipſe angina grauiter laborans, muſculis pharyngaeis per aliquot dies adeo inflammatis, ut facies et lingua ipſa rubeſcerent atque tumerent, os claudi aut fluidi guttula deglutiri non poſſet, aliis omnibus fruſtra tentatis, emplaſtrum cantharidum magnitudine et craſſitie thaleri uncialis nuchae impoſuit, quod cum effectum ſuum elapſis horis duodecim edidiſſet, muſculorum et linguae inflammatio ceſſauit, et ipſe aliquot diebus poſt ſanitati reſtitutus eſt. Idem remedium poſt ea pluribus, quam triginta, adhibuit, ſemper optato euentu. Ill. ROSEN de hoc experimento iudicat, omnino nociuum non eſſe, a paucis tamen huc uſque tentatum, utile vero eſſe remedium in primis, ſi praecedat venae ſectio.

11) *Qui tremoris terrae nouembr.* 1. 1755. *Gadi* p. 139.
bus Hiſpaniae effectus fuerint, refert Cl. VLLOA. Nos, cum omnia ordine narrare non liceat, unicum adducemus; antequam terra adeo tremeret, ut omnes, quid contingeret, poſſent intelligere, neminem fere fuiſſe, qui non male ſe habuerit. Sentiebantur ſcilicet motus conuulſiui, capitis dolores, animi inquietudines, debilitas, praecordiorum anxietas, dolores per omne corpus. Aliqui ſymptomata patiebantur, quae naues prima vice ingreſſis perferenda ſunt, et ab his malis nemo fere liber manſit. Aliqui illa vel horam, ante quam inciperet terrae motus, ſenſerunt, diem vero totum, cuius hora matutina nona vix ſeſqui minutum terra tremuerat, aegri manſerunt, unde aliqui diutius duraſſe terrae motum, integrumque diem per interualla terram tremuiſſe crediderunt. Ita profecto videbatur quieſcentibus, etiam cum portae domusque immotae ſtarent, ob illa, quae in corporibus eorum contingebant *.

12) *Ex-*

* Cl. WILHELMVS STVKELEY, qui philoſophiam terrae motuum (*the philoſophy of earth-quakes*) nuper

p. 146. 12) *Excerpta ex epiſtola* Cl. BONNET *Genevae april.* 12. 1755 *ad* Cl. DE GEER *ſcripta* eduntur. Pertinent ad vegetationem plantarum in materiis a terra diuerſis. Quae muſco implantatae fuerunt, feliciter omnes adoleuerunt, et ſaepe melius terrae inſertis. Vuas, pyra, ceraſa ab arboribus decerpſit, quae in muſco adoleuerant. In primis plantae bulboſae laete ibi proueniunt. Reliquum culturae ſimile plane fuit culturae earum, quas terra nutriuit. Duobus vero vel tribus annis muſcus in terram ſubtilem diſſoluitur, quae plantis minus conuenit, forte quia radicibus non ſatis ſe applicat. Igitur ut liberari ab ea poſſint plantae, vaſa, quibus continentur, lignea aquae immittenda ſunt, quae parietes vaſorum penetrans, muſcum ab illis ſeparat, ut una cum planta, nullo radicum damno, extrahi poſſit, terra vero e vaſis eiici, et plantis muſcus circumponi. Quibus ergo huius materiae copia eſt, ii recte illa vel ſola, vel terrae ſimoue mixta utantur. Alias etiam materias adhibuit, quibus nutritae plantae colore, magnitudine et ſimilibus variarunt, ut homi-
p. 148. nes diuerſorum climatum. Nanas veluti exhibuit raſura ligni abietini, duos, ad ſummum tres digitos longas, craſſitie, quae longitudini conueniat; folia duas vel tres lineas longa; floruerunt tamen et ſemina exhibuerunt prorſus exigua. Parum illas ſuperarunt intra goſſypium et ſpongiam educatae. Maximas muſcus et argilla comminuta protulerunt. Exigua illa nanarum ſemina, terrae commiſſa, plantas ediderunt aeque proceras, ac quae ex maximis ſeminibus plantarum in terra nutritarum natae ſunt. Hinc infert Cl. Auctor, tuto poſſe grana grauiſſima et

edidit, et cauſſas in electricitate repertum iri ſuſpicatus eſt, plura phaenomena etiam in Anglia congeſſit his ſimilia, creditque ſententiam ſuam illis firmari, male enim eſſe hominibus, quoniam inſcii in ſtatu quodam electrico verſentur.

et farinae ditiſſima hominibus nutriendis adhiberi, leuiora ſeri, niſi terrae conditio aut aeris temperies grana, quibus plus virium inſit, ſeri poſtulent.

13) *Obſeruationes de lue, quae pecora per varias Europae partes infeſtauit*, Berolino miſit ERLAND TVRSEN, qui publicis impenſis medicinae brutorum, equorum in primis, cuius idonea fundamenta domi poſuit, in exteris regionibus ulterius excolendae incumbit. Contagium ait a vaporibus eſſe, quos brutum aegrotum emittit, alterum reſorbet. Vapores tunc demum nocere, cum aegri morbus ad maturitatem ſuam peruenit, quod illi teſtentur, qui in ſtabulis pecus ſuum retinuerunt: His enim ſi incuria forte indiuiduum aliquod infectum fuerit, morbus cum reliquis non communicatur, niſi illius morbus maturitatem ſuam conſequutus fuerit. Inſpiratione vero ſola contagium non recipi, ex hoc infert, quod tardius effectus ſuos oſtendat, quam fieret, ſi inſpiratione propagaretur. Cum vero vapores maligni chyli ope ſanguini miſcentur, tunicam nerueam arteriarum irritare, ſic motum ſanguinis accelerare, vaſa tenuiora hinc flacceſcere, ſanguinem accumulari et corrumpi. Tunc maturum morbum eſſe et contagioſum. Haec pluribus ratis veriſimiliter explicat, et errores plurimos de hoc morbo refutat, ubique rei anatomicae et medicae ſe ſatis peritum, in hoc autem negotio multa expertum oſtendens. p. 151.

Trimeſtre tertium: p. 159

1) *Hiſtoriam cometologiae* continuat PETRVS VARGENTIN.

2) *Experimenta de ſalibus alcalicis* recenſere pergit Cl. G. BRANDT. Coeruleo Berolinenſi adfuſus ſpiritu ſalis pellucidus, et igne agitatus, terram alumi- p. 171.

noſam diſſoluit, colore flauo tinctus. Solutio filtrata, et ope ſalis alcalici praecipitata, lota et ſiccata puluerem flaueſcentem exhibuit, 12 partium, cum 20 partes coerulei eſſent ſumtae; puluis hic ſaturate griſeus magnetem non ſequebatur; reliquas octo partes efficere compertum eſt, quod non ſolutum in filtro remanſerat, poſtquam ſalſedo omnis eſſet elota. In catino ignitum, flammam concepit, reliquit vero cinerem, colore croco martis ſimilem, dimidio ponderis pereunte; magneti paullulum obediebat, magis adhuc, cum carbonibus in puluerem redactis ignitum fuerat.

p. 172. Iam de cinere vegetabilium, ſale alcalico lotione educto, agit. Eum obſeruat eo plus calcis cauſticae continere, quo vehementior ignis fuit, quo productus eſt, et quo ſaepius ignem iam natus cinis pertulit. Hinc cinis lignorum e fornacibus, ſaepius ignem in illis excitatum perpeſſus, nimium cauſticus eſt, quam ut linteis lauandis aut pannis laneis ſubigendis adhiberi poſſit, minus acris, quem carbones tecti praebent. Deinde experimenta ſua recenſet cum cinere ligni betulae ex fornace ſumto, quibus probat facillime ſalem in illo contentum igne fundi, ut ne quidem inſpiſſationi lixiuii neceſſarium ignem ferat, remotum autem ab igne, humidum ex aere vehementius alio ſale alcalico attrahere; ad marginem vaſis, in quo lixiuium euaporatur, faſciam ſalinam coloris coeruleo-viridis conſpici, indicio hunc colorem non naſci ab actione ignis in ſal alcalicum purum, in igne liquatum, ſed a terra pingui adhaerente, de qua

p. 178. in priore ſcripti ſui parte dixerat. Lixiuium fuſcum cinerum clauellatorum, a calce viua indita limpidum reddi quidam dixerunt; Noſter vero idem experiri non potuit, nullam omnino coloris mutationem perſpiciens, ſiue calcem viuam in lixiuio coqueret, ſiue pluribus diebus a lixiuio frigido diſſolui illam permitteret, nihil omnino diſcriminis apparuit a lixiuio, cui

p. 180. nulla calx viua addita fuerat. Deinde ſal ſodae examinauit,

minauit, cui alcali tam vegetabile, quam minerale ineſt. Cryſtalli vero in ſolutione, dum liquida adhuc eſt, coeuntes, minerales ſunt, nam ſal alcalicum vegetabile non prodit, niſi euaporatione ad ſiccitatem continuata. Hi cryſtalli aeri diutius expoſiti albeſcunt, non quod acidum vitrioli ex aere attrahant, ut aliqui ſibi perſuaſerunt, ſed quia ſal ſiccatur et in exteriore ſuperficie calcinatur, quod vitriolo etiam aeri libero expoſito accidit. Iam ad boracem p. 182. progreditur, cuius ſolutio limpida in filtro terram griſeam reliquit, partem ponderis boracis adſumti tantam, quanta eſt 11 aut 12, centenarii. Puluis hic cum aqua forti efferueſcebat, etiam in catino candefactus, et ſic flauus redditus, facillime in igne fluens. Magneti parum obedit; a ſpiritu ſalis ſoluitur; ab alcali praecipitatur. Quae de difficili boracis ſolutione dicuntur, vera eſſe ait de frigida. In aqua ebulliente plus boracis ſolui, quam alius cuiusuis ſalis. Alcalicam vero boracis naturam infert 1) ex guſtu, ſalis ſodae guſtui proximo, 2) ex efferueſcentia cum acidis, ſed haec ſi ſenſibilis eſſe debeat, boracis ſolutio maxime ſaturata, in aqua ebulliente facta, adhiberi debet; 3) ex ſale mirabili, boracis et acidi vitriolici mixtura producendo; 4) ex eo, quod ſyrupum violarum colore viridi tingat; 5) quod borax ſolutiones in acidis factas praecipitet; 6) quod ex ſale ammoniaco una cum borace, qui alius alcali fixi loco adhiberi hic poteſt, ſpiritus ſalis ammoniaci deſtilletur; 7) quia ex borace et oleis vel pinguedinibus ſapo fit. Vitrioli acidum ineſſe boraci negat, quoniam boracis effectus in praecipitandis mercurio ſublimato, vitriolo communi, cupro, alumine, ſale ammoniaco fixo, iidem ſunt, qui alius alcali fixi, diuerſi plane a phaenomenis, quae eaedem ſolutiones cum ſale mirabili, polychreſto, tartaro vitriolato exhibent. Scriptum hoc continuabitur.

p. 186. 3) *Conſtructionem nouam fornacis metallis liquandis*, ea, quae huc uſque in Suecia adhibita eſt, praeſtantiorem edit IOHANNES IENNINGS.

p. 196. 4) *Parallelogrammum figuris geometricis propoſitae ſimilibus delineandis* inuenit NICOLAVS MARELIVS.

p. 199. 5) *De cocco aquatico* LINN. *Faun. Suec. no.* 725. agit THORBERN BERGMANN. Teſtam illam, quae quid eſſet, Cl. LINNAEVS obſeruationibus deſtitutus non definiuerat, vidit ouum eſſe, ex quo prodiret *hirudo depreſſa fuſca, punctis octo nigris ſupra os.* Maiorem, quae oua in vaſe vitreo aqua pleno peperat, etiam habuit. Vermem accuratius deſcribit hermaphroditum, ſed ſibi ſoli non ſufficientem, nam oua illa ſterilia fuere. Plantae aquaticae ouis his conſitae reperiuntur. Aperturam corporis nullam vidit praeter os et vuluam; ductum autem velut quendam in utroque latere, ut videtur, ab ore natum et in oppoſito extremo in unum coeuntem, ut unicus hic canalis ſit a cauda ad caput rediens: Huius igitur altero orificio exire per os ſuſpicatur excrementa, ſi qua exeunt, nutrimentis per alterum orificium intrantibus. Ex ouis fecundis ſingulis plures exeunt, interdum undecim.

p. 205. 6) *Vectem truncis arborum et radicibus, quae terrae firmius inhaerent, euellendis* aptum, deſcribit GABRIEL POLHEM. Miramur magno POLHEMO inuentionem tribui machinae, quae ſub germanico nomine *der Heblade* deſcripta exſtat in LEVPOLDI *Theatro machinarum* §. 130. et in Eiusdem *theatro machinarum hydrotechnicarum* §. 83. truncis arborum euellendis commendatur perſimilis hic deſcriptae, niſi quod haec leui mutatione radicibus truncorum abruſpendis aptior eſt reddita.

7) *Caſto-*

7) *Caſtoris, Norrlandiae ſyluas inhabitantis, hiſtoriam* exhibet NICOLAVS GISLER. Mores autem eius, et in primis quibus artificiis capiatur, enarrat. Cortice arborum frondes gerentium (*Laubholz*) in primis veſci notum eſt, num piſces etiam comedat, diſputatur. Captus vero eſt, in quo aperto truttae et anguilla reperti ſunt. Si frondes deſint, veſcitur etiam carice Flor. Suec. 768. Caudae diſſectae fruſtula, quantum mucro cultri bis vel ter capit, parturientibus praebent, molimina adiuturi. Carnem venatores comedunt, ſuillae comparantes. Pauca videtur Cl. GISLER ipſe expertus eſſe, omnia fere ex aliorum narrationibus referre. Igitur addidit, quod minus forte iam phyſicis perſuadebit caſtoreum lunae plenae tempore copioſiſſimum et optimum eſſe: de aliis vero operae pretium fuiſſet indicare, quo modo obſeruata ſint, ut caſtores iuniores non coire, niſi triennes. p. 207.

8) *Gauram*, plantam Americae ſeptentrionalis deſcribit Cl. LINNAEVS. Characteres exhibuit Gener. Plant. Edit. 5. no. 425. et Spec. Plant. 347. Nata eſt ex ſeminibus a Cl. COLLINSON Londino miſſis. Primo anno foliola ſola prodiere lanceolata, viridia, quartam fere ulnae partem longa, paullulum in margine dentata; ſecundo anno protrudit caulem erectum, digiti craſſitie, ulnas quatuor altum, rotundum, in parte ſuperiore purpuraſcentem et villis albidis obſitum, prope radicem nudum. Rami initio nulli, ſed verſus autumnum emerſerunt ad alas foliorum prope radicem; alii in partibus caulis ſuperioribus ſeptembre demum, tum ad alas foliorum ſuperiorum, tum ex aliis ramis. Folia inferius coniugata, ſuperius alterna, minus profunde dentata, punctulis cauis in utraque ſuperficie conſita. Flores in corymbis ad extrema ramorum. Florum ſingulorum pedunculi breues villoſi; cuiuis flori ſub- p. 222.

iecta bractea linearis lanceolata, longitudine calyci aequalis, dum flos aperiretur, decidua. Calyx tubulosus, semiquadrifidus, laciniis retrorsum flexis; intra tubulum hunc conspiciebantur quatuor glandulae oblongae: corollae petala quatuor, superiori calycis parti adhaerentia, unguiculis tenuibus, oblonga, rubescentia, omnia versus partes superiores inflexa. Stamina octo superiori parti calycis adnata, singula bina glandula exigua distincta, omnia deorsum flexa, ut hic illorum habitus aeque singularis fuerit, ac petalorum, indeque mira facies floris nasceretur. Ouarium intra calycem, pistillum filiforme cum staminibus dependens, stigma quadripartitum; fructus florem deciduum sequebatur paruus, quadrangularis, utroque extremo acuminatus, unicapsularis, unicum etiam semen non continens, non dissiliens, sed, cum omnino siccus esset, integer decidens. Florebat sero in autumno, egregium hortorum ornamentum futura, si citius floruisset. Ita vero in viridario florens, aere libero destituta, et fecundatione minus recte peracta, semen tulit sterile. Medio loco ponendam censit Cl. LINNAEVS inter oenotheram et epilobium, ad illam flore accedentem, ad hoc aliis conditionibus, patria, aetate; fructu vero maxime differt ab utraque planta, ut vel tria genera in unum confundenda sint, vel Gaurae etiam a reliquis duobus distinguendum. Citat nomen plantae in Virginia et Florida sylueſtris ex Cl. PLVKENETIO Amalth. 139. tab. 428. f. 2. f. ult. et 5. Lysimachia chamaenerio dicto similis Floridana, foliis nigris, punctis notatis, capsulis carinatis in ramorum cymis. Ipse Cl. LINNAEVS etiam figuram plantae edidit.

p. 225. 9) *Astronomicas obseruationes Gryphswaldae situm definientes* exhibet Cl. MAYER, Prof. Gryphswald. Latitudinem statuit gr. 54. min. 4. sec. 25. Longitudinem

dinem ab Holmia min. 17. ſec. 44. temporis; Gryphswalda magis verſus occidentem ſita.

10) *Obſeruationes de pabulo bombycum* edit Cl. LIDBECK. Fuerunt, qui ſoncho laeui latifolio veſcerentur, in papiliones etiam abirent et oua fecunda ederent. Chryſalides vero texunt paruas, tenues, pellucidas, nullius uſus. Aliis folia quercus, ſalicis, ulmi, tiliae, aceris praebuit, ſed nullus fuit, qui illis foliis veſceretur, ſiue modo natis praeberentur, ſiue iam adultioribus. Vlmi ſolius extrema paullulum arroſa videbantur. p. 231.

11) *Relationem de lue pecorum* continuat ERLAND TVRSEN, de characteribus externis in primis ſollicitus. Sub initium morbi tremor membrorum et horror totum corpus occupans, variis gradibus in variis ſubiectis animaduertitur. Sequitur febris calore aurium, coſtarum, oris, cornuum, partium inferiorum agnoſcenda, immo arteriarum colli exterioris ſaepe viſibili pulſu. Interdum alterum cornu febre calet, alterius calor gradum naturalem ſeruat, et paullo poſt alternantur haec, ut illud praeternaturaliter caleat, cuius calor ante naturalis erat. Similia in ore, auribusque obſeruantur, febris periculi plenioris indicia. Vaccis lac deficit, aeſtate citius, quam hyeme. Obſtructiones, ingruente morbo, adſunt, leniores aeſtate, duriores hyeme, ut quibusdam aluus non ſoluatur, niſi ſub finem, dyſenteria accedente; aliis difficillime aluus ſoluitur. Illis clyſteribus et aliis remediis fertur auxilium. Excrementa difficulter emiſſa, una cum ore ſicco, duritiem ventriculi tertii indicant. Initio parum bibunt, vehementer autem verſus finem. Ruminare et pabulum ſumere paullatim deſinunt citius aeſtate, quam hyeme. Sulci palati rubeſcunt, os pituita madet. Obſtructiones alui ex moliminibus fruſtraneis urinam p. 233.

reddendi agnoſcuntur. Cum ad maturitatem peruenit morbus, dyſenteria, interdum ſanguinis profluuio mixta naſcitur, durans uſque ad finem. Cum rigent oculi, vaſa illorum ſubtilia ſanguine turgent, frigent aures, cornua, os, parum ſpei ſupereſt. Subiicit characteres quosdam, ſed incompletos aliorum morborum, eo ſaltim conſilio, ne cum hoc confundantur.

Trimeſtre quartum.

p. 239. 1) Cl. VARGENTIN *cometicae doctrinae hiſtoriam* abſoluit, pauca de eo, qui proxime exſpectatur, ſubiiciens.

p. 256. 2) *Doliocarpum*, nouum plantarum genus deſcribit DANIEL ROLANDER. Surinami, unde unicum ex octo botanicis et phyſicis, MERIANA non connumerata, ſoſpitem ſe in patriam rediiſſe laetatur. Arbuſtum, in arenoſis et ceſpite obductis locis creſcens, baccas gerit egregie rubentes, magnitudine, figura et colore baccis coffeae apprime ſimiles, eo etiam, quod lobos duos vel ſemina bina contineat. Sapor alius eſt: coffeae baccae ſaporem habent omnino dulcem; harum ſapor initio dulcis eſt, poſt narcoticus et calidus. Igitur, qui coffeam reputantes, fructus hos comedunt, furibundi pereunt, niſi remedia, quae regio offert, adhibeant. Infans ſexannis aethiopis ſerui, comeſtis baccis pluribus, inſanire coepit, poſt vomere, corpus autem intumeſcere. Cum vero Noſter remedia ibi nota praebuiſſet, conualuit; Cl. ROLANDRO, nouo adhuc aduenae, quidam baccas has edendas obtulit, ſed is ſuſpectas habuit, quod flores polyandrios vidit. Poſt illud tamen infantis ſeruati experimentum ipſe guſtare unicam auſus eſt. Sapor fuit ſubdulcis, gratus, et qui velut ad guſtandas plures inuitaret. Quadrante horae,

rie, poſt quam comederat, veluti tabaci ſaporem in ore ſenſit, verſus oeſophagum deſcendentem, poſt aſperitatem colli interioris et velut ardorem, motus ad vomendum, calorem per integrum corpus increſcentem, pulſum celeriorem. Iam igitur tempeſtiue emetico uſus, duobus tamen poſt diebus reliquias mali ſenſit. Hinc lentum baccas has venenum eſſe infert, ſi exigua doſi ſumantur, vehemens, ſi maiori, experientia utrumque adſertum confirmante. Genericum characterem hunc edit: *Calyx.* Perianthium pentaphyllum, foliolis oblongo-rotundatis, concauis, inaequalibus, coloratis, perſiſtens. *Corolla.* Petala tria, rotundata, concaua, plicata, decidua. *Stamina.* Filamenta plurima, receptaculo inſerta, filiformia, flexuoſa, calyce longiora. Antherae obouatae, compreſſae, integrae. *Piſtillum.* Germen globoſum, ſcabrum. Stylus ſimplex, flexuoſus, ſuperne attenuatus, ſtaminibus longior. Stigma compreſſum, planum, ſubbifidum. *Germen.* Bacca globoſa, unilocularis, coronata ſtylo. *Semina* duo, arillata, oblongo-rotundata, elliptica ſeu hinc plana, inde conuexa. Species duas reperit; alteram caule ſcandente, foliis ouatis, dentatis, pedunculis lateralibus unifloris. Species haec rarior eſt, cuius fructus infans, de quo diximus, comederat. Florebat octobri; florum odor quodam modo aromaticus, ſimul tamen valde nauſeoſus. Baccas venenatas eſſe incolae plerumque norunt. Caulis flexuoſus eſt, longus, tenuis; rami ad angulos rectos e caule erumpunt; folia ſunt patentia. Minor eſt ſpecies caule ſtricto, foliis deflexis, ouato-lanceolatis, dentatis, floribus terminalibus; arbuſti ſaltem magnitudine creſcens, rarior praecedente, florens nouembri. Ordine naturali plantam proxime ait ad *Pliniam* accedere. Picturam addit aitque ob fructus, pulcritudine ſua decipientes, *Doliocarpum* appellaſſe. p. 261.

3) *Obſer-*

p. 261. 3) *Obſeruationes de cataractae depoſitione* exhibet I. G. WAHLBOM. Ancilla ruſtica annorum viginti quinque, ante quinque aut ſex annos, dum operis ſuis vacaret, velut ſuccuti oculum ſiniſtrum ſenſit; ſequutus eſt dolor et inflammatio, videndi facultate mox pereunte. Duobus annis poſt ſimilem punctu-rae ſenſum in oculo dextro experta, omnino coeca euaſit. Temperamenti ceterum humidioris et tumi-di. Noſtri auxilium cum iunii viceſimo ſexto, anno milleſimo, ſeptingenteſimo, quinquageſimo ſexto peteret, uueam in latere interiori oculi ſiniſtri diſru-ptam reperit, pupilla obliquius intra cataractam ipſam apparente, cuius exteriora circa canthum minorem ad dimidium uſque velut nebula nigra tegebantur, ſine dubio a proceſſibus ciliaribus, qui lentem ipſam eo ſequuti erant uueae cicatrice circa canthum maio-rem nata. Hunc ergo oculum Noſter non amplius tangendum iudicauit, etſi diei noctisque diſcrimen illo percipiebat. Dexter oculus minus damni perpeſ-ſus erat, cataracta bene apparente, albida, et ante ſtriam atram unam alteramue oſtendente, ex proceſ-ſibus, ut Noſter credit, addens vidiſſe ſe haec in plu-ribus, quibus cataracta vera et membranacea nata eſ-ſet a cauſſa violenta. Suſpicatur ergo cataractam hanc veram et mixtam eſſe, ipſa lentis capſula opaca confirmari ſuam ſuſpicionem, experientia didicit. Praeparauit vero aegram venae ſectione in brachio, diaeta tenui et remedio laxante. Operationem FER-REINII methodo perfecit acu vulgari, mucronibus duobus inſtructa, uſus. Cum vero deprimeret len-tem, laminam anteriorem capſulae, quae ſupererat adhuc, omnino opacam reperit, et adeo duram, ac proceſſibus ciliaribus adhaerentem, ut, quantumuis acutum eſſet inſtrumentum, perterebrari non poſſet, niſi lamina anteriore magnam partem in cameram anteriorem protruſa. Poſt facta inciſione horizonta-li, partem inferiorem ſiue tres quartas depreſſit, iam

pupilla

pupilla pellucida facta, nisi quod superior capsulae pars supereſſet. Aegrae obligatae sequente die sanguis ex brachio missus; dolores capitis, de quibus quarto post die conquerebatur, enemate sedati, alii dolores nulli, inflammatio nulla. Paucis septimanis elapsis, tertiana laborauit, deinde purpura rubra, doloribus arthriticis et rheumaticis, obstructionibus alui, ac vomitibus, capitisque doloribus, a purpura retrogessa oriundis, a quibus remediis conuenientibus liberata est, oculo inter ea semper bene valente. Iam animaduersiones suas addit Noster. Cataractam p. 264.
veram optime diuidi in crystallinam, membranaceam et mixtam, hic mixtam adfuisse. Cataractae deponendae duas methodos praecipuas esse, SAINTYVES et FERREIN. Illam obscurius descriptam esse; tot vicibus male cedere, quot bene cedit, et tamen a plerisque et summis artificibus, quos ipse vidit, TAYLOR, HILMER, CYRVS et PALLAS, adhiberi; cum contra FERREINII methodus perspicue descripta, securior multo sit, etsi plus artis habeat, ut quae iubeat laminam posteriorem capsulae aperiri, et deinde lentem deprimi. Qui vero altera methodo utuntur, huc illuc in oculo vagantur, donec lentem capsulamque depressserint; sic autem processus ciliares saepius laedi, aut tunicas et vesiculas humoris vitrei turbari; ut visus aegro primis momentis restitutus parum saepius duret. Frustra his malis medelam quaesiuerunt acu obtusiore, de cuius inuento litigant. Illa, ante quam densas oculi tunicas perterebrat, vehementer oculum premat, necesse est. PALVCCI elater acum obtusiorem propellens, p. 266.
post quam acutiore tunicae perforatione, non potest non succussione sua oculum et manum turbare. Cl. DAVIEL nouam methodum, qua cornea ad marginem inferiorem incisa, cataracta exprimitur, minus se nosse ait Noster, quam ut iudicare de illa possit. In ipsius vero crystalli cataracta, antiquae methodo

ea,

ea, quae diximus, quod omnia intra oculum turbet, obiicit; praeſtantiorem futuram concedens in cataracta membranacea, niſi hic capſula lentis plerumque membranae humorem vitreum continenti aut ligamentis ciliaribus adhaereret. Auctorum nullum, HENKEL excepto, cataractam membranaceam recte in veram et falſam diſtinxiſſe aſſerit, unde obſcurius de toto hoc negotio ſcribant; qua occaſione, quae Cll. PALLAS et HEISTER ſcripſerunt, carpit, et
p. 269. in primis ultimum oppugnat. Addit Cl. HENKEL, quem praeceptorem colit, aliquando capſulae laminam anteriorem verticaliter diſſecuiſſe, eo conſilio, ut cruciatam ſectionem faceret, ſed quod laxior facta eſſet poſt primam ſectionem membrana et nimium cedens, abſoluere alteram non potuiſſe. Is, cui hoc contigerat, bene omnia videbat, ſed ſaltim directe oculis oppoſita. Denique Cl. FERREIN methodum his in primis praeſtare adſerit: Quod cataracta, immatura etiam deprimi poſſit, methodo Cl. SAINTYVES facile diſrumpenda; quod proſit haec methodus, cataracta ipſa rigida exiſtente, aut ſi adhaereat cataracta; denique quod in locum, ex quo depulſa eſt, rurſus adſurgere lens non poſſit, quia capſula ſupereſt, et humor vitreus locum eius occupat.

p. 270. 4) *Feminae faciem quo modo a labio leporino liberauerit*, enarrat Cl. IO. GVST. HIERZEL. Ipſa operatio nihil ad modum ſingularis habet, neque intelligi poteſt ſine pictura faciei, quam addidit. Forcipum autem duo genera ea occaſione inuenit et depicta ſiſtit, ita comparata, ut laminae forcipum planae ſint et iuxta longitudinem ſuam ſingulae exciſae: ita quae pars corporis illis prehenditur, ſcalpello per inciſuras laminarum admiſſo, ſcarificari, aut prout res fert, ſecari poteſt. Forcipum genus unum laminas indirectum ſaltem extenſas habet, alterum ad angulum rectum inflexas.

5) Cl.

5) Cl. EDVARD. FR. RVNEBERG Animadverſio- p. 276.
nes quasdam *de uſu menſurae* edit, *qua Sueci ad frumentorum bonitatem, quatenus ex grauitate ſpecifica noſcitur, examinanda utuntur.* Deſcripta legitur trimeſtri tertio Actorum anni 1753. Hic autem ingenioſam methodum addit, eiusdem inſtrumenti ope reperiendi, quam rationem in data frumenti ſpecie, pulpa ipſa ſeu nucleus granorum ad corticem grana inueſtientem habeat. Id exiſtimat vel ad iudicium de ſalubritate ciborum ex cerealibus praeparandorum facere; nimiam enim ſeparationem corticis a nucleo nocere, nimiam commixtionem forte etiam non prodeſſe. Obſtructiones natas eſſe ab eſu panis, ubi p. 281.
farina ſollicite a parte corticali purgata fuerat; ſublatas rurſus eſu panis, qui hac cura praeparatus non erat.

6) *Obſeruationes meteorologicas Vpſalienſes* 1754 p. 287.
in compendio exhibet Cl. BENEDICTVS FERNER.

7) *Experimenta de ſalibus alcalicis et adfinibus* p. 294.
continuat G. BRANDT. Boracem examinaturus, ſemunciis tribus boracis in puluerem redacti ſemunciam olei vitrioli limpidi in retorta vitrea adfudit, et calore paullatim auctо deſtillauit. Reperit vero in recipiente aquam inſipidam, in collo retortae ſal ſublimatum, nihil alcali volatilis aut acidi ſalis communis. Mutato recipiente et calore auctо, ut igniretur retorta et tantum non liquaretur, eadem omnino producta obtinuit. Aqua nata eſt, tum ab ea, qua ad oleum vitrioli omne ex infundibulo in retortam eluendum uſus erat, tum a ſale ipſo, cum cryſtalli ſalis ſine aqua non ſint. Guttulis illis paucis, quas in recipiente ſecunda operatione repererat, ſpiritum nitri adfudit, et mixturae ope ſolutionem auri tentauit, ſed fruſtra. Negat igitur boraci alcali volatile aut acidum ſalis ineſſe: ſed in collo retortae ſublimatum,

ſedatiuum

ſedatiuum vel alcali refractarium erat, ſolubile in aqua, item in ſpiritu vini, qui poſt flamma viridi deflagrabat, ſal ſolutum poſt deflagrationem relinquens. Reſiduum in ventre retortae in maſſam ſuperius vitreſcentem coiuerat. Maſſa haec ſoluta, filtrata, euaporata, in loco frigido in cryſtallos coiit figura ad ſal mirabile accedentes, pro medio ſale non habendos ob nimium acidi ſalis ſupra ſal alcalicum praepondium: Sal hoc cum octaua parte pulueris carbonum colliquatum, hepar ſulphuris aut vitrum hepaticum nullum exhibuit, ſed vitrum boracis viride, chryſo-
p. 296. lithi colore. Boraci adfuſo ſpiritu nitri fumante aequali pondere, deſtillatione quinquies repetita, ſolui magis magisque boracem expertus eſt, et tres fere eius quartas ultima vice, contra eos, qui fieri id ab acido nitri negant. Borace in aqua, et quantitate, ut in loco frigido cryſtalli non coeant, ſoluto, et oleo vitrioli limpido ad ſaturationem adfuſo, ſtatim ſal ſedatiuum praecipitatur. Saturationem intelligit, ut acidum et alcali in perfecto aequilibrio conſiſtant, et ad eam examinandam ſucco heliotropii, et violarum ſyrupo utitur. Equidem ſyrupus etiam rubet ab acido, ſed non adeo facile, ac ſuccus heliotropii, qui rubore ſuo praeſentiam acidi debilis etiam
p. 298. indicat, in ſyrupo violarum nihil mutaturi. Praecipitatione hac ex uncia boracis $\frac{3}{32}$ unciae ſalis ſedatiui obtinuit. Quod ſi non ſtatim praecipitatione obtineri queat, ſemper tamen habetur euaporatione in calore leni, donec paſſim in ſuperficie fluidi ſal coeat; tunc vas, in quo peragitur euaporatio, in locum frigidum reponitur et ſal naſcitur leue, rarum, tenue, ſquamoſum, nulla certa figura definitum, pingue et glabrum tactui, ad modum talci, ſpiritu vini ſolutum efficiens, ut flamma viridi deflagret. Spiritus vini autem cum borace, per aliquot horas in calore digeſtiuo detentus, nulla alia, quam quae conſueta eius eſt, flamma deflagrat, relinquit tamen particulas,

quae

quae ſolutum ab eo boracem teſtentur. Acidis nitri et ſalis communis, item aceto deſtillato, ſimile ſal ſedatiuum obtinuit. Habet vero hoc ſal ſedatiuum, quocunque acido praeparatum, praeter enumeratas proprietates, hanc etiam, quod ſolitarium vitreſcat, pulueri carbonum, etſi exigua pulueris quantitate et octauam ſaltem ſalis partem efficiente, additum, vitrum nullum exhibeat, ſed in maſſam porolam quodam modo liquetur, in qua puluis carbonum nihil mutatus diſtingui poſſit. Aliquando tamen, euaporatione nimium protracta, ſal obtinuit cum puluere carbonum vitreſcens, ſed idem non pingue et laeue tactui erat, ſed aſperum. Sal hoc ſedatiuum p. 302.
repetitis vicibus obtinetur filtrando ſolutionem, et quod per filtrum tranſiit, denuo filtrando, et eodem modo, quo priorem ſolutionem, tractando. Tandem vero reſiduum eſt ſal alius generis. Boracem, praeter ſal ſedatiuum, reſolui in ſal mirabile, in nitrum cubicum, in ſal commune regeneratum, prout analyſis eius acido vitrioli, aut nitri, aut ſalis communis peragatur, negat Noſter; nam quod pro ſale mirabili venditatur, phlogiſto addito hepar non fit, nec nitrum aut ſal, quae dicuntur carbonibus impoſita, illud deflagrat, hoc crepitat. Borax autem, p. 303.
alio ſale alcalico, ut ſale ſodae, adulteratus, hepar cum acido vitrioli aut ſulphuris, phlogiſto addito, praebet, quem characterem genuini boracis agnoſcendi docet, emendatque, quod primo trimeſtri, proprietatis huius adhuc ignarus, dixerat boracem, ſulphure addito, in vitrum hepaticum abire, borace adulterato deceptus. Sal hoc mirabile, quod dicitur, reſiduum poſt ſal ſedatiuum, ex borace genuino cum acido vitrioli praeparatum, in vitrum varii coloris, puluere carbonum admixto, abire reperit, nunquam vero hepaticum colorem oſtendere. Reſiduum poſt praeparationem ſalis ſedatiui, quocunque acido peractam, ſpiritu vini digeſtum, ut flamma viridi

deflagret, efficit, idemque praestat sal sedativum ipsum. Duabus aut tribus partibus salis sodae cum una residui huius liquatis, pauculo carbonum pulvere et acido vitrioli admixtis, vitrum acre hepaticum prodit, quod idem borax ipse exhibet aeque, ut sales sedativa omnia. Hinc colligitur boraci phlogiston inesse cum terra vitrescente, arctissime tamen cum sale alcalico ipso iunctum, magnaque copia in saponem redactum, ut notis huc usque methodis perfecte separari non possit; cuius indicia sunt, quod sal hoc cum acidis non effervescat, solutarium facile abit in vitrum pellucidum, et in aqua rursus soluitur, cum sale sodae maiori copia admixto in vitrum abit, acidis, ut uniendo se cum sale alcalico terram illam separent et praecipitent, adhibitis, sal tamen illud sedativum, quod separatur, rursus in aqua solubile est; denique quod hoc ita dictum alcali refractarium solitarium in vitrum abit, rursus in aqua solubile. Recte igitur boracem et producta eius inter optima saponacea et resoluentia referri. Addit, quae vim borax et producta eius, variis modis liquata dederint.

p. 305. *Tinkal* autem sic examinauit: Semuncias $5\frac{1}{4}$ huius fossilis miscuit semunciis $20\frac{1}{2}$ silicum purorum, in puluerem redactorum, et retortae vitreae indidit, calorem sensim augens, donec ita candaret, vitrum ne funderetur. In recipiente primo aquam obtinuit, deinde oleum crassum et nigrum, iunctorum pondus erat semunciar. $2\frac{3}{4}$. Oleum petroleo simile erat, nihil autem ad regnum vegetabile pertinens in eo reperiebatur. Residuum in ventre retortae nigrum erat, et in massam quandam coiuerat. Ex eo in puluerem redacto et combusto sal eluebat et crystallos eius obtinebat.

p. 207. Cum nemo dubitet sali communi acidum minerale inesse, sunt, qui existimant acido nitri salis acidum expelli, eiusque locum occupari, nitro cubico prodeunte; quam sententiam Noster ita examinauit:

Vnciis

Vnciis duabus ſalis hiſpanici decrepitati, adfudit unciam ſpiritus nitri puri et fortis, in retorta vitrea, et deſtillationem peregit, calore ſenſim aucto ad incandeſcentiam uſque. Quod deſtillauerat, aqua regis erat aurum ſoluens. Tribus adhuc vicibus reſiduo poſt quamuis operationem in ventre retortae adfuſa eſt uncia eiusdem ſpiritus. Quinta vice ſpiritus nitri fumans adhibitus eſt. Reſiduo eam proprietatem conciliari, ut facilius funderetur, non vidit, calor enim ſemper ad incandeſcentiam augendus erat, ſi liquatio quaedam conſpici debebat. Quam primum vero retorta incaleſceret, qualibet deſtillatione adſcendebat ſpiritus nitri, qui augebatur et adſcenſum continuabat. Igitur ſpiritus nitri alcali minerali non adhaeret. Fluidum illud flauum, quod quauis deſtillatione in recipiens vas colligebatur, tertia vice, tantum acidi ſalis non continebat, ut aurum ſoluere poſſet, argentum vero ita ſoluebat, ut fit ab aqua forti, quae ſolutione argenti inſtillata non depurata eſt. Acidum ſalis vero reſiduo in ventre retortae ſupererat etiam poſt quintam deſtillationem, nam huius reſiduo quidpiam, ſpiritu nitri puro ſolutum, ut aurum ſolueret, effecit. Reſidua haec cryſtalliſationi permiſſa ſunt, et cryſtalli ſemper ex ſpiritu nitri aquam regis effecerunt, item cum acido vitrioli aquam regis deſtillatione dederunt. In his cryſtallis pauculas microſcopio detexit, quae rhomboidales eſſent, et forcipe exemtae carbonibusque impoſitae deflagrarent. Maior autem pars nec figuram hanc habuit, nec aliter, quam ſal commune ſolet, decrepitauit. Igitur ſic nitrum cubicum natum non eſt, ſed mixtura acidorum ſalis et nitri cum alcali minerali.

Terra ſali vulgari iuncta, ex eo alcali puro prae- p. 309.
cipitatur, ſiccata vero cum acidis effertueſcit, et facile in vitrum flaueſcens liquatur; poſtquam autem vel minimum caloris, quo candere poterat, pertulit,

non amplius efferueſcit cum acidis. Similiter alumen uſtione ab acido ſuo, quantum fieri poterat, liberatum, cum quinque aut ſex partibus cinerum clauellatorum alborum colliquatum, poſt ſolutionem et eluitionem terram praebet efferueſcentem cum acido, ſed id non amplius facientem, poſtquam can-
p. 311. duit. Gipſum pulueriſatum, cinerum clauellatorum alborum partibus quinque aut ſex mixtum, vaſe tecto liquatum et elotum, poſt filtrationem, et ipſius in filtro reſidui ſollicitam elotionem, terram praebet, nihil omnino a calce differentem. Haec enim terra ſiccata et uſta omnia calcis viuae oſtendit phaenomena aquam calefacit, cauſtica eſt, ſapore liximum calcis imitatur. Gipſo autem cum puluere carbonum ſub furno docimaſtico, uſto, acidum ſulphuris ita non expellitur; ſaltem Noſtro id non contigit. Infert autem ex his, terram gipſi et calcis eandem eſſe, gipſum autem fieri, ad calcis terram acido ſulphuris accedente.

p. 321. 8) *De lue pecorum* diſſerere pergit Cl. E. Z. TVRSEN. Praefatus, ut diuerſae ſunt hominum naturae, idem etiam in pecoribus obſeruari, ut non eadem omnia conueniant, primo venae ſectionem commendat, hanc autem minus recte inter prophylactica adhiberi monet, hoc enim facto, nullum eius uſum eſſe in ipſo morbo. Ipſe vero particulam cutis circa thoracem reſecat, aut ſetaceum ibi applicat, praeſeruandi ſcopo, nam ad ipſum morbum ſanandum hoc minus prodeſt. Poſt ſapo venetus, in fiſtula ſciſſus, et aquae ebullienti inditus, ut agitatione diſſolui poſſit, tepens mane et veſpere pecori praebetur, ea conſiſtentia, quae eſt pultis farinaceae; hoc vero continuatur, donec diarrhoea incipiat. Ad illam accelerandam adhibetur tubulus, in clyſtere tabaci adhiberi ſolitus, aut tubulus tabaco fugendo vulgaris, extremis ſaltem bene aequatis.

Pecoris

Pecoris autem ori aperto paullulum nitri in puluerem redacti ſubinde iniicitur, illudque ſtatim e manibus poſt ea dimittitur, quo irritare partes oris interiores melius nitrum poſſit, ſicque eiectionem muci ex ore et naribus accelerare. Aqua pecori quotidie praebetur tepida, nitrum ſolutum continens; obſeruat autem Noſter, habita magnitudinis ratione, pecus tantum nitri tolerare, quam homo tolerare poteſt, unde doſis facile definitur. Pori cutis frictione aperti ſeruantur. Si obſtructione laborat, paullulum olei terebinthinae praebetur; interdum etiam oleum lini ad tuſſim ſedandam. Diarrhoea ingruente, pinus cortex comminutus, cum vitello oui mixtus, et farina hordei ad conſiſtentiam redactus, datur pugni magnitudine, et praeter ea pauxillum olei lini, donec excrementa ſolidiora euadant, quod quam primum contingit, oleum lini ſolum ingeritur. Curandum vero eſt, ne ſubito excrementa ex fluidis dura euadant, paullatim enim ſolideſcere debent, alias febris noua metuenda eſt. Excrementis ſubito indureſcentibus, aluus tubulo clyſteris, de quo diximus, aperitur. p. 315.

9) *De minerali*, Tutanego, *quaedam edit* Cl. CAROL. GVST. EKEBERG. Sinenſibus *Packyyn* appellatur, in prouincia *Whonam* et eius confiniis reperiundum. Natura producitur, non arte, ut quidam exiſtimant. Minera cinerei coloris eſt, ſubcoerulea, paullulum ſplendens, ad modum minerae ferri, ponderoſa, mollis in fodinis, in aere indureſcit. E profunditate varia vel octoginta ſexpedarum eruitur; ſtrato tegitur terrae venenatae, flauae, viridis, nigrae: venarum quaedam ad ipſam terrae ſuperficiem pertingunt, aliae quaeruntur; minera facile liquatur, fumum ingratum nociuum ſpirans. p. 316.

II.

Oeconomiſch-Phyſicaliſche Abhandlungen. Neunter, zehnter, eilfter und zwölfter Theil, nebſt nöthigem Regiſter über den IX--XII Theil; Leipzig, bey Carl Ludwig Jacobi, 1756-1757. 8. 2 alph. 17 pl.

i. e.

Diſſertationes oeconomico-phyſicae. Pars IX --XII, cum Indice.

Qui diſſertationes has oeconomico-phyſicas huc uſque collegit et edidit, Cl. PETRVM AR HOHENTHAL ob grauiora, quibus occupatus ſit, negotia alii viro doctiſſimo, cuius vero nomen indicatum non fuit, illarum edendarum curam commiſiſſe, ex praefatione parti nonae praefixa cognouimus. Quod vero inſtituti rationem attinet, eandem, ac ante, in elaborandis edendisque diſſertationibus, illo duce anonymo ſe obſeruaturos eſſe normam et ordinem ſimul pollicentur auctores, ita, ut omnium quidem rerum naturalium conſiderationem generalem, in primis tamen uſus earum oeconomici inueſtigationem ſpecialiorem ſibi ſumſerint, interdum etiam e phyſica ad vitam moresque hominum ſpectantes interſperſuri adnotationes; verſiones quoque non nunquam ſe addituros ipſi fatentur, ſed nos inuenimus maximam partem diſſertationum, quae in tribus his partibus occurrunt, e variis ſcriptis, in primis anglicis, germanice verſam eſſe; atque hinc etiam fuſiorem earum recenſionem iam tradere iure dubitamus, breuiſſimis ea expoſituri, quae Noſtri auctores ipſi elaborarunt, reliquarum verſionum titulis et auctoribus ſolum adductis:

p. 1. *Part. IX. n. 1.* L. GOTTFR. AVGVST. HOFMANN *de experientia et ratiociniis experientiae in rebus*

bus oeconomicis maiori cum attentione et ſollertia, ac fieri plerumque ſolet, applicandis praecepta tradit et regulas.

No. 3. *Harengorum hiſtoriae naturali* ex PAVLLI NEVCRANZII de Harengo Exercitatione medica. Lubecae 1654. 4. edita, et IACOBI SOLAS DODD Eſſays towards a natural hiſtory of the herring. London, 8. excerpta et in germanicum translata fuit ſermonem. p. 105.

Quae ſequuntur, *No.* 4. *de ſtatu metalli fodinarum Angliae veteri et praeſenti*; *No.* 5. *de lapidibus quibusdam*, Loganſtone *dictis*; *No.* 6. *de polypo ſingulari*; *No.* 7. *de phola piſce*; *No.* 8. *de teſtis conchyliorum arte factis, easque laeuigandi methodis* ex MARTINI Vniuerſal magazine an. 1755. item *No.* 9. *de fonte ardente* et *No.* 10. *de cultura indigoferae* ex PERRY Gentleman's magazine an. 1755. germanica verſione donata leguntur. p. 138.

No. 11. *Philometlae americanae deſcriptio* ex Vniuerſal magazin februar. 1755. petita eſt. p. 216.

No. 12. *de mucore viridi, qui arboribus et lignis adhaeret*, obſeruationes microſcopicae a Cll. HENR. MILES et HENR. BAKER factae, e Philoſoph. Transactions. n. 494. huc translatae fuerunt, a nobis quoque iam alio tempore indicatae *. p. 217.

No. 13. *Libellae penſyluanicae deſcriptio*, a IOH. BARTRAM data, ex iisdem depromta eſt, et p. 224.

No. 14. *Obſeruata de modo, quo ſolent apes ceram et mel parare*, a Cl. ARTHVR DOBBS ibidem no. 496. expoſita leguntur, a nobis etiam iam indicata **. p. 228.

No. 15. *Inſectorum cauſſam* agit anonymus et ab iniuriis, quibus ſolent plerumque tanquam nociua animalcula affici, ſtrenue defendit, eorum potius p. 236.

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 683.

** ibid. p. 703 ſeqq.

multifariam multis exemplis argumentisque demonstrare conatus utilitatem.

p. 250. *No.* 16. *De influxu aeris in animam et corpus* non nullae meditationes leguntur.

Pars decima continet:

p. 257. *No.* 1. D. ANDREAE PLVMMERI *adnotationes de chymicis solutionibus et praecipitationibus*, et *No.* 2. D. IOHANNIS LINING *litterae de anthelmintica virtute radicis Anthelmiae* ex Essays and Observations physical and litterary of a Society in Edinburgh. Vol. I. quod ipsi recensuimus *, translatae leguntur.

p. 289. *No.* 3. Lic. G. A. HOFFMANN *longaevitatem vitae hominum* considerauit, additis praeceptis et monitis diaeteticis. Vitae vero animalis longior breuiorue duratio Nostro videtur in naturali statu dependere ab *humido quodam radicali* dicto; quod plurimi physicorum adhuc, quid sit illud, quum vel prorsus ignorarent, vel tantum sibi animo fingerent, Noster in glutine naturali, quod ultimas fibras corporis animalis coniungit et firmat, illud meliori iure poni posse sibi persuasum habet. Cuius glutinis naturam et usum, ex comparatione eius cum glutine artificiali, quo ad varia corpora conferruminanda utuntur plurimi artifices, facta multisque aliis argumentis adductis, explicat et demonstrat, multas deinde subnectens regulas et consilia diaetetica, quae tamen breuitatis studiosi iam mittimus.

p. 350. *No.* 4. *Historiam harengorum* continuatam et absolutam tradit, quae in parte nona coepta fuerat **.

p. 359. *No.* 5. *Musculorum consideratio generalis* ex anglico scripto, cuius tamen auctorem haud nominarunt editores, versa fuit.

No. 6.

* vid. Comment. nostr. Vol. V. P. I. p. 54 seqq.

** vid. supra. pag. 423.

No. 6. D. IOH. FRID. CARTHEVSERI Diſſ. p. 370.
de ſale ſadae, Francofurti ad Viadr. 1756. 4. habita, verſione germanica exhibetur.

No. 7. Ill. NEWTONI ad D. RICH. BENTLEY p. 406.
litterae; *No.* 8. *De ſalubritate nauigationum* tractatio. *No.* 9. *Fringillae diuerſicoloris* et *No.* 10. *Pink chinenſis* generis cuiusdam florum tunicae ſylueſtrium deſcriptio. *No.* 11. *De ſomno* obſeruationes. *No.* 12. *Ireos ex rubro aureae* deſcriptio, ex *Vniuerſal-Magazin, ann.* 1756. ex anglico in germanicum verſa ſermonem hic exhibentur.

No. 13. *Epitome hiſtoriae naturalis prouinciae* p. 453.
Hampſhire ex alio diario anglico, *the General-magazin. no.* 14. 1756. translata ſuit.

No. 14. Ex D. CHRISTIANI VATERI diſſ. *de* p. 485.
hyemis praeter naturam tepidae et humidae noxis, Wittebergae, 1722. 4. habita, praecipua argumenta excerpta proponuntur verſione germanica.

Pars undecima:

No. 1. *Modus dealbandi fila linea et lintea* docetur, p. 495.
ex *Vniuerſal-Magazine, ianuarii* 1756.

No. 2. Ex. IO. HENR. SCHVLZII Diſſ. *mors in* p. 507.
olla ſ. de metallico contagio in ciborum, potuum et medicamentorum praeparatione et aſſeruatione cauendo. Altorfii 1722. 4. habita, in vernaculam verſa potiſſima capita exhibentur.

No. 3. IOH. MITCHELL *de praeparatione et uſu* p. 543.
cinerum clauellatorum tractatio translata eſt ex *Philoſophical. Transactions, abridged by* IOHN MARTYN *Vol. X. p.* 776 ſeqq.

No. 4. Lic. G. A. HOFFMANNI *de figura, muta-* p. 572.
tione et fertilitate telluris noſtrae tractatio continuata proponitur, in ſexta et ſeptima diſſertationum harum oeconomico-phyſicarum parte coepta.

No. 5. M. SVCCOVII *de cauſſis terrae motuum* p. 616.
diſſertatio ex latino verſa idiomata.

p. 648. *No.* 6. *De apibus* obſervationes debentur Cl. ANTONIO A LEEVWENHOEK, in *Arcan. Nat. Epiſt.* 133. propoſitae.

p. 657. *No.* 7. *Venenorum generalis quaedam conſideratio* excerpta legitur Cl. MEAD's *Account of Poiſons* p. 21. ſeqq.

p. 671. *No.* 8. *Hiſtoriae naturalis prouinciae Surrey* epitome translata inſeritur ex *General-Magazine. n.* 17. *ann.* 1756.

p. 691. *No.* 9. D. I. C. NEVENHAHN docet *faciliorem lina atque lintea dealbandi modum*. Loco liſiuiorum ex calce viua vel cineribus clauellatis, quibus plerumque uti ſolent ad dealbanda lintea, argillam aliquam pinguem et ſal commune maiori cum emolumento adhibenda eſſe, multis rationibus, experimentisque ab ipſo inſtitutis, commonſtrat.

p. 718. *No.* 10. *De terra quadam bituminoſa*, Veen *dicta Belgis*, Obſervationes Cl. ANTONII A LEEVWENHOEK ex *Arcan. Nat. Epiſt.* 126. translatae leguntur.

p. 725. *No.* 11. *Vſus crepitaculi, quo cauda ſerpentis caudiſonae inſtructa eſt*, a Cl. MEAD in *Account of Poiſons* p. 81. data explicatio, hic inſeritur germanice verſa.

p. 727. *No.* 12. *Quae de natura ignis* in Elementis Chemiae expoſuit magnus BOERHAAVE, huc transferuntur in vernaculam verſa.

p. 743. *No.* 13. *Ad hiſtoriam naturalem Imperii Ruſſici pertinentes* obſeruationes, olim Commerc. litter. medic. Norimb. ann. 1733. inſertae, hic proponuntur germanico redditae idiomati.

Pars duodecima.

p. 749. *No.* 1. *De venenoſis halitibus e terra oriundis, venenoſo aere et aquis. No.* 7. *de cane rabido* et *No.* 4. *de aquae lauroceraſi venenata indole* ex Cl. MEAD's *Account of Poiſons* translatae ſunt tractationes, cui ultimae

nae addita ſunt D. ABRAHAMI VATERI *de lauroce-* p. 812.
raſi indole venenata, exemplis hominum et brutorum eius aqua enecatorum confirmata, tentamina et obſeruationes.

No. 2. Cl. NEVENHAHNII Animaduerſiones p. 761.
in Cl. SCHREBERVM, qui *cauſſam proximam uſtilaginis tritici* in ipſa natura granorum eius irregularique partium eius eſſentialium fermentatione poſuerat, iſtique malo medendi cauſſa lixiuium aliquod ſingulare adhibendum ſuaſerat *, exhibentur.

No. 3. *De ſcorpione indico.* *No.* 5. *de rore melleo.* p. 801.
No. 6. *de lupulo* et *No.* 8. *de araneis* Obſeruationes ex Cl. ANTONII A. LEEVWENHOEK Arcan. Nat. Epiſt. 118. 109. 138. et Continuat. Epiſt. phyſiol. Delphis 1722. 4. Epiſt. 22. translatae ſunt.

No. 9. *et* 10. *Nonnulla ad hiſtoriam naturalem* p. 902.
Britanniae ſpectantia, ex anglico germanice verſa exhibentur.

No. 11. Lic. G. A. HOFFMANN docet *facilem* p. 933.
vaſa metallica inaurandi modum, quo quilibet oeconomus, ſine auxilio alicuius aurifabri, ipſe poſſit vaſa quaeuis metallica lamina auri vel argentea obducere.

No. 12. Cl. C. L. NEVENHAHN quaeſtionem: p. 957.
quid ſit lolium, Unkraut? proponit et diiudicat. Vulgo quidem omnis planta ſterilis, inutilis vel vere noxia appellatur lolium, *Unkraut*. Vt autem diſtinctior eius dari poſſit atque magis adaequata notio, duas iterum exhibet ſoluitque quaeſtiones: alteram, an ſummus rerum conditor etiam lolium creauerit atque zizaniam? alteram quae princeps quaeſtionis caput abſoluit, an detur ſingulare aliquod plantarum genus, cui ſoli competat lolii, *des Unkrauts*, appellatio? Ad priorem reſpondit Noſter, quamuis conſtet Deum omnia creaſſe valde bona, id tamen intelligi

* conf. *Sammlungen verſchiedener Schriften* etc. *Zweyter Theil.* pag. 325.

ligi debere de omnium rerum forma, figura et colore ea perfecta et singulis propria, atque reliquisse illis secius discrimen aliquod earum mutuum et differentiam, qua alia res creata alteri antecellat vel ſit vilior; porro quoque in hac causa multum tribuendum esse cognitionis humanae defectui et imbecillitati, et eandem omnino constare, eas plantas, quae vere nomen sunt, ut cardui, aliae, etiam mox in prima rerum origine simul creatas fuisse, eadem, qua nunc gaudent, instructas indole et qualitatibus. Alterum autem ad quaestionem negatiue respondet Nosser ostenditque generali tantum et recepta plerumque arbitraria significatione intelligi omnem plantam, quae inter alias utiles cognitas copiose et sponte crescat, cuius vero nos adhuc fugiat utilitas, aut quae loco, qui ipsi non competat, prouenial, aut tandem, quae neque medicamentum, neque nutrimentum det, aut in oeconomicis nociua putetur. Latini utuntur vocabulo *lolii*, et ex graeco deriuato *zizaniae*, quod utrumque botanicis denotat peculiare graminum genus, inter segetes crescens et ruricolis semper nocuum visum, germanis *Raden*, *Lolch* dictum, quod tamen, quum et pabulum det pecori, et medico usu non destituatur, ipsi soli non competit lolii, *der Unkrauts* definitio. Hinc plures aliae plantae, quae vel medico vel alimentari usu videntur carere, quarum forma, color, et odor ingrata nobis sunt, immo quae venenatae et nociuae reperiuntur, tamen absolute lolii nomen non merentur: possunt enim aliis usibus inseruire, accuratius inuestigata eorum natura et qualitatibus. Strictiori autem sensu si sumi deberet lolii notio, ea planta, quae neque hominem neque animalibus medicinam praebeat vel alimentum, tantum hoc nomine posse insigniri: ad quam tamen reperiundam accuratiori omnino atque uberiori opus esset adhuc inuestigatione.

p. 962.

III.

III.

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrheit, Oeconomie und den damit verwandten Wiſſenſchaften. Zweyter Band. Nürnberg, bey George Peter Monath. 1757. 8. 1 Alph. 13 Bogen.

i. e.

Franconica collectio Obſeruationum ex phyſica, medicina, re oeconomica et reliquis affinitate quadam cum his connexis ſcientiis depromtarum, Volumen II.

Edidit nuper iam alterum volumen collectarum harum obſeruationum Cl. DELIVS, eodem ſeruato ordine et delectu, ac in primo volumine factum fuit. Ex quo nos ob inſignem earum copiam et varietatem ſingulas exponere quum nequeamus, non nullarum tantum propius ad nos ſpectantium, vel argumenti, quod pertractant, dignitate ſeſe commendantium, obſeruationum ſuccinctam dabimus recenſionem.

Part. I. no. 5. D. IOH. WOLFGANG. FRIDER. BOENNECKEN *de haemorrhagiis generatim, atque de puſtulis, quae petechiis analogae ſimul cum haemorrhagiis in variis corporis locis eruperunt, ſpeciatim diſſerit.* p. 35. Non nulla primum de ſanguinis praeſtantia et ad vitam ſeruandam utilitate praefatus, haemorrhagiam definit Noſter, quod ſit ſanguinis excretio ex corporis humani partibus facta, e quibus, naturali ſancita lege, vel prorſus non, vel certe non nimis copioſus debet eiici. Poſt haec examinat receptam plerumque haemorrhagiarum diſtinctionem in naturales vel praeternaturales, aut in benignas vel malignas

lignas factam; qua utraque ut haud adaequata missa, aliam proponit ipsi accuratiorem visam, nimirum in
p. 43. *necessarias* et *accidentales* diuisionem. Illae etiam *naturales* dici possunt; Hae vero iterum vel utiles aut certe innoxiae sunt vel ambiguae, quarum aliae consuetae et frequentiores, aliae inconsuetae et rariores deprehenduntur. Ad necessarias seu naturales solum referri posse videtur menstruorum in feminis et lochiorum, quamuis adhuc de his dubitet, fluxus. Cuius quidem menstrui fluxus caussam Noster in structura uteri reliquarumque partium naturalium foetui nutriendo adaptata ponit, adsumtam vero plerumque feminarum plethoram ut caussam multis ar-
p. 51. gumentis dubiam reddere allaborat. Accidentales, quae in quacunque corporis humani parte sponte oriri solent, dicuntur vel utiles, ut haemorrhagia narium, haemorrhoides, lochia, vel ambiguae. Atque hae ipsae vel consuetae et frequentes modo dictas haemorrhagias comprehendunt, si copia, tempore vel aliis peccare videantur circumstantiis; vel minus consuetae et rariores sunt, ut menstrua in infantibus, grauidis, viris visa, haemorrhoides infantum, mictus cruentus, omnesque sanguinis ex quacumque corporis parte excretiones, a suppressis menstruis vel haemorrhoidibus oriundae, quarum plura, eaque rariora ex multis fideque dignis scriptoribus adduxit Noster exempla. Subiunxit his historiam duorum aegrotorum, in quibus cum haemorrhagiis simul pustulas petechiis similes obseruauit.

p. 61. Femina robusta, sanguineae temperiei, a tenera aetate victui laboribusque duris adsueta, menstruam purgationem a decimo quinto aetatis anno ad vicesimum naturali ordine experta fuerat, grauida vero facta, vicesimo primo anno aetatis, a potu inter labores sudoresque crebrius ingurgitato, subito vehementi haemorrhagia narium tentatur, totamque corporis superficiem innumerae occupant pustulae liui-

dae,

dae, aliquot diebus poſt iterum euaneſcentes. Atque idem malum intra quatuor annos, licet absque periculo, tribus vicibus rediit. Quartum autem anno milleſimo ſeptingenteſimo, quinquageſimo quinto illud maiori ſtipatum ſymptomatum violentia reuertitur: a pota enim cereuiſia adhuc fermenteſcente, ſudante inter labores ac calente corpore, ſtatim eam inuadunt vehementes dolores capitis atque dentium, cum haemorrhagia ex gingiuis, puſtulis copioſis in cute ubique erumpentibus, quarum aliae maiores et latae ſatis ambitu, aliae minores et exiguae erant, omnes autem punctae fundebant ſanguinem. Poſt ſectam in pede venam, accedunt menſtrua et narium haemorrhagia ingens, in lingua et gingiuis magni erumpunt furunculi, e quibus ruptis copioſus effluit ſanguis, et per aluum quoque cruor grumoſus eiicitur; caput valde intumeſcit, facies vero multo ſuffunditur rubore. Aegra inde multum exhauſta viribus, in lectulo detinebatur, et quaſi picta ubique in cute puſtulis aliis rubris, liuidis aliis, aliisque obſcure brunis, iam quinque dies modo dictas patiebatur ſanguinis fluxiones, ubi Noſter vocatus ex pulſu pleno et celeri quidem iudicauit repetendam eſſe venae ſectionem, ſed ob virium defectum et longam iam haemorrhagiarum durationem eam non inſtituit, temperantibus potius et demulcentibus medicamentis, in primis ſpiritu polychreſto Cluttoni mixturae temperanti addito, ſanguinis aeſtum compeſcere tentauit, ad frontem et tempora ſpiritu vini camphorato cum croco ſimul applicato. Verum nondum ceſſantibus haemorrhagiis, decimo a primo mali impetu die, vena in brachio ſecta fuit, aliquot dies poſt ſenſim ceſſarunt haemorrhagiae, puſtulaeque liuidae ſenſim pallidiores factae, tandem euanuerunt. Aegra valde pallida et habitu cutis tumido, in primis pedum oedemate adhuc vexabatur, quod vero ab admotis facculis

oulis calidis cum lupulo, breui diſcuſſum fuit, ipſa-
que aegra ſanitati priſtinae reſtituta.

p. 65. Alterum exemplum habuit Cl. Auctor in puerulo duorum annorum, ad quem vocatus vidit ſanguinem copioſe e naribus, ore et auribus, atque veluti pleno flumine e ſiniſtro narium oſtio effluere. In omni ſuperficie corporis multae a ſcabie relictae conſpiciebantur cruſtae ſiccae, quas ſingulas cingebat margo quartam digiti partem latus, cruore effuſo tinctus; ex ipſis cruſtis ſanguis floridus ruber effluebat; innumerae inſuper cutem obſidebant puſtulae nigrae ſeu carbunculi, quorum plures ſponte fiſſae fundebant ſanguinem. Per aluum etiam cruor niger et grumoſus eiiciebatur; urina erat limpida, coloris aurantii; pulſus celer et paruus; ſumma ſimul inquietudo, continui eiulatus et illacrumatio, haemorrhagias magis adhuc augebant. Iam totam noctem haec ſaeuierant ſymptomata, quum altero die a meridie Noſter vocatus, mox curauerat faſcias aceto roſato imbutas applicari temporibus, fronti locisque aliis, ubi pulſus digitis percipitur, interneque dederat potionem, ex aquis deſtillatis, liquore terrae foliatae tartari et tinctura florum papaueris cum nitro paratam. Haemorrhagiae autem adhuc fere viginti quatuor horas fluxerunt, tandem tenuior factus humor et ſeroſus, prorſus ceſſauit effundi ex ore, naribus et auribus. Corporis habitus tumidus et veluti anaſarca diſtentus erat, cruſtae ſanguinem adhuc quinque dies, immo aliquae profundius cuti inſidentes, fiſſae poſt ſex hebdomadas cruorem nigrum fundebant, multasque coalitae relinquebant cicatrices. Tandem appetitu ſomnoque reſtauratis, puer etiam nouas vires collegit, habituque tumido et puſtulis ac cruſtis omnibus ſenſim euaneſcentibus, iterum conualuit, ut iam integra utatur ſanitate, variolas quoque felici euentu expertus. Longo demum tempore poſt Noſter compertum accepit, parentes iſtius pueri

potandam

potandam dediſſe ipſi aliquot diebus ante, quam dictum irrueret malum, cereuiſiam cum radice armoraciae recentis coctam, tanquam medicinam ſanguini puro reddendo a tonſore quodam commendatam.

No. 7. Herniarum feliciter ſanatarum hiſtorias tradit WOLF IACOB MÜLLNER, Chirurgus et Obſtetricius Noribergenſis Plura adducit exempla herniarum, in primis inguinalium, quarum aliae iam aliquot dies incarceratae fuerunt, et ubi iam ſigna gangraenae, vomitus, alui obſtructio, aliaque malignitatis ſymptomata adfuerunt, in quibus tamen, cum clyſmatum, et embrocharum ex oleis preſſis, et fotuum calidorum uſu, dextra ſua ſe inteſtinum felici cum euentu repoſuiſſe Noſter confitetur. p. 70.

Part. VIII. No. 2. 3. et 4. De lue inter armenta, equos et feras in agro Baruthino, iunio menſe anni 1756. graſſante diſſerunt Ill. PAVLVS CHRISTIANVS LVDOVICVS WAGNER, Pater, et Archiater, et Cl. PETRVS CHRISTIANVS WAGNER, Filius, Poliater Baruthinus. Primum coeperat haec lues circa Culmbacum, medio iunio, graſſari modo inter feras, ſed ſenſim etiam ad armenta irrepſerat: Subito enim inter paſcendum in pratis boues eadem tentati, alii tumores in collo, pectore, cruribus et inguine, alii vero tumorem capitis tantum experiebantur, breui ſuccumbentes; diſſectorum dein viſcera ſana quum obſeruarentur atque integra, cauſſa mali iſtius a pluribus quaeſita fuit in ſpecie quadam cantharidum, quae credebantur et feris et armentis ictus aculeo ſuo inflixiſſe venenatos, unde poſt ea nati eſſent tumores iſti ſiue anthraces dicti. Noſtri autem, quum ſub finem menſis iunii etiam in et circa Baruthum lues iſta armenta et feras, immo porcos et equos, inuaderet, ex demandato ſuperiorum, cauſſas mali huius et indolem diſquiſiuerunt, oppor- p. 101.

tunis eidem ſimul oppoſitis remediis, et quae obſer-
p.104. uarunt, ingenue nunc recenſent. Vacca aegra faſti-
diit omne pabulum et potum, adeo languida, ut pe-
dibus inſiſtere non poſſet, ſtertoremque multum edi-
dit. Lingua ex ore propendit multo flauo muco ob-
ducta maculisque nigris; vapor ſimul exiit feruidus;
venae in abdomine intumuerunt; ex oculis ſtillauit
ſerum ſpiſſum. In ſectione vaccae huius primum ſe-
ſe obtulit cruor, adeo calore exaeſtuans, ut manus
immiſſa haud ferre poſſet, niger, et ubi aliquantu-
lum ſteterat, omni ſero orbatus, et glutinis inſtar
tenax. Sub cute in collo et dorſo et pede poſteriori
tumores occurrebant, in quibus, velut etiam inter
muſculos, effuſa haerebat materia flaua, gelatinoſa,
viſcida; carnes erant nigricantes, naturali orbatae
colore; ubera vacua et ſimili circumfuſo liquido ma-
dentia. Abdomen et inteſtina multum diſtenta, ſed
parum inflammata; pabulum in omaſo ſiccum reli-
ctum; hepar nigrum, friabile, diſſectum eundem
liquorem effudit glutinoſum; veſicula fellea natura-
lem diametrum longe ſuperans, plena bile tenaci ni-
gricante; ductus cholodochus contractus; renes fu-
gillatione affecti, in cauo etiam cruorem contine-
bant; veſica urinaria urinam ſanam continebat, mul-
to intus obducta muco ſpiſſo, liuido. In thorace
aqua flaua effuſa; pulmones flaccidi et nigri; cor in-
tumefactum; ventriculi ambo cruore grumoſo refer-
ti; oſſa diffracta medulla flaua gelatinoſa repleta
erant. Atque haec phaenomena deinde in reliquis
pecoribus quum obſeruarentur, Noſtris viſa eſt lues
iſta appellari poſſe febris inflammatoria acuta ſporadi-
ce, ſed non epidemice graſſans: cuius cauſſa proxima
ponitur in ſanguinis diatheſi inflammatoria, a prauo
pabulo vel potu inducta; occaſionales enim cauſſae
in primis fuerunt calor aeſtiuus nimius, ſtagnorum
inde et paludum exſiccatio ac putredo, pabuli vero
in pratis exuſtis puluereque plenis corruptio. Ex
quibus

quibus cauſſis luis origo facilius poteſt intelligi, quam e morſu quodam inſectorum, de quorum praeſentia et vi multum omnino dubitant Noſtri. Curatio tandem etiam locum inuenit, ſi tumores iſti mox profundo vulnere inciſi fuerint, copioſum ſerum fundentes flauum, alumine poſt in vulnus infricato, et veſicatorio e fermento panis et ſemine ſinapi eidem impoſito, intus autem bis quotidie dato puluere, e terreis et alexipharmacis radicibus herbisque parato.

No. 5. D. I. CH. V. *ictum tabani* (*der Viehbräme*) *venenatum* omnino cauſſam praecipuam morbi iſtius pecorum fuiſſe multis argumentis defendit, atque in primis alcali volatile, quod ipſorum humoribus ineſt, motu inteſtino euolutum cauſſam ipſam proximam conſtituiſſe affirmat. p. 125.

No. 7. Cl. DELII *obſeruata quaedam de morbillis, earumque ſub finem anni* 1756 *epidemice graſſantium effectibus quibusdam malignis* leguntur. Morbillos in Franconia vulgo appellant *die Flecken*, diſtinguunt tamen a petechiis. Copioſe graſſati fuerunt in agro Erlangenſi ſub finem aeſtatis anni 1756. Non nulli aegri viſi ſunt bis affecti iisdem, ſed forte error fuit a puſtularum minus adaequata cognitione, putataque earum analogia. In principio morbi aegros vexabat vertigo, frigus et calor vix ſenſibiles, coryza, tuſſis in primis ſicca cum raucedine, alios etiam oculorum lippitudo et tumor palpebrarum. Eruptio ſecundo tertioue die perficiebatur, ſub blando diapnoico regimine, quum contra calor nimius conclauium et ſtragulorum anxietates excitaret et deliria: quarto die diarrhoea critica accedebat: curatio temperantibus et acidulis abſoluebatur: ſexto die palleſcunt puſtulae, ſenſim brunae factae nono die euaneſcunt, cutisque deſquamatur: languor adhuc et tuſſicula aegros vexabat, dato autem laxante die decimo quarto, plures iterum conualeſcebant. Verum in aliis mala quae dam ſupererant ſymptomata, quae Noſter iam ſpe- p. 150. p. 159.

ciatim exponit. Primum occurrit languor aliquis et laſſitudo, ut pedibus vix inſiſtere poſſent conualeſcentes, quae tamen haud mali ominis fuit, ſed dato laxante ſenſim ſublata. Porro acceſſere interdum animi deliquia et extremorum frigus, analepticorum autem uſui cedentia. Inquietudines, palpitationes cordis, et inter vigilandum deliria ſuauia, a debilitate ac ſenſilitate inſigni neruorum pendentia, non ſtatim cohibita, nitroſis tamen, temperantibus et theriaca, felici euentu ſublata fuerunt. Aliquot infantes, in primis ex plebe, catarrho ſuffocatiuo obierunt ex admiſſo refrigerio, vel tabe a glandulis obſtructis meſenterii, vel a vermibus. Tuſſis non adeo pertinax obſeruata eſt, et, ubi non ſtatim ceſſauit, blandis tamen bechicis lenita. Morbi pectoris in non nullis quoque cum febre acuta ſuperuenerunt. Quando puſtulae mox erumpentes, mox iterum diſparuerunt, morbus protractus fuit; cauſſa vero plerumque atrophia vel vermes; profuit eſſentia dulcis, quae in *diſpenſatorio Würtenbergico* laudatur: contra ſi mala iſta inueterata erant, mors certa ſequuta fuit. Praeter ea obſeruata quoque eſt poſt ſuperatos morbillos vocis defectus forte a tono partium eidem inſeruientium nimis debilitato, ſed rediit vox a datis analepticis, amaris vel laxantibus. Pilorum ſimul fuit defluuium. Tandem alios vexarunt oedema pedum vel leucophlegmatia, vel furunculi, vel ſcabies, ex abuſu medicamentorum pellentium vel diaetae vitiis commiſſis oriunda, quae tamen opportunis adhibitis remediis, optato ſucceſſu iterum ceſſarunt.

p. 246. *Part. IX. no. 6. Continuata* legitur *tractatio de haemorrhagiis*, earumque cauſſis, quae vel in ſanguine, vel in vaſis, vel in motu ſanguinis et vaſorum reciproco poſitae, multis argumentis adductis demonſtrantur.

Part.

Part. XI. no. 3. *Obſeruationem diſrupti cordis* ex- p. 310.
ponit D. IOS. VILLESAVOYE. Vir quinquaginta nouem annorum, temperiei ſanguineae, obeſus, habitu externo valido, ſed vere debilis, vitae temperatae adſuetus, ſub finem maii anni ſuperioris, de vehementi palpitatione cordis conqueritur, quae tamen a vena bis ſecta iterum ceſſauit. Tres hebdomadas poſt rheumatiſmus ſcapulam ſiniſtram occupat, venae ſectioni cedens. Medio iulio redit palpitatio cum dolore capitis grauatiuo, augeturque de nocte; iter tamen inſtituit aeger quatuor milliariorum, ſed redux lectulo decumbere tenetur: appetitus proſtratus eſt, pulſus aequalis et plenus; inde venae ſectio et potio temperans leuamen aliquod ferunt. Accedit in ſomnum procliuitas, ſed dolores ſub veſpere auctiores facti repetitam venae ſectionem poſtulant, datis ſimul tincturae anodinae guttis octodecim. Sanguis miſſus erat floridus, ruber, paullum craſſus. Aeger aliquantulum tranquillior redditus, adſtantes e conclaui dimiſit, quo forte ſomni capiendi facilior ipſi ſit occaſio. Verum media nocte augentur dolores, in primis in latere ſiniſtro antrorſum a clauicula ad quartam coſtam veram percepti; de ſenſu quodam, ac ſi thorax diffringeretur, et ſuffocatione conqueritur aeger; pulſus intermittebat; ſurgit a lectulo, ſed erectus ſtare quum nequeat, iterum decumbens lectulo, ſenſum veluti ignis in pectore ſe ait percipere. A pota ptiſana et aqua vino mixta paullulum refectus et ſpe ſomni capiendi fretus, ad latus ſiniſtrum ſe conuertit, ſed mox pauca edens ſuſpiria diem ſuum obiit. Sectio cadaueris primum oſtendit p. 312.
cartilagines coſtarum verarum in os mutatas, ut ferrae ope diſcindi deberent, remoto ſterno autem pericardium ſeſe obtulit valde diſtentum, multaque aqua ruffeſcente plenum. Cor magnitudinem naturalem longe ſuperauit; in medio ventriculo ſiniſtro apertura quatuor lineas longa; ſuperficies cordis foraminulis

multis, rotundis, nigris et liuidis obſita, duas lineas profundis; inter ventriculum et pericardium grumus cruoris nigri duos digitos longus; pulmones ſani, praeter lobum ſiniſtrum, qui multo ſanguine turgebat; pleura alba et, ubi a cordis pulſu tangitur, exſiccata; aorta, ubi e corde exit, multum diſtenta, ceterum ſana; reliqua viſcera quoque illaeſa fuerunt. Quas cauſſas motus cordis in naturali ſtatu cum magno BOERHAAVIO adſumit Noſter, nimirum influxum fluidi neruei et ſanguinis proportionatum, easdem etiam palpitationis cordis, laeſa illa proportione utriusque, affirmat eſſe ſtatuendas. Vt igitur in primis in modo deſcripto caſu ventriculus ſiniſter ſanguine plenus, quum ſe euacuare ob compreſſos neruos, ut putat, non potuiſſet, ſanguinis motu inteſtino aucto, nimioque inde reniſu, tandem diſruptus fuerit id, quod deinde ſimilibus e cauſſis contigerat in arteriis coronariis. Vnicum ſupereſt notatu dignum phaenomenon, palpitationem cordis in dicto aegro, quamuis adeo violentam, tamen extus ſentiri non potuiſſe.

p. 320. *No.* 4. *Hiſtoriam palpitationis cordis diuturnioris cum ictero* enarrat Cl. DELIVS. Iuuenis ſtudioſus de vehementi palpitatione conqueritur, quae ipſum valde perturbet, reſpirationem cohibeat et ſomnum; facies eius erat viuida adhuc rubicunda; oculi vero concaui depreſſi; pulſus celer, paruus et arythmus. Examen cauſſarum, praeter morales plures, detexit praecipuas in vita ſedentaria, ſanguinis copia et ſpiſſitudine poſitas eſſe; quare iam vena fuerat inciſa aliquoties, Noſter vero potius nitroſos puluerem potumque diluentem ſuadet cum motu corporis. Sed vix domum rediturus, inter abeundum palpitationem iterum experitur, ut ſe lectica domum portari curaret. Quae palpitatio quum aliquot dies duraret, a datis nitro, caſcarilla, maſſa pilularum de cynogloſſa aliquod leuamen adfertur; vena quoque inciſa ſanguinem monſtrat

monſtrat rubrum, denſum, et ſerum valde flaueſcens. Longum elabitur tempus, quo adhuc animi perturbationem medicina tollere non poteſt. Tandem aliquando iterum ſentiebat anxietatem inſignem et languorem; cordis quidem tremor potius, quam palpitatio obſeruabantur; appetitus proſtratus; color faciei et in primis oculorum in flauum mutatus. En! detectam veram cauſſam morbi! Senſus ſimul preſſionis ſub coſtis ſpuriis confirmabat hanc ſuſpicionem accedentis icteri. Dantur aegro rhabarbarum, ſalia digeſtiua, curcuma; color quidem magis flauus redditur, ſed nulla febris adeſt, aeger vigorem aliquem iterum ſentit, uſuque continuato dictorum medicamentorum et infuſi florum cheiri, decem diebus poſt, color oculorum totiusque habitus corporis mutatur, et aeger iterum conualuit. Quamuis igitur ob diuturnam vehementemque nimis palpitationem metuenda erat vel diſtenſio nimia cordis eiusque vaſorum vel polypus, euentus tamen cauſſam mali proximam in hepate fuiſſe monſtrat. Obſtructio enim hepatis, quod ob lentam per illud circulationem eidem valde obnoxium eſt, et in primis finium venae portarum accelerabat circulum ſanguinis per venam cauam, quae inde, ſanginis plus ſolito aduehendo ad cor, huius diſtentionem reniſumque vehementiorem efficiebat, interdum vero etiam parum aduehendo ſanguinis, intermittentem inducebat pulſum. Ex qua detecta cauſſa facile etiam Noſter confitetur ſe inueniſſe medendi methodum, ut ex modo memoratis conſtat, atque addit, cauſſae morborum ſi ſemper detectae eſſent, forte pluribus aegris melius certiusque ferri poſſe auxilium, interdum tamen etiam vel ipſa cognita cauſſa, nullum curationi ſupereſſe locum, ut in palpitatione ab aneuryſmate ipſe aegri cruciatus diriſſimos viderit, mederi iis non potuerit. Ceterum palpitatio non adeo infrequens eſt morbus, ſed ſaepe in acutis, ante eruptionem purpurae in primis

aliorumque exanthematum, in hypochondriacis et hyſtericis obſeruatur, et cauſſae eius plerumque, praeter plethoram et ſpiſſitudinem ſanguinis, in primis viis latent, ſaepius non niſi flatus incarcerati: ſunt et aliae eiusdem cauſſae, veluti oſſificatio vel ruptura cordis eiusue vaſorum; abiit interdum in conſuetudinem ipſa quoque palpitatio, ut diu feratur ſine moleſtia Medicamenta alias laudata a multis cardiaca, neruina, alia plerumque magis nocent, quam proſunt.

IV.

Ventris fluxus multiplex ex antiquis et recentiorum monumentis propoſitus a N. LAMBSMA, Ph. et Med. Doct. Amſtelodami apud Ioh. Schreuder et Petr. Mortier iuniorem. 1756. 8. 17½ pl.

Libelli, cuius nuper * titulum et ſchema indicauimus, iam pleniorem exhibere valemus conſpectum. Plura certe, quam expectauimus, in illo inuenimus. Continet enim animaduerſiones et obſeruationes practicas aliorum quoque morborum, qui nullam, vel remotiſſimam tantum connexionem cum ventris habent fluxu. Multo inter ea ſtudio, multaque eruditione elaboratus eſt hiece libellus, et de Cl. Auctoris diligenti monumentorum veterum atque recentiorum teſtatur lectione. Dolendum tamen eum tantis mendis typographicis eſſe conſpurcatum, ut ſaepe dictorum ſenſus turbetur. Ipſum autem opuſculum in *undeuiginti* diuiſum eſt capita, quorum primum partem theoreticam, reliqua practicam com-
p. 1. plectuntur. Explicat igitur Caput *primum: quomodo aluus in ſecunda valetudine excernat.* Oſtendit autem Cl. Auctor, ventriculi ac inteſtinorum tunicam muſculo.

* Vol. V. Part. II. p. 365.

ſculoſam, ſiue carneam, plurimum ad eorum contractionem, et contentorum excretionem, conferre, quia rigor et reſolutio illam non nunquam infeſtant. Et licet nerui, eam perreptantes, concurrere quo- p. 6.
que, et cauſſam proximam contractionis praebere videantur, differt tamen hoc muſculoſum ventriculi et inteſtinorum inuolucrum a ceteris muſculis, quod eius partes a reliquo corpore ſeparatae pergant moueri. Ventriculus igitur, totusque canalis alimentoſus, ope huius pellis muſculoſae cibos, omneque, quod acceperunt, deſcendere faciunt: pondere enim delabitur nihil, id, quod illi probant, qui vertice ſuo nitentes, pedibusque in altum erectis, deglutiunt. Deſcribit nunc Cl. Auctor ſitum viſcerum infimi ven- p. 11.
tris, eorumque nexum anatomicum, quibus factis, uſum phyſiologicum, motumque, quem periſtalticum vocant, una cum motu retrogrado, qui vomitum facit, exponit, ſimulque monſtrat, omnes illos effectus hominis naturae, per quam creati corporis intelligit fabricam, tribuendos eſſe; quare ſuperuacuum illorum iudicat laborem, qui omnia, etiam incomprehenſibilia, quae in corpore fiunt, ex primis principiis explicare conantur. Ergo per hunc motum, corpori innatum, cibi potionesque deſcendunt, aliisque humoribus, ſaliua, bile, liquore pancreatico, etc. diluuntur, et denique in recto colliguntur inteſtino, donec ex voluntate, ſi homo ſanus eſt, excutiuntur. Caput *ſecundum* indagat, *qualia* p. 59.
cita aluus in quoque morbi genere reddat. Sunt autem morbi, διάῤῥοια, δυσεντερία, λειεντερία, coeliaca affectio, τενεσμὸς et cholera, quorum excrementorum conditiones Cl. Auctor definit, et differentias, quibus ſe diſtinguunt, adnectit. Cap. *tertium* agit *de* p. 65.
ventris fluxu mucoſo, ubi mucum naturalem inteſtinorum a pituita bene diſcernendum eſſe monet. Cum hoc mucoſo in Capite *quarto*, *ventris fluxum aquoſum*, quo tenuis humor, vel multa aqua deſcendere ſolet,

coniungit. *Diarrhoea lymphatica* aliis vocatur: a qua autem diarrhoea differt cinerea; ubi excrementa cinerei ſunt coloris. Vtraque ab humore blando, aqueo, copioſo prouenit, illique cum ſuppreſſa perſpiratione inſenſibili, vel ſaliua ad inteſtina delata, ſaepe
p. 70. conſenſus eſt. Non nunquam a mercurio, quando eius vis ad aluum ruit, illa excitatur. Variolis, maxime ubi confluunt, etiam hic accedit fluxus, qui caute regi, minime ſiſti debet. Gluten quoque, muco naturali tenacius, pituitam vitream veteres vocabant,
p. 76. aluo interdum exit, et *deiectiones glutinoſas* efficit, has Caput *quintum* breuiter tractat. Rariſſimus eſt morbus et ſecundum Cl. Auctorem cognitu difficillimus, bis tamen illum in praxi obſeruare nobis ipſis licuit. Eſt autem pituitae quaedam ſpecies, oui albumini ſimilis, gelatinae inſtar tremula, quae, dum exit, multis cum torminibus excernitur, et ſemper in pelui a reliquis fecibus conſpicitur ſeparata. Verum fertur ad inteſtina etiam ſolito copioſius bilis,
p. 77. eaque ad crebrius irritat eiiciendum. Hoc malum *bilis profuſio* Cl. Auctori audit, et in Capite *ſexto* abſoluitur. Multum colore variat bilis in corpore, prout ſcilicet iecur conſtitutum eſt, aut veſicula fellea afficitur. Hinc bilem flauam, viridem, nigram, atram, aeruginoſam obſeruarunt medici practici et anatomici, cum in deiectionibus, quae a colore no-
p. 84. men acquirunt; tum in mortuorum veſiculis. Vt autem omnes noſtri corporis partes, ſic praeſertim infimi ventris viſcera inflammatione affici et ſuppurare queunt, id, quod, ſi euenit, ortum ex ſuppuratione pus, vel venis reſorbetur, et per arterias, quae in meſenterio ſunt, ad inteſtina defertur, vel in peculiari colligitur ſacco, qui plerumque in ventriculum aut inteſtina erumpit, unde pus vel vomitu redditur, vel in inteſtina deponitur, et ano tandem cum dolore eiicitur. De eiusmodi *puris profluuio* agit Caput *ſeptimum*. Vix tamen unquam pus ſincerum et album,

bum, ob longa itinera edi ſolet, ſed multis humoribus miſtum, quare omni circumſpectione opus, ſi de purulentis deiectionibus nobis eſt iudicandum. Tabidis et phthiſicis eiusmodi puris profluuia ſuperueniunt, quae tamen ſemper periculi plena ſunt, quare in tabe et phthiſi cita aluus vitari debet. Con- p. 100.
tra in glandularum meſenterii, pancreatis, lienis, et iecoris inflammationibus, ſi pus et abſceſſus, (qui, ſi clauſi manent, vomicae audiunt) ibi oriuntur; tunc aluus frequens potius adiuuanda, et leniter laxantibus ſaepius eluenda eſt. Multo periculoſior eſt *ven-* p. 103.
tris fluxus ſanioſus, quem Caput *octauum* deſcribit. Quem ad modum pus laudabile a ſanie diſtat: ſic etiam deiectiones ſanioſae a purulentis differunt. Semper enim indicium eſt, ulcus, vel *καρκινώμα* in ventre latere, quod omnem curationem reſpuit. Nil autem frequentius aluo excernitur, quam ſanguis, ideo Cl. Auctor duo capita examini huius excretionis impendit. Caput igitur *nonum* in genere *de ſanguine per aluum reddito* diſputat. Variis autem ex cauſſis, varioque modo ſanguis per aluum redditur, vel in dyſenteria, vel quando deglutitus ad inteſtina deſcendit, et aluo erumpit: vel quibus membrum quoddam exciſum eſt aut corruptum decidit, ſanguisque ob copiam et conſuetum circulum, exitum, ob minorem reſiſtentiam, in ano quaerit. At plures huius profluuii ſanguinis poſſunt eſſe cauſſae, quas omnes Cl. Auctor ponderat atque exponit, et tandem cuiuscunque profluuii curam et methodum tractandi adiicit. Ad ſpecialius ſanguinis profluuium, quod orae venarum, quae ani limbum ambiunt, fundunt, et graeci *αἱμορροίδας* appellant, progreditur Cl. Auctor in Capite *decimo*. *Haemorrhoidum* igitur p. 114.
doctrinam, et quae in earum cura obſeruanda ſunt, in hoc capite explanat. Congeſtae etiam ibi inueniuntur antiquorum de hoc morbo ſententiae, ſimulque collecta ſymptomata, quibus haemorrhoides plerumque

rumque ſtipantur. Quum vero praeter cognita hoc
p. 133. Caput nihil contineat, ad Caput *undecimum*, quod de *varii generis calculis aluo redditis* inſcribitur, properamus. Memorat Cl. Auctor non nullos ex recentioribus caſus, veteres enim tales memoriae non reliquerunt, ubi calculi ano excreti fuere. Qui morbo regio diu laborarunt, prae aliis calculos ano excutiunt, licet dentur alii, qui etiam ſine hoc morbo tales ano reddiderunt, unde valde probabile, hos neque in hepate, neque in veſica fellea, ſed in ventriculo aut inteſtinis eſſe genitos. Inter animalia equi huic plurimum obnoxii ſunt morbo, et non raro in eorum ventriculo aut inteſtinis reperiuntur lapides, qui ad bilioſorum calculorum genus non pertinent. Notas hinc Cl. Auctor affert, quibus calculi, e fellis
p. 141. veſicula expulſi, a ceteris diſcerni poſſunt. Ad rariorem deiectionem *hydatidum* ſcilicet, in capite duodecimo Cl. Auctor tranſit: et hiſtorias praeſertim ex ARETAEO et BIDLOO adfert, quibus euincere conatur, eius modi veſiculas ad inteſtina tranſiiſſe, et cum glutine albo ano fuiſſe expulſas. Viſceribus infimi ventris, in primis hepati et utero tales hydatidas ſaepius adhaerere, obſeruationes anatomicae practicae quotidie dant, ſed illas ano eiici, non adeo frequens eſt, quare eius modi obſeruationes eo maiorem mereri nobis viſae ſunt attentionem. Dantur enim non nulli, qui varia et quidem extraordinaria ſe ano eieciſſe contendunt atque imaginantur, quae ſi debite examinantur, ficta reprehenduntur atque falſa. Talia narrat Caput *decimum tertium*, quod *de alienigenis* inſignitur, quando aegri lapides, acus, capillos, oſſa, animalia, et quae ſunt reliqua, ano reddidiſſe, vel ob quaeſtum, ut aliis imponant, perhibent; vel ex nimia credulitate ſibi ipſi fingunt. Hactenus expoſuit Cl. Auctor ea deiectionum genera, quae ſine febribus ſunt, nec certis temporibus circumſcribuntur. His abſolutis, in illa ventris inquirit profluuia,

quae

quae febribus ſuperueniunt, easque, ſi diebus decretoriis accidunt, iudicant. Caput igitur *decimum quartum* determinat, *quando venter fuſus febricitantibus conueniat.* Omnem hic doctrinam de criſi, et diebus criticis ex antiquorum monumentis repetit Cl. Auctor, ſimulque docet alui deiectiones in quibusdam febribus omnino certis diebus aſſignari. In genere autem notat facilem aluum in omnibus febribus adſtricta ſemper meliorem eſſe, quare inter bona ſigna illam non ſolum poſuit HIPPOCRATES, ſed etiam cibis, potionibusque, qui ventrem molliunt, aluum liquidam ſeruandam, aut lotione quoque ducendam, ſuaſit. Poſtquam haec de plurimis febrium generibus affirmauit, ad ſingulas earum ſpecies progreditur, accuratiusque definit, quando et quibus diebus et remediis in reliquis febribus, e. g. continuis, bilioſis, peſtilentia, peripneumonia, pleuritide, hepatitide etc. cita aluus conducat, et mouenda ſit. In Capite *decimo quinto cauſſam proximam ventris fluxus* expendit, illamque non unam et ſimplicem, ſed variam et multiplicem, pro conditione ſubiecti, et aſſumti, aut medicamenti pronuntiat. Liquida enim copioſius ano eiiciuntur, vel ſi inteſtina fortius contrahuntur, aut vis, qua humores ad ea pelluntur, augetur. Vel ſi alia excretio minuitur, aut perſpiratio ſenſibilis cohibetur, tunc materia quoque uberius ad anum vertitur. Vel ſi venae bibulae et reſorbentes conſtringuntur, et humores illos praeterlabi, et ano exire coguntur, ſaepe etiam aſſumta, aut medicamenta ſingulari gaudent vi, qua inteſtina ſollicitant, et aluum frequentius mouent. Multa hic de purgantibus, eorumque operandi modo affert Noſter, quem minime in ſolo ſtimulo, aut alia cauſſa, ſed in peculiari quadam proprietate, qua illa ab initio ſummus inſtruxit rerum conditor, et quae nunquam ſatis explicari poteſt, quaerendum eſſe cenſet. Hac occaſione ad cantharides, eorumque

p. 148.

p. 200.

p. 213.

que in corpus humanum effectus, ita excurrit, ut fere a ſcopo digredi nobis viſus ſit. Cum cauſſis
p. 226. proximis coniunctae ſunt *cauſſae remotae*. Has Caput *decimum ſextum* pertractat. Ponit eas in contagio, aere externo, eiusque mutatione, et in loci regione, quae omnino pro eorum conditione et varie-
p. 231. tate, ventris fluxum ciere queunt. Hinc Caput *decimum ſeptimum* praenuntiat, *quid a deiectionibus venturum ſit*. Plurima ſupra iam monuit, Cl. Auctor, itaque reliqua tantum hic addit. Breues et rarae alui deiectiones plus proſunt, quam nocent. Educunt enim abundantem et turgentem materiam. Leniunt et ſoluunt interdum articulorum dolores. Neruorum reſolutiones etiam ſaepe leuant et tollunt: Nec ſanguis, ſi deſcendit, nec tormina adeo periculoſa ſunt, dum febris et inflammatio modo abſint. Nec grauidis et praegnantibus ventris fluxus modicus adeo timendus eſt. Nimius vero partum elidere poteſt. Paucis nunc periculoſum tangit ventris fluxum, quando cum febre et inflammatione coniunctus eſt. Ad materiae, quae deiicitur, conditionem, quantitatem et colorem ſedulo hic attendit, ſimulque differentias indicat, quibus a mortifero profluuio diſtingui debet. Tempus quoque, quod inter deiectiones intercedit, et torminum gradus hic conſiderandi veniunt. Tandem enarrat varios morbos, quorum exitum ex deiectionum natura determinat, aſſertionis vero veritatem aliis exemplis, ex recentiorum obſeruatorum ſcriptis, deſumtis illuſtrat.
p. 244. His peractis, in Capite *decimo octauo*, *quomodo varia alui profluuia curari debeant*, docet. Praemittit autem primum, quibus ſanus ſe a contagioſis profluuiis et torminibus praecauere poſſit. Quod ſi vero malum hominem iam inuaſit, cauſſas bene diſtinguere ſedulo monet: quare in bilioſis deiectionibus lac et lactis ſerum ſuadet: in torminibus oleoſa et glutinoſa commendat, quibus gummi arabicum et ſemi-

num

num cydoniorum mucilaginem adiicit. In putredi- p. 250.
ne ſpiritus acidos ex BOERHAAVE et SYDENHAM
ſententia laudat. Sed ubi nauſea aut ructus amari
cum grauitate praecordiorum infeſtant, radice ipeca-
cuanhae vomitus ciere perhibet. Non ſolum enim
materiam corruptam eliminat, verum etiam ſtringen-
do inteſtina confirmat. Meminit quoque remedii,
huius rei cauſſa nuper adhibiti, et a Medicis Edin-
burgenſibus et PRINGLE commendati, vitri ſcilicet
antimonii cerati. Nec obliuiſcitur corticis ſimaru- p. 254.
bae. Rheum tamen, in omnibus deiectionibus et
torminibus, a bile putrida, vel acri quauis materia
ortis, palmam reliquis praeripere fidenter affirmat,
quia bilioſos humores educit, et inteſtina leniter ſi-
mul conſtringit, quare non mirum, ſi a pluribus ad
omnem ventris fluxum valere dicitur. At medica-
menta non tantum ore aſſumenda, ſed pro re nata in
anum quoque iniicienda praecipit. In ſanguinis ab-
undantia et inflammatione ſanguinis miſſionem iubet.
Verum in laxitate inteſtinorum adſtringentibus, terra
lemnia, bolo armena, malo punico et cortice peru-
uiano utitur. Victum quoque aptum praeſcribit.
Frigus ſedulo vitandum et ſudorem caute eliciendum
atque conſeruandum prae omnibus in hoc morbo in-
nuit. Proponit denique, quando lacrymae papa-
ueris, theriaca, et opium adhibenda veniant. Mo- p. 271.
leſtiſſimi tandem mali, quod plerumque hunc mor-
bum comitatur, et deiectiones vel praecedit, vel ſe-
quitur, Graeci Τενεσμὸν vocant, in Capite *undeuige-*
ſimo mentionem facit, et curam adiicit.

V.

V.

Kurze doch zulängliche Anweiſung zur Erkenntniß und Cur der vornehmſten Krankheiten des menſchlichen Leibes; doch vornehmlich in Abſicht auf erwachſene Mannsperſonen: wie ſolche in den groſſen Hoſpitälern zu St. Petersburg alle Jahre ſeit 1742 bis hieher, iſt vorgetragen und erkläret worden. Entworfen von IOHANN FRIEDRICH SCHREIBERN, *der Arzneykunſt Doctorn, der Anatomie und Chirurgie Profeſſorn, und Ehrengliede der Academie der Wiſſenſchaften zu St. Petersburg. Leipzig, bey Bernh. Chriſtoph Breitkopf. 1756. 8.* pl. $12\frac{1}{2}$.

h. e.

Breuis, ſufficiens tamen, inſtitutio ad cognoſcendos et curandos praecipuos morbos, in primis virorum; ab anno 1742 ſingulis annis in noſocomiis Petropolitanis expoſita: Auctore IOH. FRIDER. SCHREIBERO, M. D.

Eruditiſſimi SCHREIBERI erga medicinam merita veris artis ſalutaris cultoribus ita cognita ſunt, ut opus non habeamus multa de his verba facere, noſtrisque illa celebrare laudibus. Nouo nunc labore medicinae, et praeſertim chirurgiae, qui caſtra ſequi volunt, ſtudioſos ſibi deuinxit Cl. Auctor, dum cum iis *breuem inſtructionem cognoſcendi et curandi morbos, in primis virorum* communicat, ad cuius ductum non ſolum inſtrui, ſed medicinam quoque deinde ipſi facere queunt. Virorum morbos ideo ſine dubio praecipue nominat, quia illi cum chirurgis caſtrenſibus, quibus haec inſtitutio in noſocomiis exponi debet, res erat.

erat. Morbi tamen mulierum, quatenus illae communibus comprehenduntur, minime negliguntur. In modum aphorismorum, et ad Cl. BOERHAAVE, quem praeceptorem olim habuit Noſter, mentem et ordinem, quo in aphorismis ſuis ille uſus eſt, compoſitus eſt libellus. In omnibus fere magni illius Viri ſecutus eſt veſtigia, niſi quod ad generalia ſummeque neceſſaria ſe tantum modo adſtrinxit, omiſitque ſpecialiora atque ſubtiliora. Inde factum eſt, ut paucioribus, et numero vix dimidiis, aphorismis omnis haec de morbis abſoluta ſit doctrina. Iunioribus igitur medicis atque chirurgis hicce labor admodum utilis erit, illisque loco compendii inſeruiet, quo duce ad felicem praxin medicam peruenire queunt. Praeter remedia vulgaria, nouiſſima quoque, quae contra hunc vel illum morbum nuperrime detecta vel commendata ſunt, ſuo loco adiecta reperiuntur; quare veterani etiam medici fructum exinde capient.

In *duas* autem ſectiones totum diuiſum eſt opuſculum, quarum *prima* morbos ſolidorum et fluidorum, omnemque chirurgiam comprehendit: *altera* morbos internos abſoluit. Verum enim vero quum inpoſſibile eſt ea, quae in eius modi compendiis proponuntur ſub uno aſpectu ponere, aut epitomen aphorismorum dare, nobis ſufficiet cuiuscunque capitis ſummam tantum modo indicare. *Primae* igitur ſectiones Caput I. agit *de morbis partium ſolidarum.* Caput II. *de humorum morbis ex aſſumtis oriundis.* Caput III. *de nimis veloci et nimis tardo ſanguinis motu.* Caput IV. *de plethora.* Caput V. *de inflammatione.* Caput VI. *de vulneribus in genere.* Caput VII. *de vulneribus arteriarum.* Caput VIII. *de vulneribus neruorum.* Caput IX. *de ſuppuratione.* Caput X. *de ulceribus et fiſtulis.* Caput XI. *de gangraena.* Caput XII. *de morbis oſſium.* Caput XIII. *de paronychia.* Caput XIV. *de ſphacelo.* Caput XV. *de*

contuſionibus. Caput XVI. *de glandularum ſcirrho.* Caput XVII. *de cancro.* Caput XVIII. *de fracturis atque fiſſuris.* Caput XIX. *de vulneribus capitis.* Caput XX. *de vulneribus pectoris.* Caput XXI. *de vulneribus abdominis.* Caput XXII. *de vulneribus ſclopetorum.* Caput XXIII. *de herniis.* Caput XXIV. *de luxatione et anchyloſi.* Caput XXV. *de procidentia ani.* Caput XXVI. *de trachaeotomia.* Sequitur nunc Sectio *ſecunda*, quae morbos internos exponit. Huius igitur Caput I. agit *de febribus in genere.* Caput II. *de febrium ſymptomatibus.* Caput III. *de morbis epidemicis.* Caput IV. *de peſte.* Caput V. *de febribus continuis.* Caput VI. *de febribus petechialibus.* Caput VII. *de variolis et morbillis.* Caput VIII. *de purpura.* Caput IX. *de febribus ardentibus.* Caput X. *de febribus intermittentibus.* Caput XI. *de phrenitide.* Caput XII. *de ophthalmia.* Caput XIII. *de angina.* Caput XIV. *de morbis inflammatoriis pectoris, praeſertim peripneumonia et pleuritide.* Caput XV. *de morbis inflammatoriis infimi ventris, in primis hepatitide, ictero, ileo et haemorrhoidibus caecis.* Caput XVI. *de aphthis.* Caput XVII. *de nephritide.* Caput XVIII. *de apoplexia.* Caput XIX. *de paralyſi.* Caput XX. *de epilepſia.* Caput XXI. *de melancholia, malo hypochondriaco et mania.* Caput XXII. *de rheumatismo et arthritide.* Caput XXIII. *de aſthmate.* Caput XXIV. *de haemorrhagiis ex cauſſis internis.* Caput XXV. *de hydrope.* Caput XXVI. *de ſcorbuto.* Caput XXVII. *de calculo renum atque veſicae.* Caput XXVIII. *de morbis venereis.* Caput XXIX. *de ſcabie aliisque morbis cutaneis.* Caput XXX. *de antidotis.*

VI.

VI.

Eſſai ſur la maniére de perfectionner l'Eſpece humaine. Par M. VANDERMONDE, Docteur-Régent de la Faculté de Médecine de Paris. à Paris chez Vincent etc. MDCCLVI. 12. Tom. I. pl. 19. Tom. II. pl. 20.

i. e.

Tentamen de modo perfectius reddendi genus humanum. Auctore VANDERMONDE.

Doctiſſimo VANDERMONDE propoſitum eſt, in hoc libro docere, quae obſeruanda, quaeque cauenda ſint, ut generi humano ea pulchritudo, robur, ſanitas, concilietur et conſeruetur, quam per naturam habere poteſt. Quo conſilio in limine *Tomi primi* non ſolum generatim de pulchritudine imaginaria et reali docte et eleganter diſſerit, ſed et ſpeciatim de ſingulis partibus faciei humanae et ſingulis membris humani corporis, quae ad eorum in utroque ſexu pulchritudinem veram, non imaginariam, requirantur, tradit, et in quo robur hominis conſiſtat, quaque ratione illud aeſtimandum ſit, praeclare docet. Veram autem pulchritudinem recte ponit in iuſta proportione et ſymmetria, quam nos quidem ex diligenti conſideratione operum naturae atque artificum, naturam imitantium, diſcere debemus.

Hanc praeliminarem diſſertationem ſequitur ipſa argumenti tractatio, in *quatuor* partes diuiſa. Pars *prima* agit de parentibus hominis gignendi, *ſecunda* de homine naſcente, *tertia* de recens nati educatione, *ultima* de integritate et perfectione ſenſuum.

Pars prima ſex capitibus abſoluitur. *Primo capite* p. 65. docetur, quales debeant eſſe parentes, ſanam et pulchram ſobolem ſuſcepturi. Facile intelligent lecto-

res, ad hunc finem requiri, ut ipſi parentes habeant corpus ſanum et bene conformatum. Cum vero Auctor ait, matrem claudam claudum infantem parere, et patribus coecis ſurdisue coecos ſurdosue natos procreari: veremur, ne hoc nimis generale effatum experientiae repugnet. *Capite ſecundo* diſquiritur breuiter, quo anni, quoque diei tempore procreationi ſobolis operam dare conueniat. Vernum et matutinum tempus huic rei Auctor praeſcribit.

p. 74. *Tertii capitis* initio diſquirit, qua aetate homines matrimonium inire debeant; virum proceri corporis cum femina paruae ſtaturae, aut viciſſim, item virum pulchrum cum femina deformi, coniungi vetat; et ſub finem exemplis animantium brutorum, atque nigricolorum hominum confirmat, coniungendo mares cum feminis diuerſarum nationum et diuerſae conſtitutionis corporis, poſſe, ſi id per plures generationes conſtanter repetatur, tandem creari familiam primae, quo ad externum corporis habitum, valde degenerem. Hanc propoſitionem ulterius confirmat in Capite *quarto*, prouocans inter alia ad exemplum Turcarum, qui tantum non omnes corporis robore et pulchritudine conſpicui ſunt, cuius rei ratio in perpetuis commerciis et connubiis huius gentis cum Aegyptiis, Arabibus, Armenis, Georgiis, Mingreliis, Circaſſiis latere videtur. Neque ſolum per experientiam Auctor hanc rem euincere ſtudet, ſed etiam eius rationem phyſicam expli-

p. 119. care ſatagit, exponens in Capite *quinto* ſyſtema generationis, ad obſeruationes et mentem Cl. BVFFON fabricatum, qui primus mortalium in haec profundiſſima naturae arcana, ſi Auctori credere volumus, penetrauit. Ex eodem ſyſtemate explicare annititur, in Capite *ſexto*, ſimilitudinem infantes inter et parentes obuiam.

p. 175. In *ſecunda parte* Cl. VANDERMONDE praecepta tradit feminae grauidae obſeruanda, ut ſani et pul-

chri

chri infantis mater fiat. Ea praecepta in classes, ad sex res non naturales tanquam summa capita relatas, partitur, eisque addit non nulla alia, quae phantasiam et vestitum grauidarum respiciunt. Vim, quam vulgo phantasiae matris tribuunt, ad distorquenda foetus membra, vel maculas notasque genitiuas cuti eius imprimendas, reiicit, eamque opinionem idoneis rationibus refutat. Denique de partu quaedam praecipit, eaque non tam matri, quam obstetrici tenenda.

Tertia pars de homine in lucem edito agit, et in nouem capita diuisa est. *Primum* caput primas docet curas, quas infans recens natus sibi postulat, partim ab obstetrice, partim a nutrice. In *secundo* Capite Cl. Auctor in consuetudinem, linteis et pannis infantes inuoluendi, inuehitur, eosque potius sine ullis inuolucris in cunis poni praecipit. In *tertio* capite quosdam modos cunabulis abutendi, malis nutricibus solennes, grauiter notat et reprehendit, quales sunt, nimia cunarum agitatio, et mos caput infantis, in cunis positi, vel totum velamentis panneis undique contegendi, sub quibus aer, respirationi infantis necessarius corrumpitur, vel ab una tantum parte tegendi, quo ipso infantes facile strabi reddantur. In *quarto* capite praecipit, ut aer sanitati inimicus a tenello infantis corpore arceatur. In *quinto* capite multum eloquentiae et ingenii adhibet ad persuadendum lectori, non lacte matris vel nutricis, sed animalium domesticorum lacte infantem nutriendum esse per tres primos aetatis annos. Argumenta Cl. Auctoris, quae nobis potiora visa sunt, sic habent. Si simplices, probi, castique mores priscorum seculorum adhuc regnarent: non esset dubium, quin mater lac, quod in mammis eius natura praeparat, praebere infanti suo deberet. Nunc autem, ut seculum est, matres tantum non omnes neque satis sanum habent corpus, neque animo imperare, neque nu-

Tom. II. p. 1.

p. 46.

tritioni ſobolis ſuae ſatis vacare poſſunt, voluntque. Quod idem et de nutricibus dicendum eſt. Praeter ea voraces pleraeque ſunt et guloſae, ſimulque ſedentariae; hinc cruditates in ventriculo accumulantur, quae chylum corrumpunt, et lac male ſanum reddunt. Porro matres lactando debilitant corpus ſuum adeo, ut ſaepe in longum tempus ſteriles euadant; et, ſi vel maxime hoc ipſis non accidat, tamen eo, quod maritus ab uxore, quamdiu haec lactat, ſeſe abſtinere debet, paucior in quaque domo proles exiſtat neceſſe eſt. Haec omnia incommoda euitari poſſunt, ſi infantes animantum brutorum lacte nutriantur. Paucis morbis ea ſubiecta ſunt, et facile ſic ali regique poſſunt, ut optime valeant, et lac bonum fundent. Nullis animi perturbationibus obnoxia ſunt, ad quas tenelli infantum animi lacte nutricum diſponi ſolent. Et cum lac caprinum, aſininum variis in morbis tutiſſimum remedium ſit, veriſimile eſt, infantem eius modi lacte educatum illis morbis aut non iri affectum, aut, ſaltim, ſi quam ad eos diſpoſitionem a parentibus iam traxerit, eius modi lactis uſu ſanitati reſtitui poſſe. Ceterum ſub finem huius capitis Cl. VANDERMONDE uſum pultis farinaceae prorſus damnat, eamque pernicioſiſſimum infantibus alimentum appellat, eius autem loco, ſi ſufficiens lactis copia infanti praeberi non poſſit, adhibere ſuadet pultem ex micis panis bene cocti, lacte, et vitello oui paratam, vel etiam iuſculum pin-
p. 107. guius. In *ſexto* capite de exercitio corporis in infantia regendo, et de ſomno et vigiliis infantum moderandis, in *ſeptimo* de excretionibus infantum obſeruandis, in *octauo* de cura animorum in infantia, varia ſapientiſſima praecepta tradit. Tandem in *nono* capite in uſum thoracum balaenatorum declamitat.
p. 203. *Quartam partem*, in ſeptem diuiſam capita, Auctor inchoat a conſideratione vis conſuetudinis, unde varia colligit monita, eis utiliſſima, qui cauere volunt,

lunt, ut ne infantes circa uſum victus, membrorum, et animae facultatum prauos habitus contrahant. In reliquis ſex capitibus primo de ſenſibus generatim, deinceps de unoquoque ſenſu ſeorſim copioſe et doctiſſime diſſerit, ſimul in hoc ubique intentus, ut doceat, quo modo praecauendum ſit, ne ſenſuum integritas in infantibus laedatur, neque phantaſia eorum, ſenſu excitata, cum appetitu rationali pugnet, quomodo infantes aſſuefieri fallaciis ſenſuum detegendis poſſint, ac quomodo ſenſus ipſorum acutiores et perfectiores reddi, et vitia, quae ſenſibus praeſertim auditus et viſus ſaepe in tenella aetate accidunt, corrigi queant.

VII.

CAROLI CHRISTIANI KRAVSE, Phil. et Med. Doctoris in Acad. Lipſienſi Diſſertatio de quaeſtione ab Academia Imperiali Scientiarum Petropolitana, pro praemio in annum MDCCLVI. propoſita: *Quaenam ſit cauſſa proxima mutans corpus foetus, non matris grauidae, huius mente a cauſſa quadam violentiore commota, et quidem, cur id fiat in ea parte corpuſculi foetus, ad quem in ſuo corpore mater manum adplicuit? Vbi illorum quoque cogitata ad certamen admittere viſum eſt, qui contrariae ſententiae addicti argumenta probabiliora in medium ſint prolaturi*, in eadem Academia Scientiarum Petropolitana die VI. Sept. MDCCLVI. praemio affecta; una cum alia diſſertatione negatiuam quaeſtionis partem adſtruente. Petropoli typis Academiae Scientiarum. 4 mai. pl. II.

Ill. Academia Scientiarum Petropolitana Cl. KRAVSE dissertationem de naeuorum maternorum caussa proxima, praemio coronatam, quum nuper in publicum ederet, aliam eiusdem argumenti, quae auctorem habet Cl. ROEDERER, Professorem medicinae et anatomiae Goettingensem, licet praemio non affectam, huic addere non dubitauit. Quorum quidem ille affirmatiuam, hic vero negatiuam quaestionis propositae partem adstruxit: nos utramque dissertationem quum iam adgrediamur paullo curatius exponere, praecipua modo argumenta et rationes, quibus usi sunt in soluendo illo problemate viri clarissimi, ex utraque huc transferre, in re autem tam ardua et fere inexplicabili nostrum suspendere iuuabit iudicium, in ipso Ill. Academiae sapienti decreto acquiescentes.

p. 4. Quando igitur ad Cl. KRAVSE dissertationem recensendam primum nos conuertimus, eamdem ipsam quatuor praecipue momentis comprehendisse deprehendimus, ita, ut primo loco probet dari omnino exempla foetuum ita mutatorum, ut non sola plebs et materculae ipsae, sed acutissimi quoque et doctissimi viri aliquam effectus partem ad matrem vehementius animo commotam referant; atque hoc ipsum fieri iure meritoque alterum confirmet momentum; tertium autem demonstret, contraria omnia sentientium dubitationibus scrupulisque iniectis, rem non effici falsam; quartum tandem de caussa proxima effectus istius differat. Iam ipsa quatuor haec momenta perlustrabimus.

Dari omnino naeuorum maternorum exempla docent opinionis istius uniuersalitas et constantia, historiae huius modi, quibus plena sunt scripta physicorum omnia, auctoritas summorum virorum, SENNERTI, MAVRICEAV, LVDOVICI, FRID. HOFFMANNI, HERM. BOERHAAVE et ABRAH. KAVV BOERHAAVE et Cl. Auctoris testimonium.

Alterum

Alterum autem momentum patere ſatis videtur et ex p. 8.
teſtium illorum fide digniſſimorum auctoritate, quae multum omnino valet in rebus, quae experientiae poſtulato nituntur, et non niſi probabili ratione cognoſci poſſunt, et ex fortuita circumſtantiarum minus praeſumenda in hac re conuenientia. Tertio p. 10.
loco aduerſariorum argumenta plura eaque grauiora viſa, copioſe refellere adnititur Cl. KRAVSE, e quibus pauca nos adducturi ſumus, ne diffuſa nimis noſtra euadat recenſio. Quum multi obiiciant rem eam eſſe prorſus incomprehenſibilem, hancque hypotheſin principiis niti haud conſtantibus, Noſter reſpondet rem incomprehenſibilem confundi cum inexplicabili, quarum in rebus phyſicis magna ſit copia, neque aeſtimandam eſſe rei falſitatem ex hominum opinione, ſed ex argumentorum pondere, quibus quisque ſuam comprobauerit, ipſosque etiam in hac re ſibi non conſtare aduerſarios. Porro quod ſaepe matris animi commotio ſine effectu in foetu, et naeui quoque ſine praeuio matris pathemate obſeruati ſint, exinde nihil ſequi Noſtro videtur. Neque omnis coitus eſt foecundus, neque omne gaudium, vel pudor vel alius animi affectus ſubito interficit, quamuis exempla hominum gaudio, pudore, repentina morte defunctorum PLINIVS adnotauerit. Praeter ea licet forte naeuorum origo ab oui morbis vique externa facilius deriuari poſſit, alias tamen cauſſas euidentes praegreſſas, qualis eſt animi commotio matris, minime excludi debere cenſet Cl. Auctor. Tacemus alia dubia, quae in primis ex Cl. BLONDELLO adducit refutatque Noſter, et ad quartum momentum perluſtrandum properamus, ipſius naeuorum cauſſae proximae inueniendae cupidi. Praemiſſis enim his, quae iam perluſtrauimus, tribus momentis, in ultimo ad ipſam problematis ſolutionem progreditur Noſter. Quam autem quum ipſe deſperet ſe dare poſſe p. 19.
omnibus numeris abſolutam, et alii viri doctiſſimi de

eadem olim desperauerint et adhuc desperent, nihil sibi relictum esse iudicauit, nisi ut rem tam admirandam ex nudis effectibus euentibusque in homine obseruatis explicet, et causſam aliquam eius proximam inde probabili ratione comprobet, modum vero ipsum se ignorare, lubens fateatur. Atque ita quadam ratione satis fieri posse sibi persuadet Cl. Auctor solutioni problematis, quam ex datis liquido constet esse impossibilem. Vt igitur rem ipsam paullo distinctiorem reddat, quaestionem propositam paululum immutauit, eamque generaliorem fecit, ut simul casus ille singularis propositus sub ea comprehendatur: nimirum *causſam* quaerit *proximam*, *quae mutet corpus foetus*, *non matris grauidae*, *huius mente a causſa quacunque violentiore commota*, *et quidem*, *cur id fiat in ea corpusculi foetus parte*, *de qua*, *in suo corpori*, *mater aliquam concepit ideam in suo animo*, *quam tunc temporis de alia corporis sui parte non concepit.* Deinde illud adhuc praemonet Noster, se excludere ab hac quaestione omnes morbos foetus, hereditarios, vel alia quacunque a causſa natos, itemque ipsos abortus: de his enim nemo dubitat, licet causſa eorum proxima aeque obscura sit, ac iam propositi casus.

p. 21. Quando itaque ipsa mens matris vehementer commota ut causſa naeuorum proxima adsumitur, id perficere vel immediate ea debet, vel mediate. Illud crediderunt veteres, formatricem aliquam vim in matrice ponentes, ab anima certo modo directam, sed obsoleuit haec opinio minus digna, quae nouis probatione renouetur. Hoc vero iterum duplici via peragi videtur; vel enim per membranas, placentam et funiculum umbilicalem foetus, vel per aquas amnii anima matris animam foetus ad effectum istum producendum instruit et perpellit. Posterior via Nostro ipsi valde dubia visa, intacta relinquitur; prior autem rursus abit in binas veluti semitas: vel humores ex utero in placentam exsudantes, vel nerui et

cerebrum

cerebrum matris cum neruis, cerebro et anima foetus nexum illum arctiſſimum efficiunt, cuius ope matris ideae cum foetus anima communicari poſſunt. De utroque modo diſſerit Noſter, de hypotheſibus p. 23. variis, circa generationis negotium adſumtis, parum ſollicitus, illudque unicum adhuc praemonet, ſe iam formatum ponere corpus, cui anima inſit, quae demum cunque illa ſit. Ante vero, quam haec peragat, ipſius rei illuſtrandae gratia generaliora non nulla praemittit Cl. KRAVSE de animae facultatibus, cogitatione, ſenſibus externis et interno ſiue conſcientia, imaginatione ſeu phantaſia, et voluntate, itemque de corpore et neruis in primis, ut inſtrumentis ſenſionum conſideratis, atque hominem has vires ſuas cauſſasque agentes latere, et earum ſolum modo effecta noſſe, inde colligit; quae quidem admiranda eſſe et excellentia exemplo Mithridatis, hominis litteratiſſimi, et alio muſici et geſticulatoris copioſe illuſtrat. Vnde porro conſectaria quaedam eli- p. 30. cit Noſter: nimirum motus actionesque corporis exactiſſime reſpondere cogitationibus et voluntati, adeoque animum dicendum eſſe actionum illarum cauſſam, quacumque demum ratione id fiat; dein animam ſcire debere, quo modo dirigat membra corporis, adeoque habere de iisdem ideas inſitas et connatas, quamuis ſine conſcientia; porro poſſe per medullam cerebri, et neruos plures diuerſosque motus propagari ſine ullo confuſionis metu; tandem falſas eſſe ideas materiales, quae putentur ineſſe certis cerebri plicis. Ideas illas inſitas et connatas iam ube- p. 33. rius probare adnititur Noſter tam ex admiranda brutorum σοφίᾳ et prouidentia, qua ad prolem ſuam tuendam nutriendamque impelluntur, quam ex infantum recens natorum exemplo, qui clamantes, nutricum quaerentes mammas, vel aegrotarum auerſantes lac, monſtrant aliquam τὸ cogitare et τὸ velle ſpeciem. Ideas autem eſſe poſſe abſque conſcientia p. 34.

confirmat

confirmat idem exemplo noctambulonum, hydrophoborum, aliorum, qui linguas, quas non didicerunt, loquuti leguntur, morbo ſuperato eas haud
p. 37. loquentes. Progreditur ad animi affectuum in corpus hominum admirandos ſaepius effectus, et in primis terroris, timoris, irae effecta recenſet rariora vide quae nos non repetimus, ex quibus ſaltem id patet adnotamus, turbari quoque valde, immo deſtrui corpus, ſi mens turbetur, et vitalia ipſa viſcera ab animi affectibus et vel minimas corporis partes affici.
p. 40. Quibus addit quaedam Cl. Auctor de pica ſeu deprauato grauidarum appetitu, cuius ipſe vidit ſingulare exemplum in honeſtiſſima et praenobili foemina, quae, quando grauida facta fuit, ſtercoris humani deſiderio adeo vexata eſt, ut, quum curru aliquando vecta, in via vidiſſet eius cumulum, de rheda deſiliret et ex eo auide famem ſuam expleret.
p. 41. Iam ad ipſam imaginationem eiusque in corpus vim ſingularem ſe conuertit Noſter. Imaginatio vero ideas ſenſionum, praecipue viſus, abſentibus obiectis, rurſus ſiſtit, volente aeque ac nolente anima. Illud ſanis accidit, hoc aegris, adeoque etiam grauidis, quae aegrae ſunt. Vis eius tanta eſt, ut homo ſanus ab idea quadam ſaepius liberare ſe non poſſit, in primis ſi cum deſiderio quodam nexa fuerit, ut idea puellae pulcrae, ut porro etiam vires corporis frangat, et in tabem, vel ſaepe inſaniam praecipitet homines, exemplo ſummorum artificum, qui operi cuidam eximio perficiendo intenti, eandem adeo concitauerint, ut vel ſub opere ſuccubuerint, vel in melancholiam inciderint. Effectus adeo imaginationis ad totum ſyſtema neruoſum propagatur; ubique enim ſibi ſimilis eſt medullaris ſubſtantia, cuius ope ipſa fit propagatio effectus. Quum autem ſemper eidem ſtatui animae idem reſpondeat ſtatus medullae, et viciſſim, ſequitur, ut, ſi viuida aliqua imago cum animi pathemate matris mentem percellat, etiam id

in

in neruis matricis eueniat, et hinc, ſi noua ibidem ponatur aliqua anima, eadem quoque haec percellatur idea. Atqui foetus cum matre arctiſſimus eſt nexus, ut fere unum continuum uterque conſtituat. Nexum hunc inde probat Noſter, quod cutis abdo- p. 44.
minis foetus neruoſiſſima, ſupra funiculum umbilicalem cum placenta et chorio coniungitur, et ipſa vaſa funiculi neruoſi quid habent. Quamuis autem videtur parcior neruorum in his locis copia, ſenſum tamen aliquem iisdem inde conciliari, ab analogia comprobat Cl. Auctor, quae tumores praeternaturales, oſſa, membranas, arterias, ſenſu quodam praeditas et irritabilitate docet. Duo igitur ſyſtemata neruorum et foetus et matris Noſtro videntur unum conſtituere, adeoque affectiones matris eaedem etiam foetus futurae.

Alter modus per humores actionem matris in p. 47.
foetum declarat; maxima enim eſt humorum placentae et foetus ſimilitudo, ut quoque cutis catulorum croceo colore tincta fuerit, quando mater croco paſta erat. Porro foetus a matre perpetuo humores accipit, et tunc etiam, quando illa animo commouetur; iam vero idea canis rabidi ab eiusdem ſaliua vel pabulo et carnibus deglutitis ad hydrophobum propagatur; idemne contingat foetui ab anima matris commota?

Quae quidem iam generatim dicta omnia Noſter p. 48.
applicat ad exemplum ab Academia perilluſtri propoſitum, ſequentem in modum: *tunc temporis in mente matris eſt idea de re inſolita mentem feriente, adeſt idea ſimul de actione grauidae in ſingularem aliquam partem corporis; hae ideae ſingularem actiuitatem acquirunt ab animi affectu, hunc que comitante imaginatione valida; iſtae ideae communicantur cum mente foetus, et in ea quidem celerius viuidiusque excitantur, quam in ipſa matris anima, propterea, quoniam et pulſus arteriarum, adeoque actio neruorum, et generatim omnes actiones*

in

in infantibus celeriores viuidioresque ſint, quam in adultis; ab his ideis determinatur foetus mens ad agendum in corpus eo modo, quem inferunt ideae excitatae, et quem reliquus ſtatus mentis admittit; hic vero non admittit uſum organorum voluntariis actionibus ſiue functionibus inſeruientium; ergo mens foetus agit in illam corporis partem modo eo, qui ipſi conceſſus eſt; et hoc non facit animo deliberato, ſed coacte, atque mens foetus potius delirat, atque plane determinata eſt ad ſic nec aliter agendum tamdiu, quam diu illae actiuae ideae durant. Hae autem diu perdurare ſolent in entibus cogitantibus, quorum ideae pauciores ſunt, hinc non cito
p. 50. *ſupprimuntur.* Tandem addit quaedam Cl. Auctor ad explicandum illud phaenomenon, quod pars illa corporis, quam mater tetigit animo commota, non in matre, ſed in foetu muretur. Haec eo redeunt, quod corpus foetus ſit tenerrimum, et arteriae eius et nerui agant celerius; quod inde ideae foetus etiam ſint viuidiores et fortiores; quod vero actiones mentis in grauida magis ad uterum tendere ſoleant.

p. 85. In monito, quod ad Academiam miſit Noſter, quum iam prelo expreſſa eſſet eius diſſertatio, et quod ſub finem ſubnexum fuit, tractatum aliquem eiusdem argumenti * eam ob cauſſam allegat Cl. KRAVSE, ne videatur eum exſcripſiſſe. Prodiit enim eodem anno, quo ſuam diſſertationem Noſter conſcripſerat, ſed iam Petropolin eam idem miſerat, quum illius demum ipſi innoteſceret titulus. Continet autem ille praeter BLONDELLI et Galli cuiusdam anonymi diſſertationes, quas Noſter etiam in ſua tractatione citauit et refutauit, alium MAVCLERC. Angli tractatum,

* *Drey merkwürdige phyſicaliſche Abhandlungen von der Einbildungskraft der ſchwangern Weiber und derſelben Würkung auf ihre Frucht, davon zwey aus dem Engliſchen, die dritte aber aus dem Franzöſiſchen überſetzt worden. Strasburg, 1756.*

tractatum, qui dubia utriusque et Galli et BLONDELLI refellere singulari industria adnisus est.

Iam ad alteram dissertationem, cuius Auctor est p. 54.
Cl. IO. GEORGE ROEDERER, Med. et Anat. Prof. Goetting. Acad. Imper. Scient. Petropol. Socius, eo lubentius nos conuertimus, quo maiori cum voluptate nos doctos eius labores alio tempore cum lectoribus nostris communicasse recordamur. Ille vero, dum propositum problema soluere adgreditur, negat matris animam commotam ut causſam naeuorum proximam, veriores eorum causſas quaerens et commonstrans in accidentalibus variis iniuriis, quas vel in conceptione vel iam formatus patitur embryo. Quae quidem ut accuratius pleniusque comprobare possit Noster, duplicem sibi viam delegit, et a priori inuestigat structuram et nexum matris cum embryone, et a posteriori ad grauem prouocat vocem experientiae, propriis experimentis nixus et obseruationibus. Quum autem in commercio illo matris cum p. 56.
embryone, quod placenta sola facit, et ad quod velamenta parum conferunt, omnis cardo quaestionis propositae vertatur, illud primo loco attentius disquisiuit Noster, sed adeo arctum firmumque, ac plerumque putatur, idem non inuenit. Neque enim veram vasis uteri cum placentae vasis intercedere anastomosin, neque continuatam fibrarum placentae cum utero esse substantiam, multis argumentis comprobauit Cl. Auctor. Prius patet ex luminum vasorum placentae paruitate, quae nec ceram admittunt, nec sanguinem stillant, extracta placenta integra, vel in aquam immissa, vel a morte post sectionem caesaream; ex maxima contra vasorum uteri luminum amplitudine, in grauidis, in cadauere, in menstruata magis patente; porro ex iniectione, quae nec a vasis hypogastricis ad umbilici vasa, nec viciſſim ab his ad illa penetrat, sed solam cellulosam placentae implet;

ex

ex ceſſante mox ſanguinis fluxione, ſi poſt partum relicta ſit placenta funisque praeciſſus, et conſtricto utero et adhuc laxato; ex colore rubiae tinctorum, qua paſta fuit grauida mater, non tingente oſſa foetus; ex ipſius ſanguinis matris et pulſus ab illo foetus differentia; tandem ex placentae vi ſecernente in minimis venis, quae cruorem non admittunt. Et quibus colligit Noſter foetum viuere propriam vitam ſuis viribus, ſine ſanguinis matris adminiculo, et motum, quietem, ſomnum, immo mortem non
p. 60. ſemper eſſe in matre ac foetu harmonica. Alterum vero momentum, quo dubius redditur arctus ille matris cum embryone nexus, manifeſtum eſt et laxa, mobilique placentae cum utero cohaeſione, quae facile manu ſoluitur, vel ſuapte natura, et inſcia matre; nulla adeſt fibrarum ex illo ad hanc productio; dolores ad uterum conſtrictum pertinent; placenta aliquando in partu lacerata fuit absque matris ſenſu; aequalis porro eſt ubique et laeuis ſuperficies uteri et placentae, neque cicatrices a laeſione remanent; nihil denique neruis analogum in placen-
p. 62. ta demonſtrari poteſt ab anatomicis. Praeter ea ſi ad mutationes, quae ex matre in foetum per placentam deriuari poſſunt, attendas, illae vel per humores vel per ſenſum aliquem huc deriuantur. Nerui vero nulli quum adſint, ſenſus etiam nullus ex matre in foetum produci poterit. Superſunt igitur humores, qui tamen etiam non omnes ſanguinis materni mutationes propagant, qua tales, ſed quales a vi placentae ſecernente recipiuntur. Multa quidem adhuc a primario liquore habet ſecretus liquor, et mutato illo hic quoque mutatur, ſunt tamen haec minus memorabilia. Nam ſi forte ab animi affectu ſanguis matris alteraretur, ſpecificamque hanc mutationem placentae traderet, inde quidem morborum patet, non vero naeuorum origo et propagatio. Siquidem naeui ad ſolidas potius, quam fluidas partes pertinent,

nent, et optionem aliquam ſedis peculiaris in corpore ponunt et ſanos etiam infantes ſaepius afficiunt, nulla infectos humorum labe. Vt adeoque minus probabilis ſit naeuorum per humores in foetum deriuationis modus. Enim vero ſi nerui forte dentur in placenta ex utero deducti, eorum tamen vires adhuc ſuperat naeuorum formatio. Imprimenda eſſet neruis matris obiecti iſtius, cui naeui aſſimilantur, figura et forma, et deriuanda in embryonis neruos, ibidemque inſculpenda carnibus; ſed quo modo haec poſſit alias partes a foetu auellere, alias iungere, alias transferre in partibus ſolidioribus, oſſibus, vitalibus, ſine vitae diſpendio, inde non liquet. p. 64. Neque eſt aliqua forma neruis impreſſa, ſed oſcillatio, quae ideam coniunctam habet, quae tamen nec ex illa naſcitur, nec quicquam cum ipſa commune habet. Animi affectus morbos quidem facit, immo abortum, non naeuos. Facultas tandem animae foetus, ſtruens corpus ſuum, valde dubia eſt et obſcura. Praeter p. 66. ea ſi in explicanda naeuorum geneſi concedantur omnia, quae quidem redeunt ad ſympathias precarias, occultasque qualitates, ipſa manus maternae applicatio nihil omnino huc confert: neque enim pertinet ad animi affectum matris, et inſcia matre ſit et ſine conſilio, neruosque determinare ad oſcillationem nullo modo poteſt. Supereſt aliud adhuc dubium, quod nimirum ab animi affectu mater non afficiatur, ſed embryo: quamuis enim tenerior huius et mollior ſit fabrica, ſemper tamen quaeri poteſt, cur ob eandem mollitiem non aeque facilis laeſarum partium ſanatio, ac fieri ſolet in iunioribus? cur mater in parte affecta nihil doloris ſentiat? cur matre aegra, ſana ſaepe maneat embryonis fabrica? cur denique in recens natis ex frequenti animi affectu nulli amplius naeui? Sed foetum vitia neruorum matris ſerius rariusque afficere, ac illa humorum, longa certaque docet obſeruatio.

p 68. Ex his iam fusius adductis argumentis demonstrata videtur hypotheseos istius impossibilitas, quae matris animam ponit naeuorum caussam proximam, sed ipsas etiam obseruationes de naeuorum existentia et indole pergit Noster copiose et ex sui ipsius experientia, quam habuit testis oculatus frequentiorem, re-
p. 70. fellere. Nimirum 1) naeuorum figura ipsa habitu suo obiecta illa, quibus assimilantur, non refert, sed ad illud phantasia misere contorquetur, atque accuratius perlustrata, macula potius in cute, verruca pilosa, carnis excrescentia vel aliud quoddam vitium cutis, deprehenditur. Fingit sibi similitudinem phantasia plebis, quam ipse in plurimis exemplis nunquam vidit Noster. Est vero saepius quoque pia fraus et lucri cupido, quae eius modi formas fingere matres iubet, ut ipse vidit puerum, cum matre in aula principis alicuius laute nutritum ideo, quod credebatur referre formam infantis Iesu, in sacello a matre grauida visam, sed fuit pigmaeus, sanaque membrorum eius conformatio, dictae imagini prorsus non similis. Subest interdum quoque turpis fraus, ut docet historia de aureo dente, et alia recenti aeuo facta, ex qua medicum a mulierecula, quae piscem sibi ex sorore natum portenderat, deceptum fuisse constat. Porro
p. 73. 2) frequentius obseruantur naeui et monstra, quae possent assimilari obiectis quibusdam, quum mater nullius casus reminiscatur, qui in grauiditate dederit iisdem occasionem. Ipse Noster obstetricius plurium grauidarum actiones attente obseruauit, neque unquam ullum nexum naeuorum caussalem cum animi affectu matris inuenit praegresso. Vidit naeuos in locis, quae vix tangit matris manus, ut in hypochondriis. Idem e contrario 3) vehementiores in grauidis obseruauit animi affectus sine sequela naeuorum, quamuis matres anxiae propter ea fuerint et sollicitae, neque ex adspectu cadauerum, conuulsorum vel deformium hominum, neque ex desiderio

negato

negato ullos effectus adnotauit, ut in grauida, a negato vitulini capitis, quod auide cupiebat, esu valde contristata, nulla sequela fuit alicuius naeui. Tandem similitudo prolis cum parentibus parum valet in probanda ista naeuorum similitudine, quum illa pendeat a prima conceptione, ab humorum in foetum e placenta ductorum qualitate, ab exemplo, ab educatione, et ad uniuersum spectet corpus, minime comparanda cum naeuis, huic illiue tantum impressis parti.

Refutata iam contraria ista de naeuorum origine hypothesi, remotisque eorum caussis precario adsumtis, ad veriores, quae naeuos formant, caussas exponendas progreditur Cl. Auctor. Refert autem easdem vel ad ipsam conceptionem, vel ad embryonis iam formati vicissitudines. Has primum considerat Noster, explicatque ex violentiis, quas patitur embryo vel ab uteri contractione, quae membra eius compingit, vel ab externa vi, qua uterus perculsus fuit, vel ab incremento placentae nimio, unde etiam molae, vel a gemellorum consortio, quo alterutrius partes vitiantur, ut vidit ex gemellis alterum in chartae tenuitatem compressum. Huc referri debent partus simiis similes, a situ peruerso in utero, et hinc strictioribus factis ligamentis compressisque artubus, quod vitium tamen tollunt balnea tepida, ex lacte, et artuum repetitae agitationes. Alii plures naeui et monstra sunt morborum, embryones affligentium, connatorum, minime infrequentium sequelae, ut hydrocephali, varii tumores et sacci aquosi, circa collum, in facie, in genitalibus aliisque locis conspicui, abdomen vel thorax aqua plenum, spina bifida, maculae cutaneae icteri reliquiae, aliaque. Haec vidit, secuit, examinauit Noster, inuenitque stases effusorum in cellulosam telam vel alia caua humorum a vi praegressa externa. Porro alios naeuos parit ipsa partus difficultas, ut oculos horridos, nasum

p. 77.

p. 78.

p. 81

ſum depreſſum, labia tumida, membra fracta, alia. Infans aethiops putatus, in partu difficili vel funiculo, collum eius conſtringente, cauſſam liuoris habuit. Alii toti nigri nati ſunt a putredine, quae matricem occupans ipſos ſimul foedauit ante partum mortuos. In aliis capitis deformitates a compreſſo, inter partum vario modo, cranio ortum trahunt.

p. 82. Sed pauca adhuc addit Noſter de cauſſis ex ipſa conceptione deriuatis. Naeuos autem a monſtris ſolo gradu differre putat, in naeuis cutaneas partes aliasque externas minus recte formatas eſſe, in monſtris integros artus et viſcera; in utrisque ſtructuram vitio naturali laeſam. Verum occurrunt in utrisque laeſiones et vitia, quae ſunt ſuperiores mutationibus, quas formatus embryo admittit, adeoque rectius ad primae fomationis rudimentorum vitia referri debent. Hinc Noſter eandem cum monſtris naeuorum originem ex prima conceptione ſtabilire tentauit breuiſſimis. Nam quum pleraque monſtra et deformes conformationes magis internorum viſcerum oſtendant vitia, quam externae figurae labem, neque cum externa deformitate nexum habeant vel ſimilitudinem, neque adſint propter externum vitium, ut ſunt renes, inteſtina, corda, integri embryones concreti, vel cordis, cerebri, aliarum partium defectus, vel duplicatus eius modi partium numerus, certe haec omnia ab imaginationis motu, vel animi affectu vehementiore materno minime deriuari poſſe arbitratur Noſter; quin et in plantis et brutis, in quibus de animae cuiusdam imperio vel affectu nec cogitari quidem poſſit, obſeruari humanis naeuis ſimiles deformitates, ſubiungit, illud in primis iure ſuo exoptans, ut adhuc diligentius in ipſam inquiratur monſtrorum originem, propiorque a vero inde ſtrui de eadem poſſit hypotheſis.

VIII.

VIII.

MARCI LVDOVICI VVLLYAMOZ Diſſ. inaug. de ſale lactis eſſentiali. Lugd. Bat. 1756. 4 mai. pl. 4½.

Lac inter alimenta non minus, ac medicamenta, principem fere obtinet locum; hinc qui in eiusdem naturam et indolem ſollertius inquirat, haud exiguam laudem merebitur: atque hanc etiam Cl. VVLLYAMOZ non denegabimus, cuius circa idem argumentum facta tentamina iam recenſere animus eſt. Ille quidem non omnem lactis eiusque partium conſtitutiuarum tradidit hiſtoriam, ſed unicam tantum, eamque principem lactis partem, ſalinam nimirum, accuratius inueſtigauit, et quae de eadem vel alii vel ipſe obſeruarunt, in hac diſſertatione ingenue expoſuit. Pauca generatim de lacte eiusque partibus eſ- p. 1.
ſentialibus, cremore et ſero, itemque de ſalis, ac praecipue ſalis natiui ſeu eſſentialis, generali notione praefatus, Noſter breuem ante, quam ipſam ſalis lactis eſſentialis diſquiſitionem ſuſcipiat, eiusdem praemiſit hiſtoriam. Vnde docemur, FABRICIVM p. 9.
BARTHOLETVM, medicum italum, ſub initio ſeculi praecedentis, primum *mannae* ſeu *nitri ſeri lactis* feciſſe mentionem, cuius deſcriptio ab ETTMÜLLERO in Operibus ſuis data fuit Quamuis enim HALLERO in Praelect. dicatur KAEMPFERVS enarraſſe huius apud Brachmanes, Indorum philoſophos, iam cognitam parandi artem fuiſſe, locus tamen citatus a Noſtro inueniri non potuit, ipſaque hinc ſuſpecta viſa eſt relatio. Sub finem autem eiusdem ſe- p. 10.
culi parauit LVDOV. TESTI, medicus venetus, ſaccharum lactis, eiusque a ſale ſeri dulcificati ſtatuit differentiam, et in arthritide virtutem laudauit, methodum autem parandi adhuc ſiluit. Salem aliquem p. 12.
acidum, euaporationis lentae et repetitae ſolutionis

ope, ex lacte se obtinuisse refert Cl. VERHEYEN, idem tamen Nostro repetenti experimentum non respondit euentus. Post methodum parandi saccharum lactis, eiusque in curandis morbis efficaciam, in pe-
p. 14. culiari dissertatione exposuit Cl. FICKIVS. Praeter ea diario Heluetico inseruit medicus Neocomensis tractatum de effectibus sacchari lactis, in purissima crystallos redacti, sed artem parandi non addidit. Idem quoque descripsit, et ouorum auxilio parare docuit Cl. CARTHEVSER, Noster vero idem tentando ne miculam quidem salis obtinuit. Tandem Cl. CREVZIVS, medicus, in Helueticis alpibus parat quotannis venditque magnam sacchari lactis copiam, quod crystallorum albedine, dulcedine et plenara super linguam solubilitate reliquis antecellit, sed me-
p. 16. thodum nondum publici iuris fecit. Suam vero Noster iam exponit eius parandi methodum, a pharmacopola perito communicatam. Sunt duae huius species, altera crystallorum, altera tabularum forma. Tabulatum hoc paratur, si cremore separato, residuum lac immisso vitulino vel ouino ventriculo coagulatur, serum inde filtratum, lenique igne ad mellis consistentiam inspissatum, in modulos arbitrariae formae effunditur. Crystalli autem obtinentur ex hoc tabulato saccharo soluto, oui albumine clarificato, filtrato, inspissato, atque in loco frigido ad crystallisationem reposito. Parietibus vasis lamellatim adcrescunt crystalli albae, cubicae, splendentes, quibus separatis et liquore residuo iterum inspissato, nouae nascuntur, et vel tertia vice repeti potest haec crystallisatio; ex quibus tamen primae sunt albissimae, sequentes luteolae vel brunae crystalli; hae etiam albae fiunt solutae in aqua et euaporatae. Vernum tempus ad hoc negotium optimum est; lac enim tunc optimum est maioremque dat salis copiam. Videtur quidem humanum lac reliquis antecellere, sed quum eius parcior haberi possit copia, ac ad illam

lam ſalis praeparationem exigitur, praeſtat omnino aſininum.

Iam ad ipſam ſalis lactis eſſentialis diſquiſitionem chemicam progreditur Cl. VVLLYAMOZ. Ex qua diſcimus, aquam illud perfecte ſoluere, ita tamen, ut frigida parum, calida plus reſpectiue ſoluat; acidum vitrioli id momento ſoluere, paucas tamen relinquere moleculas, inſolubiles ab aqua et ſaliua; ab aceto fortiſſimo, aqua forti, oleo tartari per deliquium, ſpiritu ſalis ammoniaci, et alcohole, intra 24 horas nihil ſolui, ignis autem ope aliquid inde extrahi; neque ſpiritum nitri fumantem praeſtare ſolutionem, licet nata ſit efferueſcentiae ſpecies et viridis color; neque mutari violarum ſyrupum; acidi vitrioli colorem mutari ex flauo in ſubruffum, eiusque ſolutionem praecipitare partes quasdam martiales. Ex quibus experimentis colligit Noſter illud ſal lactis eſſentiale ad ſalia neutra referri debere: quum vero affirmet ſalia neutra eſſe vel ex duobus ſalibus ſimplicibus, vel ex ſale ſimplici et materia non ſalina nata, atque haec inflammabilia, illa vero non eſſe, ad hanc ultimam ſalium neutrorum claſſem ſal lactis refert. Nam haec eſt eius primaria proprietas, quod ſit inflammabilis. Siquidem fluit in crucibulo, nigreſcit, ſpiſſior fit, et admota flamma deflagrat, remanent autem partes nigrae, terreae, haud inflammabiles, calcinatae alcali fixum dant vegetabile: ab affuſo enim ſpiritu nitri nata eſt efferueſcentia, liquor vero ſaturatus et euaporatus verum reddidit nitrum; ab addito acido vitrioli natus eſt odor ſalis communis, unde forte ſapor ſubſalſus noſtri ſalis; tandem vegetabilis natura alcali huius fixi patere videtur ex indole alimentorum vegetabilium in lacte non prorſus mutata in animalem naturam. p. 18.

Comparat propter ea Noſter ſal ſuum lactis cum ſapone veneto, ſed multum ab eo differre ſtatuit, et ſapore nauſeoſo, et alcali fixo, quod ſaponi ineſt p. 21.

absque combuſtione, ex ſale lactis autem ignis ope elicitur, et ideo, quod ſapo aqua humectatus non mutetur, ſal vero lactis fermentescere incipiat. Sola vis olea cum aqua conſociandi et ſaponi et ſali lactis communis eſſe videtur.

p. 23. Praeter ea Cl. Auctor probat ineſſe eidem ſal aliquod acidum, ex ſapore, quem ſimili modo, ac acetum, plumbo conciliat in ceruſſam mutato, et natura fermentabili; porro deſtillatio, affuſio olei vitrioli, tandem deflagratio in vaſe clauſo idem exhibuit.

Acidum autem hoc, cum inflammabili coniunctum, eam inde conſequitur virtutem, qua olea cum aqua iungat, et horum quoque arceat diuortium. In lacte enim, addito ſaccharo lactis, cremor non ſeparatur, neque id facile aceſcit, ac fit in lacte ſibi relicto; contra ebutyratum cum eo plus aceſcit, ac

p. 27. ſine eius admixtione. Quibus de natura et facultatibus ſacchari lactis expoſitis, ſubiungit Cl. Auctor eiusdem cum ſaccharo vegetabili comparationem. Huius autem et methodi parandi deſcriptionem ampliorem ex Cl. LABAT *Voyages aux Iles de l' Amerique* adduxit, quam repetere non iuuat, ex qua tamen illud adnotaſſe ſufficiat, ab addita calcis viuae et cinerum multa ſatis copia valde mutari ſacchari vegetabilis natiuam indolem, naſcique inde eius ab illo lactis ſaccharo diſcrimen. Ceterum ſucci cannae ſaccharifera, ſi purus haberi poſſet, omnino analogia cum noſtro ſale lactis perfecta eſſe viſa eſt Cl. Auctori; Inde quoque, quae ſaccharo tribuitur a Cl. BOERHAAVE, virtus diſſoluens viſcoſa et pituitam, aperitiua et

p 31. attenuans, ſaccharo lactis competit. Neque differt illud a ſero lactis, niſi aqua ſola; examen enim chemicum eadem exhibuit huius principia, ac ſacchari lactis, nimirum acidum ſpiritum, oleum ſpiſſum, et in lixiuio capitis mortui veſtigia ſalis marini et alcali fixi. In quibuscunque igitur morbis ſerum lactis

commen-

commendauit in primis Cl. HOFFMANN, in iisdem etiam ſaccharum lactis multum praeſtabit, atque hinc ad varias diſſertationes, a Cl. HOFFMANNO de eodem argumento ſcriptas, lectores ſuos ablegat Noſter. In debilitate ventriculi certe ſal lactis praeferri meretur ſero eius. Conuenit in nimia obeſitate non minus, ac in macie; in obeſis enim impedit olei a ſero ſanguinis ſeceſſum in cellulas; in macilentis autem et ſiccis relaxat fibras adeoque ſuſcipiendae pinguedini aptas reddit. In ſumma debilitate neruorum continuatus eius uſus praeſtat, abſtergit inteſtina et aluum ſoluit: hinc in tabe et drachmae duae eiusdem in infuſo ſcabioſae, tuſſilaginis, hederae, veronicae; in ſpaſmis autem in infuſo millefolii, florum chamomillae, tiliae, meliloti quotidie dari poſſunt. In macie cremor hordei, in dyſuria radix althaeae vel ſeminum lini decoctum; in obſtructionibus autem aquae minerales aptum videntur praebere menſtruum, in quo propinari debet ſaccharum lactis. Infantibus quoque in alui ſegnitie conuenit; promouet menſes et coercet ſpaſmos.

Verum in inueteratis malis parum adfert auxilii, p. 35.
Leues quidem ſoluit obſtructiones, auctiores vero non aeque, hinc in hypochondriaco malo conueniret eius uſus continuatus, ſed mox anxietates ciet, forte a coepta ſolutione ſanguinis atrabilarii, et vaſorum inde nato attritu; forte etiam illud auerſantur aegri ob dulcem ſaporem.

IX.

Diſſertatio ſolemnis medico chirurgica de fiſtula lacrumali eamque ſanandi methodis. Praeſide CHRISTIANO STEPHANO SCHERFELIO, M. D. et Prof. P. O. Facult. Med. Decano et Seniore. Reſp. et Auctore *Iacobo Chriſtiano Vogel*, Lubecenſi. Gryphiswaldiae. 1756. 4. pl. 1 3½.

Quanquam multi iique celeberrimi Auctores de fiſtula lacrumali iam egregie expoſuerunt, plura tamen, in primis circa ſanationem eius, imperfecta et minus ſufficientia Cl. Auctori videbantur relicta eſſe, quae ad finem exoptatum in hac diſſertatione perducere, et praecipue obſeruationes et methodos curandi eandem, ex Opt. Parentis experientia deſumtas, tradere ſibi propoſuit Noſter. Diſſertatio vero in duas diuiſa eſt ſectiones, quarum prior theoriam, poſterior therapiam fiſtulae lacrumalis ſiſtit; nos praecipua inde relaturi ſumus argumenta. In capite primo itaque varias fiſtulae lacrumalis ſignificationes tradit Cl. Auctor, et veteres anchilopem, aegilopem et epiphoram cum ipſa fiſtula confudiſſe, Cl. BOERHAAVIVM vero primum, vel ante ANELLIVM, hos morbos deſcripſiſſe et in ordinem redegiſſe oſtendit. Praemiſſis dein variorum auctorum, veterum aeque ac recentiorum, definitionibus fiſtulae, quorum alii inter characteres eius eſſentiales calloſitatem referunt, alii eandem negant, ſuam addit Noſter, et *ulcus, in ſacco lacrumali obueniens, atque cum huius in parte inferiore obſtructione coniunctum* ſub eadem intelligit. Inde progreditur idem ad caput ſecundum, et eſſentiales morbi illius notas exponit, quarum duae ſunt principes, nimirum ulcus ſacci lacrumalis et obſtructio huius in parte inferiore, quam probat adeſſe ex tumore, qui preſſus pus verum vel ſaniem

p. 1.

p. 7.

per

per puncta lacrumalia eructet, atque id sine ista obstructione fieri haud posse arbitratur. Quum autem callositas et sinuositas per accidens ad morbum hunc relatae fuerint, eundem improprie fistulam dici monet in primis contra Cll. HEISTERVM, PLATTNERVM et DE LA FOREST. Porro accidentalia fistu- p. 10.
lae lacrumalis recenset Noster in capite tertio, et inflammationem, suppurationem, gangraenam vel cariem, ulcera fistulosa, tumores scirrhosos, cancrosos, oedema ex eo huc refert, quia interdum cum his, interdum sine his noster morbus occurrat. Ca- p. 13.
put quintum differentias fistulae lacrumalis proponit. Quo modo eandem cum aliis morbis confuderint multi veteres iuxta ac recentiores, supra iam adnotauerat Noster et hic plenius commonstrat. Ipse autem fistulam distinguendam esse probat ab *anchilope*, qui est tumor quilibet, in oculi angulo interno obueniens, partesque sacco lacrumali vicinas afficiens, et ab inflammatione plerumque ortus; ab *aegilope* seu ulcere, in oculi angulo maiori obueniente, quod partes inter nares et oculum externas, et quidem prope saccum lacrumalem positas, vexet, quodque materiae ibi collectae per aperturam aliquam effluxum conciliet liberum, illaeso manente sacco lacrumali; ab *encanthide*, siue tuberculo caruunculae lacrumalis, p. 17.
quo orificia ductuum lacrumalium obstruantur, et quod vitriariis frequentius sit malum; ab *epiphora* seu oculo lacrumante; tandem ab *hydrope sacci lacrumalis* ANELLII siue aliorum *hernia lacrumali*, quae a clauso vel obstructo ductu nasali oriatur, et mollem ac hernioſum formet prope angulum oculi internum tumorem, qui digito compressus initio morbi vel matutino tempore, per puncta lacrumalia serum limpidum effundat, breui vero, collecto nouo humore simili, iterum appareat. His missis, ipsius fistulae p. 20.
lacrumalis diuisionem in suas species explicat Noster capite quinto; est vero hac in re etiam ingens auctorum

rum diſſenſus, ut alii duas, alii tres, alii ſeptem ſpecies, in primis cum Cl. HEISTERO, conſtituerint; Noſter fatetur tot fere eſſe eas dem, quot methodi curationis ſint inuentae, a peritiſſimo chirurgo tan-
p. 23. tum diſcernendae. Sequitur caput ſextum, in quo de fabrica et uſu ductuum lacrumalium ubertime et eleganter Noſter diſſerit, variasque obſeruationes anatomicorum, in primis Cll. HALLERI et ZINNII adducit, quae huc transferri haud poſſunt, e quibus tamen unicam notamus, nimirum negari a Noſtro vias
p. 38. lacrumales nouas, a Cl. VATERO inuentas. Progreditur deinde in capite ſeptimo ad ſcrutinium cauſſarum. Primaria cauſſa eſt omne malum, quod lacrumarum deriuationem vel transgreſſum impedit, id, quod copioſius oſtendit, et curioſum Sinenſium experimentum adfert, quo ad ciendum fluxum lacrumarum filum per puncta lacrumalia trahunt. Sunt praeter ea aliae cauſſae, quae vel obſtructionem ſacci lacrumalis producunt, vel ſuppurationem; illae ſunt iterum vel internae vel externae, quas iam recenſere fuſius non licet: monet vero Noſter obſtructionem eius modi, in ſuperioribus partibus ſacci lacrumalis factam, fiſtulam noſtram producere non poſſe, quia prohibetur inde defluxus humorum ex oculo. Contra ſi ſemel iam facta eſt in inferiori parte obſtructio, facile etiam ex preſſione et acrimonia lacrumarum ſtagnantium generari poterit inflammatio et ſuppuratio: ex ſola autem inflammatione, ſine obſtructione coniuncta, geneſin fiſtulae lacrumalis vix concipi poſſe addit Noſter propter liberum puris in cauitatem narium defluxum, atque cur poſt variolas, vel in lue venerea, fiſtula frequentius generetur, ex-
p. 43. plicat. In capite octauo Cl. VOGEL ſigna morbi illius recenſet. Vlcus quidem agnoſcitur ex tumore, vel ſi minor aut nullus adſit, ex puris poſt preſſionem exitu; obſtructio autem ex lacrumarum purisue per ſuperiora effluxu, et in primis ex prohibito ſpe-

cilli

cilli tranſitu et ſiccitate narium eiusdem lateris patet. Reliqua ſymptomata, ut inflammatio, alia, ex ſuis ſignis cognoſci poſſunt, quae pathologia docet. Prognoſis generalis eadem huius morbi eſt, ac ob p. 45. ſtructionum, in aliis corporis partibus occurrentium; ſpecialis autem ex ipſa fiſtulae natura deſumitur. Leuior enim obſtructio ſiue incompleta fiſtula medelam admittit non difficilem et ſponte aliquando ſanatur; fiſtulae contra completae, cum carie coniunctae, difficilior eſt curatio; idem valet, ſi haec cum hernia ſacci lacrumalis eſt, ſi inueterata, ſi corpus impurum eſt, et alia.

Quibus iam copioſe ac erudite de theoria morbi p. 48. dicti pertractatis, ad alteram ſectionem accedit Cl. Auctor, qua therapiam fiſtulae lacrumalis tradit. In primo capite generatim de medelae ratione agit, et in primis uſum ſpecilli pro reſerandis punctis lacrumalibus laudat; Cl. STAHLIVM inueniſſe hanc methodum, Cl. ANELLIVM vero eam perfeciſſe monet Noſter. Dein poſt apertam lacrumarum ad nares viam ſiphunculum commendat, quo remedia ad ſuppurationem moderandam abſtergendumque pus demitti poſſint. In leuiori obſtructione haec valent, ſed ſi ea fortior eſt, inciſio ſacci lacrumalis inſtituenda eſt, Subiungit methodum per compreſſionem, p. 51. quae vero, oſtii inferioris aperturam quum non efficiat, minus conuenire videtur. Tandem varia de perforatione oſſis unguis exponit Noſter, eamque etiam ex eo taxat, quod viam ad nares ſaepe non aperiat, ſaepe illam praecludat, nouaeque fiſtulae anſam praebeat. Sequenti capite methodos varias p. 54. curandi fiſtulam lacrumalem tam veterum, quam recentiorum, incipiendo ab HIPPOCRATE ad noſtra uſque tempora, fuſius recenſet; et ſpeciatim capite p. 80. tertio examinat nouam methodum Cl. DE LA FOREST, eamque prae ceteris omnibus laudat; in quarto autem capite obiectiones quasdam circa eandem

p. 92. dem mouet, et uſum eius valde limitat. Quibus expoſitis, capite quinto nouam optimi parentis ſui methodum explicat, et ex hiſtoria trium aegrotorum ſucceſſum eius confirmat.

Prima aegra erat puella quatuordecim annorum, in qua poſt variolas ozaena, et facta a chirurgo quodam ſaliuatione, fiſtula lacrumalis orta eſt. Tumor valde durus apparuit prope naſum, et humor denſus poſt lenem preſſionem effluxit, oculis ophthalmia ſeroſa laborantibus. Strictior diaeta, venae ſectio, electuarium mundificans WERLHOFII cum foliis ſennae, adhibita fuerunt; oculus dexter ſebacea materia conglutinatus, ſpongia calido lacte imbuta deterſus eſt; ſextoque die ad tempora applicatae ſunt hirudines, ulcus vero naſi liquata medulla boaria cum oleo hypericonis illinitum fuit. Poſt octiduum calor et foetor naſi deſiit, cruſtaque in eo generata eſt contractior, et poſt quatuordecim dies ulcus aliquantum fuit ſanatum. Hinc in naſum iniectum eſt decoctum leniens, et puluis liliorum conuallium ut ſternutatorium adhibitum, quibus remediis ductus naſalis orificium apertum fuit. Tumori vero adhuc duro mederi licuit ſtillicidio aquae calcis viuae, quod Noſter peregit ſingulari inſtrumento, infundibuli in modum
p. 94. conſtructo; deſcripſit illud fuſius Noſter: ſtillicidio hoc ter vel quater de die ad ſextam uſque hebdomadam inſtituto, euanuit foetor narium et cruſta calloſa, et tumor mollior factus, ſaccique tantum relaxatio ſuperfuit, quae etiam compreſſione ope ſplenio-rum et faſciarum ſublata eſt, relictus vero mucus iniecta aqua ſacchari prorſus deterſus.

p. 95. Altera aegra fuit puella, poſt variolas anchilope laborans. Poſt uſum emplaſtri adſtringentis ſimul ac emollientis, exterius apparuerunt varia foraminula, quae aeque, ac puncta lacrumalia, ſaniem fuderunt. Sacci lacrumalis diſtenſio, ductus obſtructio, palpebrarum inflammatio, grauedo obſeruata ſunt: ſed ab inciſione

inciſione venae, uſuque veſicatoriorum et fomentorum emollientium leuamen aliquod inductum fuit; palpebrae tamen adhuc inflammatae, urina calida ſani hominis ablutae ſunt cum ſucceſſu. Poſt haec ſaepius ex punctis lacrumalibus materia caſeoſa expreſſa eſt, ſaccusque obſtructus paullo mollior factus, cui globulus ex charta bibula, calida urina imbutus, cum pauco ſpiritu camphorato, applicabatur. Continuatus horum remediorum uſus, cum diluentibus et laxantibus, poſt ſex hebdomadas aegram priſtinae ſanitati reſtituit, ſaccus enim lacrumalis tonum ſuum rurſus obtinuit, ab omni viſcoſa liberatus materie. Ante abſolutam curationem bis facta fuit pone aures in ſcapulam et deltoidem muſculum ſcarifatio.

Tertius aeger erat vir, triginta annos natus, fiſtu- p. 96.
la lacrumali iam per aliquot annos vexatus in ſiniſtro oculo. Tumor apparebat admodum durus; fiſtula extus patula, cum oris calloſis, ichorem fundentibus; puncta lacrumalia obſtructa; bulbus oculi vicinaeque partes inflammatae. Ductus lacrumalis erat non modo obſtructus, ſed caries etiam oſſis odore foetido et ſpecillo cognoſcebatur. Cataplaſmata emollientia ac reſoluentia, cum uſu interno laxantium ex mercurio dulci, oculum a viſcida materie liberabant. Poſt vena ſecta et veſicatorium pone aures admotum fuit. Porro ſpecillo in aperturam calloſam immiſſo, ſaccus lacrumalis incidebatur et a materia ſanioſa repurgabatur, fungoſae excreſcentiae deſtruebantur, tenuique ſpatula caries abradebatur. Poſtero die aqua ſacchari per ſyringam Anellianam verſus ductus lacrumales iniiciebatur, ſed regurgitabat ex punctis lacrumalibus; hinc via ad nares ope ſpecilli, quod in apice foramine praeditum, et per quod filum lineum, aqua ſacchari et opobalſamo imbutum, traiectum fuit, aperiebatur. Paucus ſanguis exſtillans factam aperturam indicabat; quare dein filum paruo hamulo educebatur, et quotidie bis per

ductum

ductum trahebatur. Qua adhibita medendi methodo, et interpositis laxantibus mercurialibus, tandem plenaria sanatio post sex septimanas absoluebatur.

X.

The ligature preferable to Agaric, in securing the Blood-Vessels after Amputations: In which the dangerous and fatal Consequences that may attend a Dependence upon the latter, are offered to the Consideration of Surgeons; and the Experiments made at Paris by Monsieur FAGET, and at London by Mr. WARNER, proved to be insufficient to authorize such a Practice. By HENRY PARKER of Sandwich, sometime Surgeon of the Royal Navy. London, printed for R. Griffiths, etc. MDCCLV. 8. mai. pag. 18.

h. e.

Commentarius Cl. HENRICI PARKER, quo is probat, ad sanguinem post amputationes in vasis sanguiferis cohibendum, ligaturam praeferendam esse agarico, huiusque usum pernicioſum atque noxium esse posse; neque ad eum commendandum sufficere experimenta, Parisiis a Cl. FAGET, et Londini a Cl. WARNER, ideo instituta.

Breuis huius disquisitionis finis ex ipso iam titulo satis apparet; nec est, cur multi iam simus in recensendis illis, contra quae disputat Cl. Auctor, experimentis, a nobis iam suo tempore commemoratis*: illud

* vid. Comment. nostr. Vol. III. P. I. p. 59. et Vol. IV. P. IV. p. 630.

illud tamen ex iis, quae fecit Cl. FAGET, repetamus tantum, quod is agarici praeparati fruſta non ipſis ſolum praeciſis vaſorum oſtiis, ſed eius quoque in puluerem redacti aliquam copiam omni totius vulneris ſuperficiei, applicuerit: qua in re praecipuam mortis, utrique illi aegro ſuperuenientis, cauſſam quaerendam eſſe Noſter autumat. Poſtquam enim in genere monuit, ipſius operationis periculum inſigniter imminui, ea ſi in aegro non ſolum caeteroquin ſano, ſed et illico poſt acceptum aliquod vulnus graue et colliſum, inſtituatur; adeo ut ex decem talibus aegris certe nouem ſeruauerit, e contrario autem, ſi duos iam tresue dies dilata fuerit operatio, ex tribus vix unum vitae reſtituere potuerit, propter febrim ab initio ſymptomaticam, paulo poſt vero in putridam immutatam, ſanguinemque eadem praua indole inquinantem: huicce etiam ſimili modo aegros illos, licet ſtatim poſt laeſionem acceptam operationi ſubiecti fuerint, mortuos eſſe probare deinde conatur, quum vulneris nimirum vaſcula nimis ab illo puluere conſtricta, et ſanguis in eo contentus, ad pollicis altitudinem coactus, laudabilis puris praeparationem ſeparationemque prorſus cohibuerint; ſine qua tamen iſta febris, ſymptomatica quidem, attamen ſemper et neceſſario accidens, tolli nequeat, ſed in vere putridam abeat, delirium, conuulſiones, ſudores colliquatiuos et reliqua imminentis mortis ſymptomata excitantem.

Haecce tamen dubia, ſibi ipſe obiicit Cl. Auctor, p. 10.
non habent locum in illo, quo Cl. WARNER utitur, agarici applicandi modo, quippe qui non toti vulneri, ſed arteriarum tantum oris, illius aliquod fruſtum impoſuit. Num autem felix, quem in ſex aegris expertus is fuit, euentus, agarici viribus, an aegrorum debilitati adſcribi debeat, dubium eſſe Noſter reſpondet. Agarici certe vim non ſemper certiſſimam eſſe, Cl. WARNER ipſum concedere, quum in arte-

ria crurali, vel femorali potius dicenda, ſpes ipſum fefellerit: inde colligi, dari aliquem ſanguinis velocitatis gradum, huius noui ſtyptici remedii viribus ſuperiorem; quodſi igitur quoque verum ſit, in arteriis infra cubitum atque genu interdum ſupprimi inde poſſe ſanguinis profluuium, in non nullis tamen aegris, qui aliis ſint robuſtiores, vel ex aliis cauſſis velociorem habeant ſanguinis circulationem, ſpem iſtam eſſe poſſe fallacem, ideoque chirurgum tutum fieri prorſus nequire, num in hoc vel illo aegro exoptatus euentus ſubſecuturus ſit? Aſſertum autem *Warnerianum* extra dubitationem haud eſſe, quo nimirum in eo caſu, ubi fallat agaricus, applicari adhuc poſſe dixerit ligaturam, quum per illud tempus partes illae nunc vinciendae adeo molles atque tenerae fieri potuerint, ut filum applicandum ferre nequeant, vel certe, ſi ligatura quoque adhuc in uſum vocari poſſit, dolores nunc longe violentiores, ac ſub ipſa operatione, excitentur, ut vel inde quoque ſiniſter morbi finis metuendus ſit.

p. 14. Vnum quidem ex agarici uſu proueniens commodum concedit omnino Noſter, ſanguinis ſcilicet profluuium impediri absque dolore: illud tamen, tamdiu remedium ipſum neque certum neque tutum ſit, nihili aeſtimandum eſſe regerit: verum quidem eſſe, ligaturam ſine acerbis doloribus fieri non poſſe; eos tamen eſſe momentaneos, nec, inter quadraginta certe aegros, quorum huc usque habuerit curam, malis unquam concomitatam fuiſſe ſymptomatibus: Conuulſiones enim, quae non nunquam poſt paucos dies operationi ſuperueniant et ab agarici laudatoribus ligaturae adſcribantur, non ab hac, ſed a febris vehementia oriri, quum alias immediate poſt operationem, quin et ſub ea ipſa obſeruari deberent.

p. 17. Filum denique, quod diu in vulnere retentum curationem eius impedire, vel prorſus in eo ipſo remanere

manere poſſe alii dicant, curas excitare non debere putat chirurgo, quum ſub ipſius curationis finem, ſi forte accidat, ut longe diutius inhaereat vulneri, facile tutoque remoueri poſſit.

Interim omnem plane agarici uſum repudiare non vult, ſed in multis omnino caſibus, ubi nulla applicari queat ligatura, eum tentari et adhiberi poſſe concedit; ſi quis vero huic relictus ſit locus, eam quoque remedio non aeque tuto praeferendam eſſe ait.

XI.

Almageſtum medicum conſcriptum a IOANNE FREDERICO SCHREIBER, Regiomontano, Doct. Med. Anatom. et Chirurg. Profeſſore, et Membro Honorar. Academiae Scientiar. Petropolitanae. Introductio et Phyſiologiae Medicae Pars prima. Lipſiae et Viennae Auſtr. impenſis Ioh. Paul. Krauſii, 1757. 4. alph. 2. ſine dedicat. et praefat.

Viginti ſex nunc elapſi ſunt anni, ex quo eruditiſſimus SCHREIBERVS, tunc iuuenis, in bibliopolio Rengeriano, Francofurti et Lipſiae, *Elementorum Medicinae phyſico-mathematicorum Tomum primum* edidit, et medicinae initia, ad mathematicorum methodum, et principia philoſophica WOLFII accommodata, cum orbe literato communicauit. Hunc laborem iam reſumſit, eademque elementa, multis tamen mutatis et auctis, additisque ſimul nouiſſimis experientiis atque obſeruationibus, denuo imprimi curauit; iisque nouum nomen, *Almageſtum Medicum*, i. e. magnam ſyntaxin medicam, in honorem CAROLI PISONIS, qui eius modi ſyntaxin medicam, ad inſtar mathematicarum diſciplinarum

conſcriptam, elaboraſſe creditur, impoſuit, denique huius continuationem, quam huc uſque fuit impeditus praeſtare, ſpopondit. Acceſſionibus his ita increuit opuſculum, ut priori labori, quod ad formam et magnitudinem attinet, multum diſpar factum ſit, licet eodem fere ordine, eademque methodo, quae mathematica, ſeu demonſtratiua audit, ac in priore, Cl. Auctor ſit uſus. In omni libro ſupponit, ut principia generaliora philoſophica WOLFII, quem tantum non omnibus paginis citat, lectoribus cognita ſint atque perſpecta. Quare eis, qui eius modi terminis philoſophicis et mori loquendi minus aſſueti ſunt, non ubique placebit, aut ab eis interdum minus recte intelligetur: quum contra illi, qui mathematicis et phyſicis diſciplinis delectantur, hisque, ut debent, qui medicinae ſtudere cupiunt, ſatis inſtructi ſunt, maiorem inde percipient voluptatem atque utilitatem, quando illas ſcientias ad noſtrum corpus rite adplicatas cognoſcent. Elucet autem in tota elaboratione multum eruditionis, multumque lectionis tam veterum, quam nouiſſimorum ſcriptorum. In praefatione laudat Cl. Auctor inſtitutionem FISCHERI, in patria Academia Regiomontana tunc Profeſſoris phyſices celebris, et dein ob philoſophiam exulis, nec non ſcholas *Boerhaauianas* et *Albinianas*. Meminit quoque ſodalitii cum Ill. DE HALLER; et colloquii, quod cum Ill. WOLFIO, ad quem unice conueniendi cauſa Marburgum profectus eſt, habuit; tandemque conſuetudinis, quam ex huius commendatione cum Viris Ill. BVRCHARD OTTONE MENCKENIO, et FRIDERICO HOFFMANNO contraxit Lipſiae. Phyſiologiam igitur medicam cum veritatibus quibusdam pathologicis in ipſo libello docet Cl. Auctor, cui in omnem medicinam praemiſſa eſt introductio.

p. 3. Diuiditur haec in ſex capita, quorum *primum de corpore humano in genere* agit, quod ſcilicet ſit ens compo-

compoſitum phyſicum, cuius mutationes, quae illi accidunt, non ex anima humana, ad quam nunquam prouocandum, ſed ex eius facultatibus explicari debent: quem ad modum ſimul definit, quid per naturam corporis humani intelligendum ſit, *aggregatum nempe omnium virium motricium, quae partibus in illo viuo coexiſtentibus, ſimul ſumtis, inſunt:* ex qua definitione ſequitur, ut illi neque conſilia, neque prudentia, neque errores tribui queant. *Secundum* caput exponit *varium corporis humani ſtatum*, praeſertim viuum, deinde ſanum, denique morboſum, ut et cuiuscunque ſtatus deſcriptionem, et ſigna, ſiue notiones, ex quibus quisque diſtingui debet. Ex ſtructura enim corporis humani totius, vel partis ipſius poteſt cognoſci ſanitas totius vel partis. Pertinent autem ad ſtructuram totius corporis, ut et partium eius ſingularum, qualitates partium et modus, quibus connectuntur, quare de his in ſpecie valet, quod de illo in genere. Quum vero hae qualitates in infinitum differre poſſint, patet inde latitudo ſanitatis, quam GALENVS iam perſpexit. In morbis omnia contra accidunt, eſt enim ſtatus morboſus ſanitati oppoſitus, ſeu ubi ſtructura et mixtio, vel utraque in corpore humano temerata eſt. Quot igitur modi temeratae ſtructurae et mixtionis ſunt poſſibiles, tot etiam morbi ſunt poſſibiles. Pertinent ſecundum Auctorem ad temeratam mixtionem p. 17. cruditas humorum, prout ei horum intemerata, vel integra mixtio, ipſorum coctio audit, quam melius, quum actum ſignificet, praeparationem humorum ad ipſorum intemeratam vel integram mixtionem nominaremus. Caput *tertium* ad *medicinam et medicum in genere* tranſit. p. 9. p. 20. Illam diuidit Cl. Auctor in medicinam *naturalem* et *artificialem*, quamcumque autem rurſus in *docentem* et *utentem*. Medicinae naturalis terminum primus adhibuit DANIEL LE

CLERC.* Medicinam naturalem docentem deriuat Cl. Auctor ex inſtinctu, quo homines et animalia, quando aegrotant, feruntur in uſum quorundam remediorum, quibus a morbo liberantur, uno verbo, quae natura illos docet. Naturalis utens eſt habitus adhibendi medicinam naturalem docentem. Ex hac ortum ducit medicina empirica. Medicina artificialis docens Cl. Auctori eſt ſcientia dirigendi vires corporis humani ad ſanitatem. Haec theoria medica aliis audit. Medicina contra artificialis utens, eſt habitus, medicinae regulas ad praxin transferendi. Haec, ſecundum Cl. Auctorem tamen incongrue, a non nullis dicitur praxis medica. Simili ratione diſtinguit medicum in theoreticum et practicum, et aſſerit medicum practicum ideo non eſſe medicum theoreticum, quia eſt practicus, et vice verſa, licet ſibi non aduerſetur, quod unus idemque medicus poſſit eſſe et theoreticus et practicus. Medicamenta vocat inſtrumenta, quibus medicus, tanquam artifex, utitur ad amiſſam ſanitatem reſtituendam. Verum enim vero ſunt corpora naturalia, quoque corpora phyſica, quare phyſicam horum cognitionem
p. 35. a medico poſcit. Caput *quartum* in *partes medicinae* inquirit, quas duas eſſe dicit; altera, quae docet modum ſeruandi ſanitatem praeſentem corporis humani, altera modum amiſſam recuperandi. Haec therapeutice dicitur, illa hygieine. Quid in qualibet doceri debeat, nunc definitur. Hygieine, ad Cl. Auctoris mentem tres habet partes. Prima exhibet ſigna ſanitatis et media, quibus ſanitas ſeruari poteſt; altera docet praecauere morbos, ultima memorat ea, quae ad longaeuitatem neceſſaria ſunt. Therapeutice quinque comprehendit diſciplinas: methodum medendi, ſemioticam therapeuticam, diaeteticam therapeuticam, materiam medicam et chirurgiam. Semiotica igitur et diaetetica ad utramque perti-

* Hiſtoire de la Medicine P. I. L. I. cap. 3.

pertinent. Caput *quintum* perſequitur *ſcientias in medicina ſupponendas*. Medicus theoreticus phyſiologiam cognitam atque perſpectam habere debet: haec ante conſtituit anatomen corporis humani et chemiam. Quia autem ratiocinationibus atque obſeruationibus opus habet medicus, callere debet logicam, et, propter mutationes et motus in corpore euenientes, mechanicam tam ſolidorum, quam fluidorum, ceterasque matheſeos partes, praeſertim phyſicam, uno verbo philoſophiam: ſed noſſe debet medicus practicus quoque pathologiam, in ſpecie phyſicam, quae, uti Cl. Auctor, ni fallimur, recte iudicat, ſemper cum phyſiologia coniunctim tradenda eſt, quod etiam in ſequentibus fecit. In genere autem pollere debet medicus et theoreticus et practicus, ad addiſcendas eas ſcientias, riteque adplicandas et exercendas, ingenio acuto, memoria et iudicio. Ratio enim et experientia, et utriusque mutuum connubium ſunt *fundamenta medicinae*, ſicut caput *ſextum* docet.

Sequitur nunc *phyſiologia medica* et quidem eius- p. 59.
dem pars prima, quae quinque conſtat libris. Praecedunt *prolegomena*, quae tria continent capita. *Primum* caput inſcribitur *de natura et indole phyſiolo* p. 65.
giae medicae, et accuratius determinat, quid in phyſiologia indagandum atque docendum ſit. *Secundum* de *perfectione et imperfectione interna corporis humani viuentis*, et *tertium* de *perfectione externa*, *ſiue pulchritudine corporis humani* agit, ſimulque oſtendit, quem ad modum omnia ratione conſtitutionis, firmitatis, proportionis et connexionis, quam ſapientiſſime conſpirent ad perfectionem corporis obtinendam. Aberratio ab hac perfectione dicitur imperfectio, quae infinite variare poteſt. Ad ſpecialio- p. 81.
rem phyſiologiam nunc accedit Cl. Auctor, et in *libro primo ſolida corporis humani* conſiderat.

Examinat itaque fibrillas, fibras, membranas, vaſa, muſculos, cartilagines et oſſa corporis humani, ſequitur in his magni praeceptoris BOERHAAVI doctrinas, qui fibras ex fibrillis, membranas ex fibris, vaſa et muſculos ex membranis et ſic porro componi, ultimasque fibrillas, ſeu elementa ſolidorum, ope glutinis oleoſi, vel aquei, cohaerere probabat. Ab huius cohaeſionis gradu flexilitas, et deinde maior vel minor rigiditas, ſeu robur, et laxitas, ſeu debilitas fibrarum pendet. Omnia tamen reſpectiue, ut philoſophi loqui ſolent, intelligenda ſunt. Vni enim corpori fibra poteſt eſſe ſana et robuſta, quae alteri debilis; et ſic ex aduerſo. In hoc glutine, vel hoc cohaeſionis modo, ponit Cl. Auctor cauſam elaſticip. 89. tatis fibrarum. Elaſticam dicit fibram, quae digitis tracta, ceſſante vi trahente, ſe ipſa in priorem reſtituit ſtatum: irritabilem vero, quae ab externo aliquo contactu fit breuior. Huius cauſam in glutine, fibrillas connectente, latere Noſtro haud videtur veriſimile, quia fibrarum elaſticitatem, et irritabilitatem pro diuerſis agnoſcit qualitatibus, quae unam eandemque cauſam minime habere poſſent. Multum tamen, ſi noſtram adiicere licet ſententiam propinquitatis habet fibra irritabilis cum elaſtica, ut iure affirmare queamus, omnem fibram irritabilem eſſe elaſticam, ſed non contra, omnem elaſticam eſſe irritabilem. Recte hinc dicit Cl. Auctor ſequenti §.
p. 104. 185. *Vis elaſtica ab harum irritabilitate non pendet, ſed exin nondum liquet, quod irritabilitas non ſimul ſupponat vim elaſticam, ſiue quod illa ſine hac ſubſiſtere queat.* In oſſium et cartilaginum doctrina multum apud Cl. Auctorem valet auctoritas Cll. HAVERS et WINSLOW: et diuerſos articulationis modos explicans, adnectit ſimul ex pathologicis definitionem luxationis et ſubluxationis. Hiſtoriam muſculorum
p. 103. copioſius pertractat. Agit enim in peculiari capite de muſculis in genere, et de eorum agendi modo et cauſa:

cauſa: de cuiuscunque autem partis muſculis, ſeu motu, in ſequentibus undecim capitibus, ubi Cl. ALBINI in primis ſtudium et laborem laudat. Motum muſculorum diuidit in voluntarium et inuoluntarium, ad hunc refert irritabilitatem, quia a voluntate animae haud pendet. In motu maxillae inferioris exponendo defendit ſententiam Cl. RAV, ad ſua et Ill. HALLERI prouocans experimenta: meminit quoque controuerſiae, quam habuit de actione biuentrium muſculorum ad depreſſionem maxillae inferioris Cl. MONRO cum Cll. ALBINO, WINSLOW et FERREIN, ad quorum agmen tandem Cl. WALTHERVS acceſſit, horumque defenſio ipſi magis arridet. De motu thoracis atque coſtarum negat non p. 123. ſolum contra Cll. SENAC et HAMBERGERVM coſtas inter eleuandum a ſe remoueri: ſed aſſentitur quoque Ill. HALLERO, qui poſt Cl. BAYLE muſculos intercoſtales internos coſtas magis detrahere affirmabat; quum alter internos aeque, ac externos, eleuare coſtas potiore iure probabat, quicquid etiam BENIAMIN HOADLY * poſthaec contra dixit. Non nulla denique Cl Auctor de vario poſitu et motu corporis, quo ſtationem, greſſum et ſeſſionem comprehendit, profert, lectores tamen, qui plura ſcire cupiunt, ad Cl. BORELLVM remittit.

Pertractatis nunc ſolidis, in libro *ſecundo* de *humoribus ſenſibilibus fluentibus* Cl. Auctor pergit, et primum in ſanguinem inquirit, cuius naturam, compoſitionem et grauitatem ſpecificam ſcrutatur. Allatis dein experientiis Cll. LEEVWENHOECK, LANCISII, MENGHINI, LELLII atque SENAC, prioris ſententiam, qui quemcunque globulum ſanguinis in ſex globulos ſeri, et huius globulum in ſex globulos lymphae, et ſic porro diuidi aiebat, amplecti videtur, quod in primis ex Libri IV. §. 75. patet. Quam communis etiam haec opinio eſt, paucis tamen p. 151.

* On the organs of reſpiration, Lecture I.

men ita felicibus esse contigit, ut, quamuis ad aliorum experimenta microscopica repetenda minime adeo inhabiles fuerint, optimisque microscopiis instructi, ut, inquam, ea videre potuerint, quae LEEVWENHOECK se vidisse asseruit. Scimus hoc, ut primipilarem nominemus, ex Celeberrimo quondam LIEBERKÜHN, peritissimo certe, nisi fallimur, post LEEVWENHOECK obseruatore microscopico, qui, nobis adsistentibus, experimenta eum in finem aliquoties fecit, diuersoque modo, etiam cum microscopio solari, repetiit, et nunquam talem diuisionem, aut similis diffractionis tantum indicium, oculis etiam suis acutissimis, detegere potuit *. Vt igitur aptissime scripsisse videatur Cl. SENAC **, aiens: *imaginarium est globulum rubrum ex aliis sex componi:* quicquid etiam ad defensionem Cl. LEEVWENHOECK in §. modo dicto proferat Noster; quod scilicet *nimis durum videatur, eius modi obloqui viris in experientia microscopica adeo conspicuis.* Sunt enim res facti, ubi ad experientias prouocant obseruatores, quae, quum sibi directe sint contrariae, repetendae sunt, antea quam aliquid certi hac in re determinare possimus. Lectores hanc excusent excursionem, quam ideo fecimus, ut communicemus cum eruditis Cl. LIEBERKÜHN experientias, et hac de re sententiam, quam, an multis cognita sit? dubitamus, quum eam nullibi, si recte quidem meminimus, publicauerit, licet peculiare scriptum hac de re fuerit meditatus. Sed reuertimur in viam, persequen-

* Neque vidit illam globulorum mutationem Ill. DE HALLER in Experimentis de motu sanguinis, quae exstant in Comment. Societ. Reg. Scient. Götting. Tom. IV. pag. 178. vel in versione Gallica, quae Lausannae prodiit sub titulo: *Deux Memoires sur le mouvement du sang* etc. et Comment. nostr. Vol. V. Part. IV. p. 633 et 699.

** Traité du Coeur, Supplement. cap. VIII.

ſequentes noſtrum Auctorem, qui Cll. VINC. MENGHINI, et in primis RHADES, experientiis com- p. 155.
motus, multi ferri copiam ſanguini ineſſe demonſtrat, et grauitatem ſpecificam cruoris inde deducit. Pari induſtria ſeri et lymphae examen inſtituit, tandemque ex ſuis aliorumque obſeruationibus concludit, de quantitate ſanguinis in vaſis fluentis nihil certi definiri poſſe. Quibus praemiſſis, circulationem ſanguinis explanat, et eius veritatem ex experimentis, ſeu, ut philoſophi aiunt, a poſteriore probat. Inuentionis gloriam, quam plurimi HARVEIO tribuunt, MICHAELI SERVETO, et poſt hunc ANDREAE CAESALPINO, qui ambo ante HARVEIVM ſcripſerunt, merito vindicat.

Liber *tertius* ea continet, quae de *corde*, eiusque p. 177.
pericardio, ſtructura, motu, vi, denique ſitu atque connexione cum aliis corporis humani partibus dici queunt. Negat Cl. Auctor diaſtolen fieri fibrarum contractarum relaxatione, ſeu motu quaſi reſtitutionis: illam potius perinde, ac ſyſtolen, peculiaribus fibris carneis, licet paucioribus et minus confertis, perfici aſſerit. Diaſtole igitur aeque actio cordis eſt, ac ſyſtole, et ſola periſyſtole, ſeu tempuſculum inter ſyſtolen et diaſtolen, eſt ſtatus naturalis cordis. Ca- p. 193.
uitates cordis dextri, atque auriculae dextrae, ſiniſtris maiores * plerumque inueniri fatetur. In ventriculis et auriculis ex finibus arteriarum coronariarum rorem quendam, ad oblinendam membranulam internam auricularum atque ventriculorum, ſecerni credit, eumque rori pericardii plane ſimilem autumat. Vim cordis *abſolutam* accurate determinari non poſſe p. 204.
expreſſe

* Mendum certe typographicum eſt, quando Libr. III. §. 110. de cauitate cordis dextri loco *maior*, legitur *minor*: demonſtratio enim adiecta nos huius conuincit. Plura eius modi menda, quae ſenſum interdum turbant, ob abſentiam Auctoris irrepſere.

expreſſe dicit; ſed *reſpectiuam*, aequalem ponit ponderi corporis humani aliquantum aucto. Dari quoque maximum et minimum in vi cordis profitetur: hoc in eius tremore, λειποθυμία et vita minima; illud in valde violenta palpitatione cordis obſeruari perhibet.

p. 212. Progreditur Cl. Auctor in libro *quarto* ad *vaſa corporis humani, et quae eo pertinent.* Arterias ſenſibiles componi docet ex cylindris inaequalibus, ſenſim decreſcentibus, pro maiore a corde diſtantia, ſimulque refutat illos, qui eas pronuntiauerunt conicas. Robur vaſorum pendet a robore membranarum et fibrarum illa componentium. Fibrae autem arteriarum ſunt muſculares, quare de iis valet, quae de muſculis, quod ſint irritabiles: ſed quatenus ſunt ſolidae, ſunt elaſticae et contractiles, hinc duplex vis in arteriis conſideranda venit, una inſita, quae prouenit ab elatere, et altera ſuperaddita, quae latet in natura muſculari, ſeu irritabilitate. Non nulli hanc elaterem *vitalem*, illam *naturalem* vocarunt. Ex hac diſtinctione apparere ait veritatem paradoxi, quod arteria, pro ſui maiore a corde diſtantia ſit magis elaſtica, aſt minus irritabilis, hinc quoque in ultimis arteriolis irritabilitas minor. Arteria euaneſcens, ſecundum Auctorem, mutatur in venam ſine medio quodam corpore, ita, ut arteria et vena ſint vaſa continua. Vaſorum quoque ordines adprobat, et ex ſuppoſita globulorum rubrorum diuiſione ad mentem Cl. BOERHAAVE explicat, ſimulque inſertionem dictam in ratione ordinum fieri contendit. Inquirit nunc in cauſas, quae motum ſanguinis per arterias adiuuant, et quae illum retardant. Non leue obſtaculum in ſanguinis naturali inuenit viſciditate. Globulos tamen ſanguinis, ut anguſtias ſuperent minimorum vaſorum, elongari credit. Negat adtractionis vel adhaeſionis vim in vaſis minimis, tanquam tubis capillaribus, aliquid ad faciliorem vel velocio-

velociorem motum conferre. Plurimum tribuit ei, quod ſanguis in arterias proiectus ſemper moueatur ex ſpatio minori in amplius. De motu ipſo ſangui- p. 237.
nis per arterias aſſerit, illum non fieri uno impetu, ſed ſenſim, dum arteria, ab ortu ſuo per omnes ramos uſque ad fines arteriarum ſanguinearum minimarum, ſucceſſiue ſe contrahit. Hac occaſione refutat Ill. HALLERVM, quem in *Commentariis Göttingenſibus* * illam contractionem arteriarum negaſſe arguit. Arteriarum coronariarum cordis repletionem incipi credit Noſter per vim cordis, ſed plenariam repletionem perfici contractione aortae. Maximus incurſus ſanguinis neceſſario fit in curuaturam p. 246.
magnam aortae, huius infringendi impetus cauſa, factum eſſe ſinum maximum aortae cum Cl. VALSALVA iudicat. Si diameter arteriarum ultra modum extenditur, oritur aneuriſma. In omnibus igitur arteriis poſſibilia ſunt eius modi aneuriſmata, ſaepiusque in his fiunt, quam huc uſque creditum fuit. De horum natura, ortu, cauſa atque effectu multa Cl. Auctor habet lectu digniſſima. Sanguis in arte- p. 255.
rias vi proiectus eas neceſſario dilatat, haec dilatatio diaſtole, vel pulſus arteriarum dicitur. Pulſus igitur eſt paſſio, non actio arteriarum. Quoniam vero pulſus etiam tanquam effectus, cuius cauſa vis cordis eſt, conſiderari poteſt: hinc pro diſtantia a corde diuerſus eſſe debet, quod medicos practicos ſcire iuuat. Sed alias ob cauſas, praeſertim internas, multum quoque variare poteſt pulſus, ſcilicet ratione roboris, temporis, et modi: has omnes indagat Cl. Auctor, et diuerſa pulſuum genera determinat, atque deſcribit. Celeritatem in ſpecie quoque variare dicit ratione aetatis et longitudinis corporis, quod tabulis ex Cll. ROBINSON, SENAC et aliis allatis probat. Quia ab uſu ferri et ferreorum velocitas pulſus augeri obſeruatur, inde cogit, eo velociorem eſſe

* Tom. II. p. 141.

eſſe pulſum, quo plus ferri ſit in ſanguine. A pulſu diſtinguit pulſationem aortae. Per hanc intelligit aortae extenſionem in diametrum violentam, naturali maiorem. Quod itaque in corde eſt palpitatio, id Cl. Auctori eſt in aorta pulſatio. Oritur, quoties ultimae arteriolae diu ultra modum naturalem fuerint conſtrictae. Si igitur vis cuiusdam veneni conſtiterit in conſtrictione nimia arteriolarum, neceſſario pulſabit aorta eius hominis, qui tale venenum aſſumſit. Ergo pulſatio, ceteris paribus, ſignum pathognomicum eius modi veneni accepti
p. 271. praebere poteſt. De calore corporis humani agens Cl. Auctor adnotat ante omnia ſecundum *Farenheitianum* et *Reaumurianum* thermometrum gradum caloris, qui in animalibus, praeſertim homine, plerumque reperitur: affert deinde obſeruationes, quibus termini frigoris et caloris atmoſpherae cognoſcuntur, quos homo cum vitae perſeuerantia ferre poteſt. Inde concludit, limitem ultimo cognitum caloris innati corporis humani excedere calorem aquae bullientis, quod minime ita intelligendum eſt, ac ſi gradus caloris innati ad gradum aquae bullientis aſcendere queat, uti quidem videtur, ſi verborum ſenſum ſecundum literas explicamus. Verum Cl. Auctor indicare tantum voluit, ſummam graduum, qui continentur inter ultimum gradum modo dicti frigoris, et ultimum gradum caloris, quibus homo ad ſummum ſine vitae periculo ſubſiſtere poteſt. Aſcendit haec ſumma ad $216^{\circ}\frac{76}{100}$; hinc numerum 212°, qui eſt gradus ebullientis aquae in thermometro Farenheitiano, $4^{\circ}\frac{76}{100}$ ſuperant. Denegat ſanguini motum inteſtinum fermentatiuum, defendit tamen motum inteſtinum, pendentem a cordis et arteriarum vi pellente: hinc adtritui ſanguinis ad vaſa et inter ſe adſcribit cauſam caloris innati, cui velocitatem ſanguinis, fortaſſe et vim quandam electricam,
p. 280. quamuis nondum ſatis probatam, adiungit. Diſſerit nunc

nunc de venis ſanguineis et motu ſanguinis per illas. Numerum atque capacitatem venarum multo maiorem eſſe, quam arteriarum, certum eſt, hinc lentius quoque moueri ſanguinem per venas, quam per arterias ſuas probat Cl. Auctor. Venas tamen ſanguineas arteriis homologis, licet craſſioribus, robuſtiores eſſe contendit. Sanguinem autem venoſum minus denſum, inde et minus rubrum eſſe arterioſo, iudicat. Venam cauam inferiorem cum ſuperiore communicare per venam ſine pari, expertum habet. Sed uſum valuulae Euſtachianae prope cor adhuc in dubio ponit: ſaltim negat illam deſtinatam eſſe impediundo refluxui ſanguinis in venam cauam inferiorem. Varices in venis valuuloſis oriuntur prope valuulas, et ſunt idem in venis, quod aneurismata in arteriis: hinc haemorrhoides coecas internas non refert ad varices, ſed parua aneurismata arteriae haemorrhoidalis internae nominat, quia vena eiusdem cognominis caret valuulis. Venae cauae ſuperiori atque inferiori contractionis quendam tribuit motum, verum tamen pulſum in ſtatu ſano non admittit, quia vis viua ſanguinis nimis exigua ſit, quamuis concedat, dum refluit ſanguis per easdem venas, analogum quid pulſus, quod undulationis ſpeciem appellare mauult, fieri poſſe. Aſt aliter rem in ſtatu morboſo ſe habere perhibet, ſi reuertenti ſanguini venoſo aliquod impedimentum, e. g. polypus, in anteriore auricula ſe obtulerit, atque huic vitio coniuncta ſit palpitatio cordis, tunc venas colli pulſare poſſe largitur, ipſeque vidit. Verum enim vero, quae Cl. Auctor in praecedentibus de vaſis ſanguineis demonſtrauit, fere eadem repetit de vaſis non ſanguineis, et motu humorum per ipſa. Sunt haec p. 291.
vaſa arteriae ſeroſae, lymphaticae, etc. quibus reſpondent venae ſeroſae et lymphaticae. Defendit immortalis Praeceptoris BOERHAAVE diuiſionem vaſorum in inferiores ordines, ſeu vaſa ſemper minora,

nora, quam de vaſis decreſcentibus doctrinam Ill.
p. 298. HALLER, ut ait Cl. Auctor, in *primis lineis Phyſiolog.* admittere noluit. De his ultimis arteriis affirmat, quod oſcillent, i. e. contrahantur et dilatentur, hinc ſuo more pulſent. Vti vero vaſa ſuperiorum ordinum, et extra vaſa conſtituta, ſuſtinentur per fabricam celluloſam, ſic minora in viſceribus per ſpeciem gelatinae, celluloſae texturae ſimilem, ſuſtineri putat. Tandem ex obſeruationibus quibusdam Cll. SWAMMERDAM, LITTRE, BRVNNERI et MERY valde procliuis eſt ad admittenda in corpore humana vaſa aerea, aerem grauem, elaſticum vehentia.

p. 305. Liber ultimus et *quintus* dicatus eſt *reſpirationi et eis, quae immediate inde pendent.* Poſt ea quam ſtructuram laryngis, aſperae arteriae, pulmonis atque diaphragmatis, harumque partium functiones explicuit, et aeris nos ambientis perpendit proprietates, ſpatium, quod eſt inter pulmones, et membranam inueſtientem coſtas et diaphragma, pronuntiat vacuum, ſiue ab omni aere graui atque elaſtico liberum, cum quoniam aer in pulmones ingreſſus per horum membranam in cauum thoracis intrare nequit, tum quia pulmones in cadaueribus, violenter extinctis, lateribus ſemper adplicatiſſimi ab exercitatiſſimis viris fuerunt reperti. Adſentitur igitur Ill. HALLERO, eiusque defenſionem contra Cll. HAMBERGERVM, SWAMMERDAM, MORGAGNVM, HALES, DE LA MVRE, HOADLY ſuſcipit, qui omnes aerem in cauitate thoracis reperiri affirmarunt. Cor aliquo modo ſequi diaphragma in reſpiratione, Cl. Auctori videtur probabile. Ceterum diuidit reſpirationem in *naturalem* ſiue ordinariam, quae muſculis et diaphragmate perficitur, et *vitalem* ſeu ſpontaneam. Oritur haec a repletione, ſeu impulſu arteriarum pulmonalium, quem circulatio ſanguinis, per pulmones fluentis, excitat. Obſeruatur

uatur ſcilicet motus quidam pulmonis, vel analogum quid reſpirationis: inde eam Noſter appellauit vitalem, ſeu omnium minimam: licet doctiſſimi viri illam naturalem, vitalem vocare ſemper conſueuerint. p. 316. Auctor, qui eam primus propoſuit, eſt Cl. HERISSANT, in quaeſtione medica, *an ab impulſu ſanguinis in arteriam pulmonalem reſpiratio ſpontanea?* Inſpiratio ordinaria adiuuat faciliorem adfluxum, atque tranſitum ſanguinis per vaſa pulmonalia, praeſertim minima, dum per aeris inſpirati rarefactionem, vaſa elongantur. Hac occaſione explicat Cl. Auctor ſuſpirium, illudque profundam inſpirationem adpellat, ſimulque rationem dat, cur anxii ſaepius ſuſpirent. Cauſam alternae reſpirationis quaerit in continuato p. 330. circulo ſanguinis, minime in alterna compreſſione, et liberatione, ut ait Noſter, neruorum diaphragmatis. Poſt experientias aliorum adductas, non improbabile videtur Cl. Auctori, aeris particulas per venulas apertas inhalantes pulmonum intrare in ſanguinem venoſum pulmonalem, licet non ut aer elaſticus agat, nec ſpecie bullularum adpareat. Affert tunc ea, quae iis eueniunt animalibus, quae ſub antliae campana moriuntur, et aquis ſubmerſos eodem modo perire addit. Summum calorem ſanguinis in pulmonibus generari, rationibus euincit, ſed et illum ibi, pro ratione excalfactionis, refrigerari, experientiis probat, ſub ea tamen conditione, quod ſanguis, non vehatur in pulmones ſolius refrigerii cauſa, uti Cl. HAMBERGERVS vult. Primariam p. 341. enim reſpirationis cauſam in eo ponit, ut ſanguis chyloſo-venoſus, ex ſubclauia adductus, in arteriolis pulmonalibus compingatur, atque denſetur, et globuli ſanguinei ibi parentur, et elaſtici fiant: quem ad modum ab aere illo minus elaſtico, quem aetherem nunc adpellare mauult, per venulas inhalantes ingreſſo, et cum ſanguinis particulis commixto, colorem illum coccineum, quem in ſanguine venoſo

pulmonali redeunte, prae arterioſo, obſeruari dicit,
p. 349. deriuat. Quae ſuperſunt de *voce, loquela et cantu*, porro de *tuſſi, ſternutatione, oſcitatione et pandiculatione* agunt, et agmen claudunt. De vocis formatione Cll. SCHELHAMMERI, DODART, AMMANNI et FERREIN exponit ſententias, ultimique ſyſtema omnem attentionem mereri ulteriusque examen, dicit. Ex quibusdam experientiis perſuaſum ſibi habet, ſine lingua homines articulate loqui poſſe. In glandula thyroidea ſecerni oleum aquoſum, in utilitatem glottidis et aſperae arteriae, minus dubitat.
p. 395. Cauſam tuſſis quaerit in irritatis neruis laryngis, aſperae arteriae et bronchiorum, quamuis Ill. HALLER, in literis ad eum datis, ſcripſerit, ſe in nullo animali viuo, irritando vel ſcalpello, vel veneno acri, internam membranam aſperae arteriae, vel bronchiorum, vel diaphragma, vel neruum recurrentem excitare potuiſſe tuſſim. Tandem aſſerit per oſcitationem promoueri transfluxum ſanguinis per pulmones, ſicuti pandiculatione vaſa omnia ante ſicca in rectitudinem diſponi contendit. Et ſic finit laborem doctiſſimum, cuius continuationem auidi exſpectamus.



XII.

Memoires de mathematique et de phyſique préſentés à l'Academie royale des ſciences, pars divers ſavans et lus dans ſes aſſemblées. Tome ſecond, à Paris: de l'imprimerie royale. 1755. 4. alph. 3. 12½ pl. tab. aen. 26.

i. e.

Commentarii mathematico phyſici Academiae regiae ſcientiarum, per varios eruditos oblati et in eius conuentibus praelecti. Tom. II.

Sub initium laborum noſtrorum * tomum primum, horum Commentariorum laudauimus, nunc eo maiori cum voluptate ſecundum recenſemus, cum varias res notatu digniſſimas in eo inueniamus, et in praefatione, quae ſuccinctas recenſiones omnium contentorum ſecundum diſciplinas ordinatas exhibet, tertii quoque tomi editio promittatur.

1) *Tentamen de dendritis circa Aureliam inueniundis*, Auctore Cl. SALERNE. In pago quodam aurelienſis ditionis, cui eſt nomen *Cauereau*, in magna ſatis copia effodiuntur res foſſiles variae indolis, miraeque ſaepius figurae. Non ſolum enim ii lapides, qui ALDROVANDO aliisque auctoribus *luſus* dicuntur *naturae*, ibidem copioſe occurrunt, quorum praecipue duo exempla Noſter allegat, unum tenelli infantis, alterum mumiae ſic dictae formam ex aſſe aequabat; ſed et nitida nemorum, arbuſculorum, fruticumque pictura ſuperbientes glebae. Adfert Cl. Auctor varios ſcriptores, qui horum lapidum mentionem iniecere, ALDROVANDVM, BOCCONE, KIRCHERVM, AGRICOLAM. LINNAEO hae glebae dicuntur *graptolithi*, *nemora*, *arbores*, *plantas referentes*, Cl. PLVCHE eas *dendrophoros* appellitat. p. 1.

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 1.

Maxima tamen laude cenſentur digna et diſſertatio Cl. SCHEVCHZERI de dendritis, quae excuſa eſt in Ephemeridibus Nat. Cur. et tractatio Cl. SAVVAGES in Comment. Acad. reg. Scient. Pariſ. anni 1745, ubi omnia, quae ad hiſtoricam aeque ac phyſicam horum lapidum cognitionem ſpectant, nitide ac ſolide demonſtrata reperiuntur. De ipſa cauerna multa exponit ſitum eius declarantia, ſimulque recenſet modum ibi effodiendi terram iſtam cretaceam, quae ad varios uſus oeconomicos ad exteros deportatur ſub nomine *albi hiſpanici* (le blanc d'Eſpagne), cuius groſſiores maſſae *grand blanc* ſiue *blanc carré*, ſubtiliores vero ac a ſordibus purgatae *petit blanc* ſiue *blanc rond* appellantur. Ipſarum vero dendritarum, quoad formam exteriorem amplam addit deſcriptionem, et duobus coloribus quamuis earum pictam dicit. Plantarum imagines quanquam interdum rite exprimant, neutiquam tamen pro petrificatis ſunt habendae, ſed pro ludibundae tantum naturae effectibus. Ratione materiae ſunt opacae, durae, tactu laeues ac ſubtiles, coloris cinerei, innumeris fiſſuris ac commiſſuris conſpicuae. Picturae duplex, ut iam dictum, color, ex nigricante flauus fundamenti loco eſt, cui alter, quem *tincturam arboriſicam* Auctor vocat, ſuperinductus vel prorſus niger vel fuſcus nemorum icones efficit. Accedunt figurae ad muſcorum, rutae murariae, abſinthii pontici, ſabinae, tamariſci, aliorum formam. Variis experimentis examinauit hasce picturas, nec tamen metallici quidpiam in iis inuenit; aqua, ſaliua, liquore ſaponato, oleo tartari per deliquium, ſpiritu vini, humectatae et maceratae non mutabantur, acidis vero inquinatae vel per quoddam tempus ipſis impoſitae prorſus euaneſcebant. Nec tamen ex allegatis concludere aliquid audet Auctor, ſed monet ſe tantum, quae ipſe vidit, quae rite obſeruauit, candide allegaſſe.

2) *Disquisitio anatomica articulationum ossium faciei.* Commentarius primus, Auctore Cl. DE BORDEV. In irregulari visa ossium faciei fabrica, concinnam tamen et maxime necessariam partium dispositionem deprehendi, ex nexu et ordine horum ossium declarat Noster. Ossa maxillaria praecipua sunt, quae ad cauitates narium, et palati formandas pertinent, sed prae reliquis dentes insertos habent, et motui maxillae inferioris resistunt. Ad firmam hanc sedem praestandam non tantum continuatio nasalis recta versus os frontis extenditur, et in illud dentato margine inseritur, sed processus hi nasales a parte superiore propius ad se inuicem accedunt et situm confirmant. Os malae a latere appositum ampla quidem, sed inaequali et obliqua basi ossis maxillaris superficiei insistit, et quidem in opposita alueolorum, dentes suscipientium, parte; cum vero idem os malae partim sursum versus os coronale, partim extrorsum versus zygomaticum processum ossis temporis figatur, fixa sedes ossis malae, os maxillare quoque sustinentis cognoscitur. Margo alueolaris huius ossis motui maxillae inferioris, ex allegatis caussis satis resistens, magis adhuc a parte posteriori per ossa palati firmatur, quae ad incisuras processuum pterygoideorum ossis sphenoidei inseruntur, ibique, licet reliquae productiones tenues sint, firmantur. p. 13.

Maxilla autem inferior non tantum recta sursum, sed etiam oblique mouetur; huic impetui extrorsum facto portio orbitaria ossis malae, quae a simili parte ossis sphenoidei sustinetur, resistit. Huc quoque pertinent aliae eminentiae et inde ortae combinationes, quae a Cl. Auctore studiose indicantur, qua occasione simul ostenditur, quo modo fissurae intercurrentes et excauationes variae, quae firmitati non obsunt, ad transitum vasorum et neruorum reliquarumque partium mollium dispositionem necessariae inueniantur. p. 17.

p. 20. Vomer tenuis lamina vel partem offis ſphenoidei antrorſum et deorſum deſcendentem, vel diſtinctum os ſiſtit. Hic in mediam et ſuperiorem palati crenulam inſeritur eamque ſuſtinet, licet vis verſus palatum premens exigua ſit. Os unguis ſpongioſum inferius, et ethmoidei partes huc ſpectantes maxime tenues ſunt laminae, cellularibus tamen productionibus parum ſuſtinentur, et praeter ea vis illis illata exigua eſt vel nulla. Offa naſi denſiora firmiter offi frontis infixa, a latere proceſſibus naſalibus offis maxillaris iunguntur. Qua in re addere poſſumus proceſſum unciformem offis frontis, ſub coniunctionem offium naſi emiſſum, in multis craniis viſum, et a Cl. Auctore non obſeruatum.

p. 21. Margo offis maxillaris, in quem alueoli inſculpti ſunt, ſpongioſus quidem, ſed ſatis amplus eſt, et radices dentium immiſſi in primis in molaribus duplices et triplices firmitatem augent. Maxilla ſuperior autem ideo, ex pluribus offibus compoſita eſt, quo, ſi motus violentiores occurrant, eo melius cedere poſſit; membranae connectentes tamen has partes ſatis coniungunt, in primis ſi ex ſententia Cl. Auctoris omnem articulationem per harmoniam ut fictam, et ubique denticulos plus minus conſpicuos aſſumimus: In fine tractationis varia de offis ſphenoidei nexu et ſitu ad firmitatem offium capitis connexorum praeſtandam adduntur, et ab hisce meditationibus Noſter ad problema proponendum deducitur: Quodnam os ex omnibus capitis offibus connexas has partes praecipue ſuſtineat, ſi eo tempore, quo magnum pondus capiti impoſitum eſt, ſimul corpus quoddam firmiter inter dentes comprimitur?

p. 26. 3) *Obſeruationes circa geneſin colorum, per frictionem ſuperficierum planarum et transparentium.* Auctore Cl. MAZEAS, qui ex his euincere annititur, colores non dependere a diuerſa craſſitie laminae aereae inter parietes vitri contentae, id, quod NEVTONVS

NVS asſeruit, ſed a ſubtiliori quadam materia ibi incluſa, quae frictione ex poris expellitur.

4) *Commentarius de noua parte pluribus erucarum ſpeciebus propria.* Auctore Cl. BONNET.* Pars deſcripta eſt papilla ſiue eminentia carnea, ſub primo annulo inter labium inferius et primum par pedum poſita, illa vero reducta vix conſpicitur, ſed preſſione elicienda eſt. Plures quidem erucas examinauit Cl. Auctor, et eas, in quibus partem deſcriptam inuenit, in recenſione omnium aſteriſco notauit indeque concluſiones ſequentes eduxit. p. 44.

Ex ſexaginta duabus ſpeciebus erucarum triginta et una partem illam obtinent, hae vero nec ad villoſas, nec ad illas, quae inſignis magnitudinis ſunt, pertinent. Pars autem illa eminens in tribus tantum ſpeciebus v. c. in eruca braſſicae papillam ferme hemiſphaericam referebat. In reliquis eminentia illa, ex tribus partibus compoſita apparet, quae in ſe inuicem redeunt, ut cornua limacum. Cum vero magnitudo, figura, numerus et ſitus in variis ſpeciebus inſigniter variet, obſeruationes ſuas ulterius proponit. p. 50.

De uſu nihil certi aſſeruit; partem, ex qua fila ducunt, eſſe vix poſſe declarat, eandem quoque ſine noxa reſcindi poſſe monet, obſeruationes tamen ſuas eo uſque deducere non potuit, ut pateret, an in papilione formato aliquam mutationem praeſtet. p. 51.

5) *Examen aquarum Selteranarum, ſectio prior,* Auctore Cl. VENEL. A Cl. HOFFMANNO et Cl. SLARE hae aquae iam diſquiſitae et de earum principiis p. 53.

* Haec obſeruatio iam anno trigeſimo huius ſeculi, cum Cl. DE REAVMVR communicata fuit. vid. IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFER *neu entdeckte Theile an Raupen und Zweyfaltern. Regensſpurg*, 1754. 4. pag. 3. Confer. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. IV. p. 716.

cipiis diſputatum fuit, cum tamen uterque ſpiritum quendam et alcalini quidpiam ipſis ineſſe ſtatueret, quod neutiquam Cl. VENEL in attento ſuo examine deprehendit, ſua experimenta publici iuris facere e re eſſe duxit. In ipſo fonte, cuius ſitum aliasque proprietates deſcribit, aquas ex arenaria martiali terra ſcaturientes diſquiſiuit, ubi limpida aqua, in ſuperficie multis bullulis tecta, deprehenditur, quae tamen ad fundum canalium leue luteolum ſedimentum deponit. Quae dictae bullulae ſuſpicionem latitantis ſpiritus omnino mouent, quanquam, ut poſtea demonſtrat Cl. Auctor, unica earum cauſa in aere commixto poſita ſit. Adducit multa argumenta hoc ſuum aſſertum rite comprobantia, quorum
p. 56. ſummam hic breuibus allegare opus erit. Prima ratio ita exponitur: *Aquae ſelteranae multo plus continent aeris, quam aqua communis, et maxima pars huius aeris, in aqua minerali contenti, ex cauſis, in aerem aquae ſimplicis non operantibus, euoluta deprehenditur.* Appellat hunc aerem *ſuperabundantem*, hocce vero imbutam aquam, *aeream* nominat. Multa adfert experimenta hanc rationem illuſtrantia, ſimulque oſtendit, hunc aerem ſuperabundantem ab aere atmoſphaerico neutiquam eſſe diuerſum. Deſcribit copioſe ſatis apparatum, quo uſus eſt, ad rite determinandam copiam aeris huius ex aquis ſelteranis tam agitando, quam ebulliendo, immo et antliae ope ſeparati: ſimulque varia in HALESII me-
p. 68. thodo emendanda monet. Altera ratio ſic ſe habet: *Aquae ſelteranae aere ſuperabundante priuatae nullum amplius oſtendunt phaenomenon, quod ſpirituoſi quid in ipſis declaret.* Tertia ratio ponitur in eo: *Aquae ſelteranae nil acidi ſulphurei volatilis continent.* Sunt nempe prorſus inodorae; nec aer, agitatione ſeparatus, bulbo oculi applicatus, illum laedit; nec linteamina alcali fixo imbuta et aqua ſelterana madefacta in lixiuio ſuo acido vitriolico examinato, veſtigium

gium oſtendebant ſulphurei acidi. Addit multa adhuc alia experimenta, ex quibus veritas aſſerti dilucide apparet, negatque putatitium in aquis mineralibus ſpiritum ex acidi ſulphuris volatilis proprietatibus poſſe dependere. Hunc in finem omnia Cl. HOFFMANNI argumenta adducit, et ſolidiſſimis rationibus ita refutat, ut ſolum aerem horum phaenomenorum cauſam unicam eſſe quilibet perſpiciat. Addit demum pauca quaedam de ſapore aquarum, quem vehementem, acrem et penetrabilem dicit. Monet vero hunc ſaporem, maximam partem ab aere ſuperabundante produci, cum aquae hoc aere orbatae ſapor fere nullus deprehendatur. Nec etiam, quam auctores tribuunt, inebriandi vim his aquis ineſſe ſtatuit ac probat; nec veritati conſentaneum ait, in lagena contentam aquam plus continere in ſuperiori parte ſpiritus, quam in inferiori. Et ipſa has aquas arte imitandi methodus omnem ſpiritum excludere videtur Noſtro, de qua tamen encheireſi, ut et de aeris, in aquis aereis latitantis, vera indole in poſteriori ſectione plura ſe prolaturum promittit.

6) *Examinis aquarum ſelteranarum ſectio poſterior.* p. 80. Auctore Cl. VENEL. Cum in antecedentibus Cl. Auctor ſollicite disquiſiuiſſet volatilem ſiue mobilem aquarum partem, ad eas nunc examinandas ſe conuertit, quae fixae in his continentur aquis. Alcali igitur, quod ad Cl. HOFFMANNI aliorumque, qui hunc ſequuti ſunt, auctorum mentem in ſelteranis deliteſcit, primum detegere conatus eſt. Liquores adhibuit, quos ſolent chimici ad examinandas aquas minerales adhibere, qui tamen cum aquis his mixti nullam alcalini fixi praeſentiam declararunt. Quamquam enim vario modo his liquoribus mutarentur, non tamen, ut voluit HOFFMANNVS, ad alcali praeſens coniicere ideo licet, cum haec ipſa phaenomena partim et a neutris ſalibus, partim a reſiduo

rurſus ſoluto dependere ſatis ſuperque demonſtret. Quin ipſa cum acidis efferueſcentia hoc aſſumtum alcali neutiquam, ut monet, probat, cum haec ab aere ſuperabundante nunc liberato ſiue euoluto producatur. Cum igitur vere perſuaſus eſſet alcali fixum non eſſe partem conſtitutiuam, in veram nunc ſalis latitantis naturam inquiſiuit; multisque experimentis ſal marinum declarat, et contendit aquas ſelteranas non niſi dilutiorem ſalis marini in aqua ſimplici aerea facta ſolutionem exiſtere. His expoſitis, veram aeris in aquis ſelteranis, quem ſuperabundantem dicit, indolem declarare ſtudet, multisque argumentis euincit, eum ab illo atmoſphaerico neutiquam diuerſum, vere tamen et intime aquis mixtum riteque unitum eſſe, et quae ex phyſica his contrariari videntur, refutat. Recenſet tunc ipſam methodum, qua ope acidi ſalis aquam communem certa alcalini fixi portione impraegnatam ita mutauit, ut ex aſſe aquis ſelteranis ſimilis fieret; Cl. vero HOFFMANNVM falſo aſſeruiſſe monet, ex miſcela acidi vitriolici cum alcali aquas generari minerales. Adfert tunc ea, quae eneruant argumenta quaeuis, ab auctoribus pro alcalina aquarum indole adducta, eaque phaenomena a longe aliis cauſis prouenire ſolide commonſtrat. Tandem et pauca addit de vi aquarum medica, quam huc uſque ob latentem veram naturam nondum rite detectam eſſe poſſe affirmat. Ex ſua vero hypotheſi, vel ad ſal marinum ſolutum reſpiciendum et vires alterandi ipſis tribuendae erunt, vel ob aereum principium in ventriculo potiſſimum et inteſtinorum canali multa praeſtabunt commoda.

p. 113. 7) Cl. ESTEVE *de optimo ſyſtemate muſicae harmonicae, eiusque moderamine tentamina.*

p. 137. 8) Cl. LE GENTIL deſcribit *ſidus aliquod nebuloſum, quod nuperrime detexit ad latus ſideris, ſub zona Andromedae poſiti.*

9) Com-

9) *Commentarius de animali aquatico ſingularis formae.* Auctore Cl. BIGOT. Quanquam hoc animal prorſus diuerſum ab omnibus animalium tubiformium ſpeciebus dicat, non adfert tamen notas, nec genericas, nec ſpecificas, ad veram ideam formandam aptas. Corporis figura elliptica eſt, venter planus, cutis mollis, color fuſcus. Cauda ipſi eſt caua, elongata, qua adhaeret lapillo cuidam, de quo coniicit Noſter, quod ſit remigis ad inſtar animali, ut mouere ſeſe et in motu aequilibrium ſeruare poſſit. Diſſectum animal multum mucilaginis limpidiſſimae diffudit, nec tamen quidpiam de viſceribus rite detegere potuit, cutim vero et in interna et in exteriori ſuperficie ex nerueis fibris contextam deſcribit; de generatione nihil proferre valet. p. 145.

10) *Deſcriptio cauernae de la Balme dictae in delphinatu ſitae.* Auctore Cl. MORAND. Iam ante aliquot annos huius antri hiſtoriam dedit Cl. *Dermontier*, quae tamen vix ſufficere videtur Noſtro huic naturae miraculo rite delineando. Hinc iuſſu regio pleniorem nobis cum communicat variasque, quibus conſtat, cameras, quarum parietes ſtalactiticis concretionibus variae figurae obducti obſeruantur, deſcribit, ita, ut haec dicta cauerna exacte conuenire videatur, uti ipſe monet, cum antro Baumanniano. p. 149.

11) Cl. SALERNE agit *de morbis ex eſu ſecalis cornuti.* Quum natura et effectus noxii ſecalis huius iam in variis Academiae commentariis * et aliis ſcriptis declarati ſint, Cl. Auctor nunc ſuas tantum, quae fecit in hominibus et animalibus brutis, eum in finem obſeruationes et experimenta, ut et effectus illos nociuos confirmaret, et remedia iisdem auertendis p. 155.

* Hiſtoire de l'Acad. Roy. des Scienc. à Paris, l'an. 1710. et l'an. 1748. Paris 1752. 4. Memoir. 30. pag. 500. ac Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 619. ſeq.

tendis accommodata detegeret, ingenue et fuſe ſatis recenſet. Primo loco occurrunt tentamina, quae cum porcello maſculo inſtituit. Dedit nimirum huic ſecale, cuius tertia pars cornuta fuit, coctum cum furfure tritici: recuſauit primum illud adſumere, ſed aliquot dies poſt ſponte deuorauit, inde bene paſtus viſus; a dato autem ſecali ſolo, ſine furfure admixto, creſcere ceſſauit porcellus, aſt venter
p. 156. intumuit duriorque euaſit. Poſt quatuordecim dies rubent crura inflammata, et humor virideſcens ac foetidus ex iis exſudat; nigreſcunt venter imus et dorſum; aures caudaque pendent flaccidae; urina citrina bene fluit; foeces putridae. Deficiente ſecali aduſto, furfur purum datum fuit, inde bene ſe habuit porcellus, venter detumuit, mollior factus, appetitus bonus, ſed incedere vix potuit, vacillans pedibus, tandem periit. Diſſecti deinde nullus foetor et viſcera ſana, praeter portionem inteſtini ieiuni ileique ac meſenterii inflammatam; alimenta in ventriculo digeſta; ſub iugulo et in cruribus tumores aperti, nigri, humorem rubellum ſtillantes; circa cor, omentum et renes nulla pinguedo; in cruribus nulla gangraena. Ex his colligit Noſter effectus iam enarratos omnino a ſecali cornuto productos fuiſſe, quod tanquam venenum lentum gangraenam plus minus cito cieat, prout recens vel vetuſtius fuerit, quum hoc mitius fiat.

p. 157. Vt vero analogia effectum eius in hominibus pateat, Cl. Auctor ea commemorat, quae obſeruauit in incolis Soloniae ex eſu ſecalis illius male affectis. Neque mirari debere quempiam monet idem, quod ſolonienſes in ſuam perniciem veſcantur pane, ex ſecalis cornuti farina parato, qui ſit coloris ex violaceo nigri, et quem aues et canes recuſant comedere, quum ſoloniae ager paludoſus non ferat, quantum iis ad vitam ſuſtentandam opus ſit, atque adeo annonae caritas ipſos cogat prauo iſto uti cibo: acceſſiſſe inſuper

inſuper ſuperiore anno addit pluuioſam tempeſtatem, copioſioris iſtius ſecalis prouentus cauſam; et hinc maiorem gangraena affectorum numerum iam medio auguſto menſe in noſodochium Aurelianenſe fuiſſe apportatum. Erant aegri iſti cuiusuis ſexus ac aetatis, plures tamen mares, quam feminae. Hoc anno, quo haec ſcripſit Noſter, gangraena non tranſierat ſuper genua, affecitque citius pedes, quam manus; anno vero ſuperiore altius proſerpſerat; vidit enim puerum decem annorum, cui utrumque femur ex articulo excidit ſine haemorrhagia, et fratrem eius quatuordecim annorum, cui femur et crus unius lateris, atque ſolum crus alterius lateris exciderunt, viginti autem quatuor horas poſt utrumque vita defunctum. Si qui ſanantur ita mutilati, vita tamen plerumque haud longa eſt: quibus amputatio facta fuit, citius perierunt reliquis ſibi relictis, ita, ut ex centum et viginti amputatis quatuor vel quinque poſt ſex demum menſes euaſerint; ſunt etiam adhuc in noſodochio, quibus ſponte exciderunt crura, qui bene edunt, et quotidie deligantur intra aliquot menſes ſanitatem recuperaturi.

Singularis notari meretur caſus, quem Noſter obſeruauit in aegro, qui iam ante octodecim annos ex hoc morbo ſiniſtrum pollicem perdiderat, rediens in noſodochium menſe decembre ſuperioris anni. Venter eius fuit diſtenſus et durus, manus dextra et pes ſtupore affecti et dolore punctorio, ſine rubore. Theriacae granum unum in vino datum eſt, et vena magna tumensque inciſa parum fudit ſanguinis craſſi et tenacis: In aquam calidam ſequentibus diebus immiſſi pedes et manus, et poſt balneum embrocha cum aqua vitae camphorata applicata eſt, dataque theriaca: poſt octiduum ſtyracem Noſter adhibuit per ſeptimanam, et aeger praeter leuem ſtuporem manus, cuius digiti adhuc erant tumidi, nihil amplius mali ſenſit; hinc domum ſuam rediit aeger, ſed

aliquot

aliquot menſes poſt in noſodochium reuerſus eſt, manu eius inflammata et tumente ad cubitum uſque. Ab applicatis cataplaſmate emolliente et emplaſtro de ſtyrace, digiti e phalangis ſeparare ſe coeperunt, et eleuato emplaſtro ſerum foetidum, guttis aliquot cruoris nigri remixtum effluxit; aeger dies noctesque de intenſiſſimis valde conqueritur doloribus; reliqui aegri inter deligandum modo id faciunt.

Vt caro fungoſa et ſanies magis coerceatur, alumen, vitriolum album et mercurius praecipitatus ruber in uſum vocatur; plerumque tamen gangraena iſta longa ſuccedente inflammatione terminatur, vel membrum ſponte decidit oblique vel fruſtatim facta ſeparatione. Exfoliationem hanc promouet oleum
p. 160. guaiaci, melius natura, quamuis lente. Amputatio ſerius inſtituitur, quum carnes iam nigrae oſſaque denudata ſint, nullo hinc opus eſt torculari, nulloque ad vaſa urenda cauterio. Frequentius extremitates inferiores gangraena afficere ſolet, quam ſuperiores, quoniam ſolonienſes ſemper in aquis et paludibus ſtare oportet ex vitio ſoli paludoſi; manus vero quamuis illaeſae ſanaeque apparent, ſentiunt tamen plerumque in iis ſtuporem aegri. Ceterum omnes fere aegri ſunt ſtupidiores, ut mali ſui deſcriptionem dare vix poſſint, et ſtupor creſcit creſcente morbo: cutis, in primis faciei, pallet liueſcens; accedit macies corporis, ſed venter durus tumet; urina et foeces rite ſecedunt, breui vero ante mortem colica vexat aegros et diarrhoea; pili non defluunt; neque ungues mutantur; pulſus paruus, ut digito vix percipi queat; vaſa inflata et ſanguis tenax, cultro ſcindi vix ſe patiens. Malum denique contagioſum non eſt; chirurgus quidam, deligando aegros, ſolus eodem correptus fuit; plerique hinc, aegrorum curam habentes, vino ſe lauare ſolent.

Vt adeo ex his abunde pateat analogia effectuum, qui in aegris et porcello iſto a Noſtro obſeruati fuerunt.

fuerunt. Ex epiſtola, quam ad Cl. SALERNE de- p. 161.
dit virgo nobilis et de ſalute pauperum tuenda bene merens, in arce *de la Borde Vernoux* prope urbem *Romorantin* in Aurelia, Galliae prouincia, quae habitat, non nulla adhuc addere lubet, ad curationem tanti mali ſpectantia. Deſcribit ipſa dirum iſtum ſolonienſium morbum et Cl. Auctoris obſeruationes confirmat; poſt medendi rationem, quam ipſa adhibet, exponit. Laudat nimirum uſum repetitae venae ſectionis et balſami rubri, quod parat ex oleo oliuarum, vino, terebinthina, cera, et ſantalo rubro, et quod fricando membris affectis applicat, poſtquam haec linteo inuoluta, ſpiritu vini et butyro recenti imbuerat, donec calor rediret. Imminentem adhuc gangraenam coercet aqua, ex aluminis calcinati unciis quatuor, vitrioli albi et ſalis unciis tribus facta; eſchara ſponte decidit, et deligatio cum balſamo laudato rubro adhibetur. Digitos iam corruptos aquae huius ope detegit et ex articulo ſeparat, non exſpectans, donec ipſi ſponte decidant, putatque citius inde curari aegros; neque opus eſſe obſeruat reſecare carnes demortuas, ex metu, ne laedantur nerui vel tendines. Plures autem ſua culpa perdere membra iudicat, et ſe nullum laetatur habuiſſe, qui ea perdiderit, ſi modo ad ipſam ſtatim ab initio mali properauerit, vel frigore, vel gangraena affectus; optat ceterum valde, ut plures aegri ad eam non venirent, quum digitos pedesque malo iſto correptos ſeruare non poſſit. Fecit tandem etiam experimenta cum animalibus, et anates a dato ſecali cornuto periiſſe, porcellum vero aures pedesque omnes perdidiſſe obſeruauit.

12) *Commentarius primus de organo auditus ani-* p. 164.
malium reptilium, nec non nullorum piſcium, qui cum reptilibus conueniunt. Auctore Cl. GEOFFROY, M. D.

Eo

Eo lubentius huius commentarii mentionem facimus, quo magis cum Cl. Auctore conuenimus, Anatomes comparatae in declarandis abſconditis corporis humani partibus aliquam utilitatem eſſe. Reptilium autem nomine complectitur ille ea, quae alias amphibia dicuntur, animalia, nempe, ranas, bufores, teſtudines, crocodilos, lacertas, chamaeleones, ſalamandras, varias ſerpentum ſpecies, viperas, angues, caecilias aliasque, hisque ſubiungit piſces, a Cl. ARTEDO et LINNAEO *chondropterygios* appellatos. Reptilium, quod ad auditus organon pertinet, duas conſtituit Noſter claſſes, aliam eorum, quae aliquam externae auris notam habent, aut prorſus patulam, aut teneriori cute tectam, aliam deinde eorum, quae
p. 167. hac deſtituuntur nota. Ad priorem referri debent *lacertae*, quae in poſtica lateris capitis parte magnum et ouale foramen habent, tenui membranula velatum, tympani dicenda, duplicata, medio oſſiculum comprehendente. Exterior lamina cutis attenuatae continuationem, interior membranae, cauitatem inueſtientis, ſiſtit. Medium oſſiculum mallei vices habet, cum quo aliud connectitur planiore capitulo terminatum, atque feneſtrae ouali inſertum. Cauitas autem tympani partim ex ſemicirculo oſſeo, partim ex ligamentis formatur; labyrinthus denique, in quem anguſtiſſimum orificium feneſtrae ouali patet, tres canales tantum monſtrat, trianguli aequilateris formam exprimentes, tribus orificiis apertos. Harum partium indolem accuratae delineationes additae declarant.

p. 171. Ad ea porro reptilia, quibus organum auditus membrana obducta tegitur, referuntur rana et bufo. *Ranae* membrana tympani nimirum ſupra ſe habet cutem tenuiorem, ipſa cartilaginea eſt, ex fibris a centro ad peripheriam decurrentibus conſtans, centro tenuiore, ut videatur, ſi ſeparatur, circulus tantum cartilagineus eſſe, oſſicula auditus pariter duo

ſunt,

ſunt, ſecundum autem parte planiori deſtituitur, quippe quae triangularis magis eſt, et foramini ouali ampliori inſiſtit. Singulare id obſeruatur, ut apertura ad fauces adſit, tubae EVSTACHII vice fungens, cuius mentionem iniecit aliquando SWAMMERDAMIVS. Parum differunt *bufones*, ſed tubam p. 176. non habent, auditum autem inde in his non imminui coniicit Cl. Auctor, quod tympani membrana in iis tenuis eſt et ſubtilior, ac in ranis, aerisque impreſſiones felicius ſuſcipiens. Offiſculorum forma aliquantum diſcrepat, plana alterius particula cartilaginea et transparens eſt.

Inter ea reptilia, quibus nulla exterioris auris nota eſt, conſiderantur deinde caecilia, vipera et ſerpentes. *Caecilia* cutem ubique eodem modo craſ- p. 179. ſam duramque poſſidet, ut hac ſublata fibrae muſculares et pinguedo tantum conſpiciantur, nec niſi iis demum remotis tympani membrana occurrat. Haec tenera vix lineam diametro aequat et armato oculo offſicula auditus duo, ut in praecedentibus, detegunter, ſed nulla arte canales interni in conſpectum venerunt, forte ob exiguitatem. Magis adhuc dictae hae partes abſconduntur in vipera, ſuperimponuntur enim muſculi maxillarum, verum et his ablatis vere deficit tympani membrana et cauitas, adſunt nihilo minus duo offſicula, cum alio, quod maxillis fundamentum praebet, connexa variisque ligamentoſis fibris adhaerentia, nec canales ſemicirculares conſpiciuntur, ut in hoc animali organon auditus minus perfectum appareat. Eadem et ſimillima fabrica in *ſerpente* eſt, veſtibulum tantum non adeo profundum, in maioribus aſiaticorum ſerpentum capitibus, in quibus facilior debebat eſſe perueſtigatio, nulla tamen noua facta eſt obſeruatio, ut potius foramen VALLISNIERI, aut tubae Euſtachianae principium plane deeſſe confirmaretur.

p. 185. Praeter id porro, quod auris externae notam non habeant, ossiculis etiam destituuntur, canales tamen semicirculares obtinent *Salamandra aquatica* et *Raia*. Salamandrae organon auditus difficulter detegitur, siquidem eius orificium sub musculis et maxilla inferiori lateat, ossea quadam lamella tectum, mox in labyrinthum patens amplum et spatiosum, ex quo foramina abeunt varia, quatuor ex his in duos semicirculares canales aperiuntur. Similis fere structura est in Raia, orificium organi prope condylos primae vertebrae est, ligamentis obtectum, simplex in principio, deinde in duos canales abiens, altero in vestibulum, altero vero in cranium pergente, in vestibulo massa alba occurrit, glandulosa WILLVGBIO dicta, mollis, sed exsiccatione densior reddenda, quam ossiculi vice fungi suspicatur Cl. Auctor. In reliqua cauitate sub albae et mollis materiae specie expanditur neruus acusticus, per triangulare quoddam, inferius constitutum foramen introiens vestibulum, ex quo non sine ratione coniicitur, neruos acusticos, mollem et durum in hoc animali distinctos forte existere. Varia tandem intus foramina conspiciuntur, in canales semicirculares aperta, alia, quorum usus nondum constat.

Est itaque aliqua in reptilibus conformis auditus organi structura, defectus auris externae, reliquae partes adsunt vel deficiunt, hinc auditus ipse differre debet, in aquis degentia reptilia parum audiunt, sed aquae motus, leuiores etiam, facillime percipiunt. Promittit Noster, in aliis reptilibus se eodem modo esse disquisitionem instituturum, ut veram sedem auditus in animalibus et hominibus tandem possit constituere. Illas certe obseruationes expectamus, quod ex horum iam descriptione et additis singulis iconibus eiusdem assiduitas abunde cognoscitur.

13) *Deſcriptio anatomica trium lutrarum, femini-* p. 197.
ni generis. Auctore Cl. SVE.* Huius animalis anatome, a Cl. PERRALTO olim tradita**, cum perfecta ſatis non fuerit, in variis exemplis repetita ſiſtitur a Cl. Auctore. Suam autem commentationem in quatuor partes diremit, *prima* externam ſuperficiem, *ſecunda* viſcera infimi ventris, *tertia* illa pectoris, *quarta* muſculos tradit. Capite inſtruuntur lutrae planiore et acuto, dentes caninis ſimiles ſunt, oculi parui, aures exiguae, collum rotundum, pectus anguſtum poſtice largius, abdomen planum, extremitates breues, ſuperius craſſae, inferius tenuiores, digiti membranis cohaerent, cauda longa, pyramidalis. In abdomine haerent mammae quatuor. Epiploon cum ventriculo tantum iungitur, in ſingula lamina autem vaſcula texturam faciunt. Ventriculus cum humano conuenit, multis tamen ſphaericis et tranſparentibus globulis diſperſis exornatur, villoſa eius tunica ad extremitates ample rugoſa. Inteſtina quinque inſunt, cum meſenterio nexa, colon non amplitudine, ſed circumuolutionum defectu noſcitur, et recta tranſit in ſiniſtro latere in inteſtinum rectum. Meſenterium copioſas glandulas continet. Hepar ſeptem vel pluribus lobis conſtat, ligamentis inter ſe connexis, veſicula fellea magna eſt, cum ductu hepatico communicans, lien tenuis, pancreas longum, capſula atrabiliaria fragae magnitudine. Renes ex pluribus lobis, duodecim vel tredecim componuntur, anterioribus nempe et poſterioribus, membrana cohaerentibus, ſingulus lobus ſuam habet arteriam venamque. Veſica urinaria extra peluim peritonaei ſacco incluſa. In pectore diaphragma

* Lecta. d. 6. Mart. 1751.

** vid. Memoires de l'Acad. Roy. d. Sc. contenant les ouvrages adoptés. Tom. I. edit. Amſtd. 1736. 4to pag. 149.

duo tantum foramina pro vena caua et oeſophago habet. Coſtarum in latere dextro quatuordecim ſunt, quindecim in latere ſiniſtro. Cor a primis aeque coſtis, ac a diaphragmate, tres digitos diſtat, figura humano ſimile. Interim non foramen ouale tantum adeſt, exiguum valde et obliquum, ſed ad finem venae cauae ſuperioris etiam, et ad marginem auriculae dextrae, prope inferioris venae cauae finem alia aperiebantur, ex quibus aer in ſiniſtram auriculam poterat adigi, non contra ex hac in illa orificia. Deſcribit deinde aortae decurſum Noſter, de qua tantum notamus iliacas, externas ac internas ſic dictas, arterias diſtinctis ex locis prouenire, et epigaſtricarum utrinque duas eſſe, ipſamque aortam ad finem caudae ſuo trunco continuari. Sunt etiam ſingulares huic animali conceſſi quidam muſculi. Sub cute dorſi, panniculi carnoſi ad inſtar, duo ſtrata decumbunt, quae *dorſales magnos externos* vocat *muſculos* Cl. Auctor. Adhaerent quatuor verarum coſtarum ultimarum et duarum ſpuriarum primarum cartilaginibus, pluribus tendinoſis appendicibus, carnoſi euadunt, per dorſum incedunt, aponeuroſes eorum ad trochanteres deſcendunt, ab his ad patellam et malleolum externum continuantur, omnesque muſculos contegunt: altera eorum pars etiam ſurſum ad ſcapulas aſcendit, et in tendinem extenuata humerum atque extremitatem anteriorem comprehendit, ſub his demum longiſſimi dorſi deliteſcunt. Deſcribuntur porro hic alii plures ſingulares et ſupernumerarii muſculi, quos euoluere licet, ex quibus duo maxillam deprimunt, omnes viuendi et incedendi rationi, huic animali competenti, accommodantur. Additae ſunt diuerſarum partium deſcriptarum nitidae figurae.

p. 211. 14) *Commentarius de ſale calcis viuae*, auctore Cl. NADAVLT. Conſentiunt chemicorum fere omnes, ineſſe calci materiam quandam ſalinam, ſed de eius vera

vera indole ac natura diuerſas fouent ſententias, cum alii alkali, alii alkali et acidum ſimul intime terrae mixta in calce ſtatuerint. Sed horum adſertum Cl. Auctor ex eo in dubium vocat, quod id, quod extraxerunt chemici, non a calce, ſed ab adiunctis eius partibus prouenire ipſi videatur. Quae vero attulit experimenta Cl. DV FAY in Commentariis Academiae *, cum ſine ullo intermedio corpore ſal quoddam eductum exhibuerint, ſalis in calce praeſentiam optime demonſtrare affirmat Noſter; neque tamen ex iis quicquam ad cognoſcendam ſalis huius indolem et proprietates commodi enaſci iudicat. Hinc ſua, quae ipſe inſtituit copioſe, idem recenſet experimenta, atque ex iisdem euidentius patet, deprehendi et in lapidibus calcareis ante uſtionem, et in ipſa calce viua aeque, ac extincta, ſal aliquod, quoad omnes proprietates ſuas, nitro factitio perquam ſimile, quod vero a nitro natiuo ſeu communi haudquaquam differat. Fuerunt quidem multa contra nouam hanc hy p. 224. potheſin monita a Commiſſariis, ut vocat Noſter, Academiae regiae ſcientiarum, quae tamen ſolide refutat Cl. Auctor, ſuam opinionem ulterius illuſtrare et idoneis argumentis roborare anniſus, in additis ad quamuis obiectionem reſponſionibus.

15) *Commentarius de flammae in corpora electrica agendi modo.* Auctore Cl. DV TOVR. Controuerſam phyſicorum hac de re doctrinam, variis et argumentis et experimentis ita componere annititur Cl. Auctor, ut probet, flammam aliquando corporis electricitati detrahere aliquid, non nunquam addere poſſe, pro ratione ſcilicet ſitus corporis, flammam alentis, verſus alterum, cui electrica vis communicatur. p. 246.

16) Obſeruatio *de nouo contra febrim remedio.* Auctore Cl. BERRYAT. Quum cortex peruuianus p. 254.

* conf. Memoires de l'acad. roy. d. Sc. 1724. edit. Amſtd. p. 126.

iam commune habeatur febrifugum remedium, lentius vero ille operetur, ac febrem ſemper non tollat, et multis etiam nauſeam creet aegris, de nouo ſaepe Noſter cogitauit remedio, quod febribus opponeret, illudque tandem inueniſſe ſibi viſus eſt in opiato quodam, quod melius conueniat ſoluendo ſpaſmo febrili, quam obſtructioni vaſorum capillarium. Atque hanc plerumque adſumtam febris cauſſam ab ipſo ſaepius pendere ſpaſmo quum iudicet Noſter, opiatum medicamentum tamquam antiſpaſmodicum omnino ad febres debellandas optime adhiberi poſſe arbitratur. Confirmauit id experientia in aegro, qui vehementi paroxyſmo febris duplicatae laborabat, et quem iam in agone conſtitutum, dato ſyrupo diacodii et purgante, ſudor criticus a morbo liberabat. Opiatum autem in primis in febribus intermittentibus duplicatis, cum horrore regulari vehementique incipientibus, commendat Cl. BERRYAT. Inter plura, quae in officinis ex opio parantur, medicamenta praefert idem laudanum liquidum SYDENHAMI, quod certior eius, quam reliquorum opiatorum, ſit operatio. Neque vero id miſcet cum aliis vel china, ſed ſolum dat in infuſo herbae centaurii minoris: neque doſis certo determinari poteſt, maior tamen minorue ea debet eſſe ratione impetus paroxyſmi febrilis, vel aetatis et virium aegri habita; infantibus trium vel quinque annorum ſex guttas, adultis viginti, et in violento paroxyſmo triginta dedit. Tempus illud exhibendi eſt hora una ante ingreſſum horroris; alias parum praeſtat: tardius enim ſi praebeatur, ad neruos penetrare forte nequit, ſed vomitu reiicitur: ſi iuſto citius, horror tamen aegrum inuadit; hinc ſi tempus acceſſionis febris certum non ſit, ſatius erit abſtinere ab hoc remedio. Porro Noſter poſtulat, ut aeger ante in lectulo quieſcat, quam remedium laudatum adſumat, et nullum aliud ingerat. Raro datur repetita vice; plerumque primam ſtatim

febris acceſſionem tollit, et pleniorem pulſum ac ſudorem excitando effectus ſuos edit. Neque aliis inſuper opus eſt remediis, ſed poſt febrem iſta ratione ſublatam modo aliquot doſes chinae adhuc adhibuit, diaetaeque regimen conueniens. Effectus laudati opiati certior eſt, quo violentior paroxyſmus; quo leuior vero horror, eo difficilior curatio. Vidit hoc remedio quartanas curatas, quas china tollere non potuit. Inquirere adhuc accuratius in remedii dicti vires pollicitus eſt Noſter, eiusque efficaciam per repetitam experientiam confirmare, ſed mors ipſum anno ſeculi huius quinquageſimo quinto eripuit; et nos cum iis, qui ad Commentarios hosce praefati ſunt, iure quodam optamus, ut medicus prudens obſeruationes Cl. BERRYAT repetat et continuet: opio enim fidendum non eſt.

17) *Commentarius de verme lucente femina, eiusque transformatione.* Auctore Cl. DE GEER. Obtulit ſeſe, fortuna ſic fauente, in inſectorum potiſſimum hiſtoria verſatiſſimo Auctori vermis, hic deſcriptus, ſex pedibus inſtructus, duodecim annulis conſtans, octodecim ſtigmata habens, capite exiguo, quod intra primum pectoris annulum poteſt retrahi. Quum autem Cl. Auctori videretur hic vermis ſtatum iam perfectionis indeptus eſſe, iucundo ipſi ſpectaculo accidit, ut exuuias ponere et tunc demum in nympham ſe mutare illum viderit. Deſcribuntur et depinguntur eius partes ſimul cum metamorphoſeos phaenomenis, accurate et ſtudioſe. p. 261.

18) *De magna ſalicis eruca cum cauda forcipata* agit ſimulque probat, *liquorem illum, quem eruca proiicit, verum acidum et ſatis vehementer agens, eſſe* Cl. BONNET.* Exponit, quae in eius metamorphoſi obſeruantur, de quibus notamus, poſt exuuiarum ſeceſſum, easdem deuorare, et auide quidem, deſcribit machinam, qua mediante ſuccus proiicitur, p. 276.

* Lecta d. 3 Iul. 1751.

ab Ill. GEERIO * iam traditam, ſed ante illum iam anno huius ſeculi triceſimo nono et quadrageſimo primo viſam. In primis autem declarat experimenta, cum hoc liquore inſtituta. Nempe in lingua, ſi deguſtatur, ſenſum excitat acerrimi aceti. Vulneri recenti inditus vehementer illud afficit, ſpiritum vini coagulat, papyrum coeruleam rubra macula tingit, aeque ac coeruleos cichorei flores. Ex quibus certe tentaminibus patet, verum dari in animalibus acidum; huius autem liquoris utilitas nondum ſatis conſtat, quem in emolliendis exuuiis quaerit Noſter, ut eo melior pateat faciliorque papilioni exitus. Tandem exponuntur vermes, qui hanc erucam infeſtare ſolent.

p. 283. 19-40) *Obſeruatio eclipſeos ſolis primo die martii* 1737. per Cl. GARIPVY ſequitur; quam excipiunt deinde plures eiusmodi obſeruationes a variis auctoribus, in ſole et luna, ab anno huius ſeculi triceſimo ſeptimo ad quinquageſimum inſtitutae.

p. 319. 41) *Tentamen de analyſi vegetabilium*, *cuius* commentarius primus *continet laboris ſuſcipiendi breuem delineationem et generalem deſtillationis analyticae plantarum conſiderationem.* ** Auctore Cl. VENEL. Igne chemico plerumque extorquere conſtituentia principia ſoliti ſunt chemici, hac vero methodo, cum ex vegetabilibus fere omnibus ſimilia producerentur, neglecta iam nouam proponere ſuſcipit Cl. Auctor, et in genere de eadem exponit. Eſt ea nimirum analyſis per coniunctionem, ſiue reſolutio compoſiti corporis in ſua principia per menſtrua, et quidem talia, quae cum aliquo principio conſtituente ſeſe uniendi vim atque facultatem habent. Reſpiciet autem Noſter

* Mem. de mathem. et phyſiq. preſentès à l'Acad. de Paris. Tom. I. p. 530. vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 41.

** Exhibita d. 13 Iun. 1752.

ſter ad haec duo, ut determinet naturam, ſiue phyſicam compoſitionem diuerſae ſubſtantiae, exponendo earum principia, quae ſenſibus cognoſcuntur, ut deinde phaenomena analyticae deſtillationis explicet. Ad eſſentiales plantarum partes extractum pertinet, p. 325. quod primo conſiderabitur loco. Etenim analytica deſtillatio eum tantum ignis gradum requirit, qui poſſit reciprocam actionem principiorum conſtituentium per ſe excitare, dum v. c. volatilia a fixis ſeparantur in vaſe clauſo, dum inflammabilia ſine eo, ut ignem ſuſcipiant, ſeparantur. Ex quo ſimul communem illam de acido vegetabilium, et de alcalino volatili animalium principio opinionem, erroris expertem non eſſe facile declaratur, nouaque plantarum genera, ratione ſuorum principiorum conſtitui poſſe apparet; de pleniori autem expoſitione certiores nos reddet in iis, quos expectare iubet Cl. Auctor, commentariis.

42) *De noua per approximationem quadratura* agit Cl. OVTHIER. p. 333.

43-45) *Eclipſes lunae et ſolis* deſcribuntur a Cl. GARIPVY, SEGVIER et GVLIENT. p. 334.

46) *Analyſis aquarum mineralium, quas antiquas vocant, Paſſy ſcaturientium, earundemque cum recentibus comparatio.* Auctore Cl. BROVZET. Quum poſt inuentas nouas ſcaturigines, veterum aeſtimatio aliquantum imminueretur, earundemque noua ſimul non inſtitueretur disquiſitio, operae pretium eſſe duxit Noſter, antiquas denuo explorare et cum recentibus comparare. In uniuerſum arbitratur omnes inter ſe conuenire, recenſuit tamen ea, quae in primo fonte antiquarum et recentium animaduertit. In primo itaque fonte obſeruatur: Gallas immiſſas protinus tinĉturam rubram efficere, has aquas ſedimentum flauum ſponte deponere, in ſuperficie oſtendere ſplendentem pelliculam, ſpiritum continere nullum, ſyrupum violarum viridem reddere, neque tamen p. 337. p. 340.

men cum acidis aut alcalicis efferuescere, in residuo post euaporationem mensurae inueniri materiae terrestris drachmam semissem, salinae decem grana, quae tum cum sale epsonienſi, tum cum mirabili GLAVBERI conueniunt. Varia praeter haec cum acidis suscepit tentamina, et martis exiguam portionem detexit. Lac coctum coagulatum fuit, lac vero recens, cum ea mistum aqua, ita immutatum persti-
tit ac illud, quod cum aqua communi fuerat com-
p.342. mistum. Porro eadem repetita sunt cum aquis recentium fontium tentamina, quibus recensendis itaque supersedemus, notamus tantum, in residuo post euaporationem superfuisse ex mensura drachmam semissem et grana octo materiae non soluendae, et circiter triginta et tria grana solubilis, in qua continebantur tria tantum salis epsonienſis grana, nihil autem salis marini. Hinc utriusque principia sunt: Solutio salis epsonienſis et Glauberiani, salis marini, selenitidis et terrae alcalinae seu absorbentis, quae parum martis comprehendit. Ad pleniorem certe harum aquarum cognitionem non parum faciunt tum, quae hic scripta sunt erudite a Cl. Auctore, tum, quae de recentibus scaturiginibus proposuit
p.348. olim Cl. GEOFFROY.* Exinde enim patebit: recentes fontes esse fortiores, et plus mineralium habere particularum ac antiquos: antiquos deinde sal marinum et basin alcalinam, recentes idem sal et basin terrestrem obtinuisse: antiquos tandem, si residuum consideres, maiorem quantitatem absorbentis materiae ac recentes suscepisse. Hac autem ex inuestigatione, quibus subiectis unus alterque fontium magis conueniat, potest haud aegre diiudicari, quod ultimo loco exposuit Cl. Auctor.

47) *Com-*

* Conf. Memoires de l'Acad. Roy. d. Scienc. à Paris, 1724. p. 287. Edit. Amstd. 8.

47) *Commentarium de ſingulari methodo, quam adhibent chinenſes in conficiendis lucernis corneis*, proponit Cl. D' INCARVILLE e ſoc. I. Ampla ſatis deſcriptio, copioſioribus illuſtrata additis delineationibus, exponit omne illud, chinenſibus cognitum, artificium cornua ita praeparandi, ut in laminas tenues diuidi, hae iterum inter ſe componi, coniungi atque conglutinari poſſint, ut exiſtat tandem, penes eos ornamentum domeſticum conſtituens, cornea lucerna, de quo non dubitamus, variis uſibus mechanicis hac ex cognitione proficuam acceſſuram eſſe cognitionem. p. 350.

48) *De caprificatione* agit Cl. GODEHEV DE RIVILLE, Commendator Melitenſis. Singularem ficus domeſticas maturandi modum, quem adhibent incolae inſularum Archipelagi, iam obſeruauit in itinere ſuo ad orientales terras Cl. TOVRNEFORT, et in commentario de morbis plantarum * deſcripſit: Noſter tamen ſupereſſe adhuc in hac re multa cenſet, quae accuratiore explicatione indigeant, vulgique, qui eandem vel fictam vel inutilem putat, praeiudicatam remoueant opinionem. Hinc fuſius paullo pertractauit duobus capitibus caprificationis hiſtoriam; primum nimirum ficus ſylueſtris et muſcarum in eadem habitantium deſcriptionem, alterum neceſſitatem et utilitatem ipſius caprificationis tradit. Ficus ſylueſtris, apud latinos *Caprificus* et incolas inſularum Archipelagi *ornos* dicta, per annum ter fructus fert, quarum primae *fornites* dictae, ab auguſto menſe ad nouembrem; ſecundae ab octobre ad maium creſcunt *cratitires* vocatae; tertiae *orni* dictae maio demum proueniunt; omnes autem ab intrantibus p. 369.

* Conf. Memoires de l' Acad. Roy. des Scienc. à Paris. 1705. p. 447. edit. Amſtd. 8. cui addi poteſt. IVL. PONTEDERAE Antholog. Lib. II. cap. 33. ſeq. pag. 170 ſeqq.

p. 371. bus muſcis maturantur. Quando enim ad iuglandis magnitudinem peruenere, per thalamum ingrediuntur muſcae, et ouula ſua in pulpa interiori deponunt. Ficus etiam, a muſcis intactae, haud creſcunt, ſed ſiccae et immaturae decidunt; a muſcis contra punctae laetius incrementum capiunt, ſemina ferentes copioſa et maiora. In diſſecta ficu, ex qua muſcae aliquot exiuerant, vidit Noſter quodlibet ſemen muſcae alicuius habitaculum; muſcarum aliae cellulam ſuam ad dimidium reliquerant, aliae vero adhuc ſeminis inuolucrum perfringere tentabant, omnes alis ad ſolem ſiccatis auolabant. In ficus ſemine nondum maturo, lentis ope vidit extus maculas paruas, brunas, intus nymphas bene formatas, veluti nucleos viuos: in viridi obſeruatio difficilior eſt, molle tamen, album, duobus punctis nigris inſtructum a Noſtro viſum. Hinc idem putat vermiculos, cum primum e nymphis egreſſae fuerint, intrare ſemen et huius pulpa nutritas ad metamorphoſin ſuam ibidem degere, vel ipſas muſcas aculei ope in ſemen intrare et oua ibi ponere. Sed cum natura hic, ut ſolet in aliis, abſcondat ſua opera, certo definiri non poteſt, utrum vermiculi naſcantur in ſemine, an iam formati illud intrent? Nunquam certe vidit Cl. Auctor in pulpa ficus errantes vermiculos. Ipſas muſcas fuſius non deſcribit Noſter, ſed eas habere hoſtes ſuos, tantum memorat, duas nempe ichneumonum ſpecies, quae etiam ficus intrent, ſed pauciores ſint, caprificationi praeſtandae haud idoneae.

p. 371. In altero capite ipſam caprificationem eiusque utilitatem prolixe exponit Cl. DE RIVILLE. In Melita inſula quamuis ſeptem numerantur ficus domeſticae ſpecies, in duabus modo caprificatio ſuſcipitur, et incolae eandem ad maturandas ficus omnino neceſſariam putant. Prima ſpecies bis per annum fructus fert, quarum primae ſub finem iunii ſponte matureſcunt, melleae, maiores gallicis, dulces, ſa-

pore

pore ſecundae, auguſto demum maturae fiunt, illis et guſtu et magnitudine inferiores, iſta operatione indigent. Altera ſpecies modo ſemel fructus per annum habet, et eandem eſſe iudicat, ac illam Archipelagi; ficus eius ſunt minores, albidae et ſaccharatae, vilioris ſaporis, copioſa earum tamen meſſis eſt. Quod igitur primam ſpeciem arboris attinet, ea ob copiam ficuum primarum ſuccis exhauſta, ſecundis nutrimentum ſufficiens dare nequit; hinc dimidia harum pars ante maturitatem decidit ob defectum ſucci nutritii: huic vero malo occurrit laudata caprificatio; muſca enim ciere videtur aliquam ſucci fermentationem, quae accelerat maturitatem. Ficus iſtae, duobus menſibus alias maturae hoc modo intra tres ſeptimanas edules fiunt. Quidam incolae, qui arboribus parcere cupiunt, eas non caprificare ſolent, quia poſt caprificationem ſequenti anno ficuum prouentus bonus non eſt, ob nimiam copiam ficuum, quas nutrire coacta fuit priore anno arbor. Eadem ratio eſt in altera ſpecie arboris, ſed parum diuerſa. Adeo onuſta eſt ficubus, ut vix rami diſtingui poſſint. Igitur quamuis incolae putant eas ſine muſcarum ictu matureſcere non poſſe, vidit tamen Noſter in horto amici arbores non caprificatas, quarum ficuum dimidia pars decidit, ſed reliqua maturuit; et in Gallia hac methodo non utuntur, et pauciores licet, meliores tamen, colligunt ficus. Vt adeo conſtet, poſſe quidem maturari ficus ſine caprificatione, hac tamen arborem multum ſubleuari ſuccis exhauſtam. Porro Noſter Cl. PONTEDERAM refutat, qui ficum ſylueſtrem putet marem domeſticae, et muſcas credit apportare puluerem antherarum ad fecundandam domeſticam. Muſcae enim puluere albo quamuis conſperſae ſint, iſte tamen a pulpa interiori farinoſa venit, et ſtatim defluit, ut muſcae ficcatis ad ſolem alis, ex nigro ſplendeant, intrantes ficum domeſticam. Tandem notari meretur, muſcas ficuum ſylueſtrium domeſti-

domeſticas petere, in iisque multam earum copiam perire, ante quam in nymphas mutentur, vel ob nimiam humiditatem, vel ob defectum apti pabuli; genus tamen eas conſeruare ſuum: muſcae enim, quae caprificationi inſeruiunt, veniunt non niſi de ficubus ſylueſtris citius maturatis, et alias dein intrant maturitati proximas, atque hoc modo ſe propagare ſolent.

p. 378. 49) *Hiſtoriam ſacchari ex acere* tradit Cl. GAVTIER. In inſula Canada et tota America ſeptentrionali modo duae creſcunt aceris ſpecies, ex quibus aqua ſaccharo parando apta elicitur, reliquae eam non exhibent. Deſcribit vero Noſter primo loco arborem utriusque dictae ſpeciei aceris, dein aquam illam ſaccharatam, modumque eliciendi eandem, tandem ſacchari praeparationem et uſum copioſe exponit. Prima *acer album* vel *mas*, altera *acer canadenſe folio tridentato* vel *femina* vel *acer planum*, (*érable plane* ou *plaine*) dicitur; et ſaccharum ex prima ſpecie *ſaccharum aceris*, illud ex altera ſpecie *ſaccharum plani* (*ſucre de plane ou de plaine*) appellatur. Vtraque arbor amat loca humida, in primis montoſa; album acer procerius eſt altero; eius cortex albeſcit denſus; truncus nudus; vertex ràmis copioſis ornatus; folia ampla anguloſa, rotundata, mollia, ſuperne viridia, inferne albentia; petioli longi rubentes; flores racemoſi, roſacei, ex albo virides, penduli; fructus ſunt capſulae duae tresue alatae; ſemina rotunda, alba, parua; lignum tenerum, nodoſum, operibus lignariis conficiendis aptum. Acer femina dictum humilius, habet ramos copioſiores, corticem ex rubro brunum, denſiorem et politum; folia minora, acuminata, trilobata, dentata; petioli longiores, ſuperne rubentes, ſubtus alba lanugine obducti; utraque adultiora ex viridi albent, auctumno flaueſcunt et cadunt mox ruffeſcentia profundius; flores et fructus cum priore eaedem; lignum tenerius,

rius, ſtrata fibrarum undulatim poſita habet; hinc elegantiora dat opera lignaria. Vtraque arbor plorat aquam iſtam ſaccharatam; tempus vero, quo haec fluit, optimum iudicatur a menſe nouembre ad maium uſque, quando iam gelu fortius praeceſſit, et niue obducta terra eſt, obtinuit tamen eam etiam maio menſe Noſter, quum nulla amplius adeſſet nix. Iuniores et vetuſtae arbores vel nullam vel parciorem dant aquam, media aetate copioſiorem. Quo fortior hyems, eo largior aquae laudatae fluxus. Ex ligno etiam haec coctura extrahitur, qua pueri lubentius utuntur. Modus eliciendi eam conſiſtit in inciſione obliqua, profundius ad lignum uſque facienda, *gobe* dicta; ex cortice et exterioribus ligni ſtratis nihil elicitur. In hanc inciſionem immittitur fruſtum ligni planius, ſuper quod deſtillare poſſit aqua. Inciſio una plus dat, quam multae, itemque ad terram propius facta; acer femina etiam plus aquae exhibet. Tota quidem hyeme deſtillat, conuenit tamen melius tempeſtas ſerena et ſolis ardor et eurus vel eurus et auſter iuncti; boreas non fauet; gelu noctu factum, per diem ſoluatur, et inciſio in latus meridionale arboris infligatur, oportet; et ab hora decima matutina ad ſecundam pomeridianam optime deſtillat; experientia haec confirmat; valent tamen haec non ubique: in aliis enim prouinciis a martio ad maium, in aliis februario et martio largius aquae datur ſtillicidium. Ipſa aqua eſt limpida, fontanae ſimilis, ſed paullo albidior, ſaporis dulcis et refrigerantis, haud unctuoſi vel viſcidi, demulcet et refrigerat vi balſamica et diuretica ſua, neque nocuit a corpore ſudante pota largius. Conglaciata in vaſe et iterum calore liquefacta, dedit aquam inſipidam, et in fundo reliquit materiem ſpiſſam, unctuoſam, ſyrupi inſtar, perdulcem, nullas vero criſtallos. Soli expoſita in vaſe clauſo facile aceſcit, bonumque dat acetum, et incolae aquam etiam ſub

p. 381.

p. 384.

p. 388.

finem

p. 389. finem meſſis ad acetum parandum ſeruant. Porro modum parandi ſaccharum quod attinet, barbaris aeque ac Gallis facile ſuccedit iſte labor: coquunt enim aquam in vaſe cupreo, vel potius ferreo, ad ſyrupi ſpiſſitudinem, et ſaepe agitatam ac deſpumatam maſſam unctuoſam effundunt in vaſa terrea vel e cortice facta, conica vel plana vel cuiuscumque figurae; tunc ſtatim indureſcit. Cauendum vero eſt, ne diutius igni exponatur, alias ſaporem et odorem perdit gratum. Ipſa ſponte ſe depurat, alii vero albumen oui addunt, albidius parantes ſaccharum; Indi etiam farinam tritici admiſcent, ſed ſaporis vilioris inde obtinetur ſaccharum. Plerumque centum menſurae aquae iſtius dant libras decem ſacchari, varint tamen et hic effectus. Aqua ſub finem aprilis deſtillata, inferior bonitate eſt, diu ſeruari non poteſt, paraturque inde ſaccharum friabile, ſaporis ſaponacei; hinc eam barbari modo inſpiſſant, et decocto herbae capillaris addunt, quod gratius inde redditur, aeſtate potus genus exhibens refrigerans, ſed facile aceſcit. Quotannis vero duodecim vel quindecim mille librae ſacchari parantur, et eius maior adhuc
p. 391. parari poſſet copia. Tandem de uſu ſacchari huius notandum eſt, eum egregium eſſe et in culina et in medicina: copioſe enim ad cibos, in primis cum lacte paratos adhibetur; virtus medica eſt bechica et demulcens; notae bonitatis habentur in colore rubello, duritie firmiori et pelluciditate, ſapore denique et odore grato. Parantur ex eo tabulae, et multum laudantur in catarrho et tuſſi, et raucedine ad demulcendam acrimoniam lymphae in faucibus vel pulmonibus haerentem, quum vel fruſta eius in ore teneantur, vel tanquam infuſum cum aqua potetur. Syrupus etiam eius cum aqua dilutus pectorale medicamentum egregium exhibet.

p. 393. 50) *Modum, quo poſſit corpus, electricitatis capax, et a reliquis ſegregatum, facili ratione ad inſignem altitudi-*

altitudinem eleuari, ſimul cum neceſſariis obſeruationibus, ex quibus eluceſcit, corpora ſeparata, quo magis ſupra terram eleuantur, eo plus electrici ignis ſuſcipere, exponit Cl. DE ROMAS. Machinam confecit, in aere volitantem, quam ceruum volantem vulgo nominant, atque quicquid circa eius diſpoſitionem aeque ac uſum in electricae virtutis phaenomenis obſeruarit, docet. Non tamen deſunt, ut in additis etiam ab academia notis demonſtratur, ſimilia aliorum experimenta.

51) *Problema, data* nempe *baſi pyramidis triangularis et angulis ſuperioribus determinare dimenſionem pyramidis,* ſoluit Cl. ESTEVE Soc. Monspel. Soc. p. 408.

52) *Examen chemicum ſalis cuiusdam, ex Perſia allati, ſub nomine* Borech; accedit diſquiſitio diſſertationis latinae eiusdem argumenti, ſocietati regiae Londinenſi dicatae, auctore Cl. BARON. Apportauit mercator Armenus, nomine Borech, maſſam albicantem, calcinato corpori multisque ſordibus inquinato ſimilem, ſaporis acris, pungentis et urinoſi, eamque pro vera natiua borace habuit: Cum qua multa Cl. BARON inſtituit tentamina, inuenitque illam compoſitam ex borace et alcali, quod ſalis marini baſin conſtituit; hinc etiam vix pro natiua borace eam haberi poſſe contendit, cum ipſe exacte eam arte imitari doceat. Cum vero, quae docte hic propoſuit, cum tentaminibus Cl. MODEL non conuenire experiretur Noſter, Cl. MODEL enim alcali ſodae boraci ineſſe affirmauit, in refutandis iſtis adſertis multus eſt Cl. BARON, et quae ipſe per experimenta inuenit, uberius comprobare annititur. p. 412.

53) *Vſum differentiationis parametrorum ad ſolutionem multorum problematum, quae concernunt methodum inuerſam tangentium,* explicat Cl. BOSSVT. p. 435.

54) *Commentarium de utilitate obſeruationum barometricarum in praxi medica* exhibet Cl. BERRYAT. p. 452.

Cauſſae, quae mercurium in barometro eleuant vel deprimunt, in aeris aucta imminutaue grauitate et elaſticitate poſitae ſunt; atque hae ſunt eaedem, quae in corpus humanum, et in primis in pulmones et ſanguinem agunt, et effectus ſaepe admirandos producunt: nempe ut multi ab aeris viciſſitudinibus facile multumque afficiantur, ut aſthmaticis, quorum thorax laeſus eſt, vel aliis, qui caput debilitatum habent, dolores capitis, vertigines aliaque ſymptomata, quae ſentiunt, barometri loco eſſe queant. Hae vero cauſſae non ſolum in morbis agunt, qui diuerſis anni temporibus aut diuerſis aeris viciſſitudinibus graſſantur, ſed tribuunt etiam multum bono maloue effectui plurium medicamentorum. Confirmant illud obſeruationes, a Cl. BERRYAT in fluxu dyſenterico et hydrope factae. Centurio iuuenis, dyſenteria per tres annos laborans, viginti quatuor horis ante, quam veniret, pluuiam praedixit, violentis torminibus, ventriculi debilitate, deiectionibus frequentioribus, animique monitus triſtitia. Hydropica vero, cuius ventrem menſurauit Noſter, interdum ventris decrementum, ſed eius augmentum mox experta fuit, quando pluuia inſtabat, deiectiones imminutae efficaciſſimis remediis haud ceſſerunt, oppreſſio contra pectoris, grauitas corporis aliaque incommoda increuerunt. Atque haec barometri mutationibus ita reſponderunt, ut Noſter ipſe domi haec imminentia praedicere poſſet ſymptomata: ſed quod inſignius inde naſcebatur commodum, haec obſeruatio Noſtrum de augenda imminuendaue doſi medicamentorum monebat, quia imminente pluuia, conſueta doſis eorum inefficax erat, morbus vero ſibi haud relinquendus. Hinc in dyſenteria Noſter interdixit lacticinia et ventris fluxui adſtringentia cum fructu oppoſuit; in anaſarca autem purgantibus draſticis aquas, ad cutem facilius motas, ad inteſtina allicere et euacuare tentauit. Atque hoc

Noſtrum

Noſtrum docuit attenta barometri obſeruatio, ut aegri, eius curae commiſſi, vel in contraria tempeſtate ſanitati ab ipſo reſtituti ſint.

In primis in morbis neruorum obſeruationes ſuas confirmatas experientia vidit Cl. BERRYAT. Exempli loco recenſet idem caſum feminae, violentiſſimis vexatae duodecim annos mali hyſterici inſultibus, pro epilepſia habitis; in hac femina pro varietate aeris viciſſitudinum varia etiam ſeſe obtulerunt ſymptomata, veluti reſpiratio difficilis, ventriculi imbecillitas, cutis ſicca et aſpera, rubor faciei in pallorem mox vergens, labiorum liuor, oculorum vigor deiectus, urina cruda et turbida, aluus ſegnis, pulſus paruus, animus mox triſtis, mox hilaris, tandem conuulſiones ſequutae ſunt horrendae, ut corpus vix teneri ab aliquot hominibus poſſet; inde vero pectus valde diſtendebatur, ut abdomen fere planum euaderet. Poſt aegra manſit ſine motu et reſpiratione et pulſu ſenſibili, oculis fixis et ferocibus, facieque plenius colorata; mox pectus a ſua diſtentione ceſſauit, ſed frequentes et citatae ſe exceperunt in- et exſpirationes; tranquillior dein reddita modo riſum et cachinnos, modo ſuſpiria edidit, ſubito furibunda pectus dilacerare, capillos euellere, capite contra muros allidere tentauit; tandem poſt unam duasue horas et haec ceſſarunt mala, et mens rediit; dolores vero plus minus inſignes ſuperſtites per aliquot dies fuerunt. Tanta paroxyſmi violentia medicamentis locum prorſus non dedit, ſed in interuallis plus minus longis remedia attulit Noſter, quo ſequentem paroxyſmum vel auerteret vel certe mitigaret. In delectu medicamentorum, non ad menſtruorum vitia, quae copioſe ſatis fluxerunt, ſed ad neruorum nimiam ſenſibilitatem reſpiciens, opiata exhibuit et ſopientia; haec vero nimis tarde operationem ſuam abſoluerunt, et nouae ſemper rediere acceſſiones. Tandem quum obſeruaret Cl. BERRYAT p. 456.

easdem exacte coincidere cum barometri eleuatione, in primis si hoc ab uno extremo ad alterum adscendisset, hoc usus est remedio et ad praeuidendas accessiones et ad deligenda medicamenta efficaciora iis, quibus alias aegra uteretur. Hinc quando eleuatio insignis barometri obseruata fuit, Noster prohibuit solidorum ciborum usum, et auxit dosin antispasmodicorum, eamque, quando ad 28 digitos adscendebat, duplicatam vel triplicatam dedit, nimirum 30 guttas anodynas dictas vel tincturae castorei cum aqua melissae et syrupo chinae. Hac ratione paroxysmi auersi fuere, et intermissiones liberaliores factae, ut tunc aliis simul datis remediis demulcentibus, sanguinis acrimonia sensim corrigi et neruorum sensibilitas sopiri potuerit, et aegra iam per annum secunda iterum gaudeat valetudine. Plures obseruationes eiusmodi Noster fatetur se feciſſe cum effectibus remediorum, ab aeris vicissitudinibus mutatis, et addit illud monitum, medicum nimirum, si ab exhibitis medicamentis bonos exspectet effectus, in primis cognoscere debere aegri dispositionem morbosam, atque huic sese accommodare tam ratione doseos remediorum, quam ratione temporis, quo haec exhibeat, hinc vero attentius ipsi obseruandas esse mutationes, quas ille pati possit, et signa, quae illas praenuntient. Subiungit Noster exemplum purgantium medicamentorum, quae affirmat mitius, sed efficaciter, agere pluuioso tempore, quam alio, eorumque imminui posse dosin, sine imminuta vi et efficacia; id. quod omnino Nostro videtur esse res magni momenti. Quod vero de purgantibus valet, ad alia quoque remediorum genera applicari potest.

p. 461. 55) *Obseruationes de ephemeris, pulicibus et gallis resinosis pini* tradit Cl. DE GEER. In tres partes abit tractatio. 1. Ephemerarum coeundi rationem exponit, eam nempe in aliqua maiori specie, cuius sexum

ſexum icone exprimit, a nemine obſeruatam, ſemet ipſum obſeruaſſe adfirmat, variaque ad viuendi, ouula ponendi, aliaque modum explicat Noſter. Haec ſpecies cauda inſtruitur triſeta, ventre maculis triangularibus nigris inſtructo, pedibus duobus anterioribus in mare longis atque rigidis. 2. De pulicibus p. 469. pruni eorumque coitu in ſpecie diſſerit. Ex variis patuit obſeruationibus duas dari diuerſas ſpecies, alatam et non alatam, utriusque eſſe et mares et feminas, utramque inter ſe congreſſas fuiſſe teſtatur experientia, ſimulque conſtitit, feminas prius extare, deinde mares, coniunctionem non niſo auctumno fieri, eaque foecundationem propagari ad prolem, porro feminas vere viuiparas, auctumno ouiparas eſſe. 3. Deſcribit gallas reſinoſas pini, in quibus erucae habitant. Earum quidem, ſed leuiter iam Cl. FRISCHIVS olim mentionem iniecit. Hae gallae formam lacrymarum gummoſarum habent, et vera, ut per experimenta edoctus fuit Noſter, concreta ſunt reſinoſa. In earum medio cauo eruca breuis, ſex lineas circiter longa, haeret, colore ex fuſco flaueſcente. Caput et annulus primus obſcurioris coloris ſunt, ſedecim pedes habet, glabraque conſpicitur. Nutrimentum ex terebinthinaceo arboris ſucco quaerunt, de qua re magis adhuc conuictus fuit Cl. Auctor, quod haec inſecta prae omnibus aliis odorem oleumque terebinthinae diu ferre ſine vitae incommodo potuerint. Figuris additis cuncta dilucidantur.

56) *Expoſitio theoriae aerem in aqua renouandi,* p. 477. *et ſeparationem particularum in maſſis ſolubilibus inſtituendi per diſſoluentia* tradit Cl. DV TOVR. Nititur argumento, ſi ex aqua aer ſeceſſerit, arte vel natura, nouum ab illa reſorberi, phaenomenaque huc pertinentia recenſet et diiudicat; diſſoluentia nominat corpora, quae continent aerem in ſtatu compreſſionis, atque ſub hac ſpecie in aptos diſſoluendorum

corporum poros introducunt, ut aer, accedente cauſſa eius naturalem elaſticitatem permittente, cum vi aliqua, ſua, quibus retinebatur, vincula ſoluat. Experimenta videntur adhuc plura ſuſcipienda eſſe.

p. 501. 57) *Relatio de laboribus in attollenda naui* le Tojo adhibita a Cl. GOVBERT.

p. 516. 58) *Neceſſitatem corpora, quae per communicationem electrica redduntur, ſeorſim ponendi, et utilitatei, quae in eiusmodi corpora ex vicinia corporum non electricorum redundant*, perpendit Cl. DV TOVR. Multis et ſtudioſe inſtitutis experimentis, quae hic repetere non poſſumus, probat vitrum eiusque laminam tenuem, eſſe praecipuum tale corpus, cuius acceſſu, ſi corpori, electricitatis capaci, imponatur, electricitas augeatur, obiterque cum talco Veneto experimentum Leydenſe inſtitui poſſe monet.

p. 543. 59) *Solutionem duorum problematum geometricorum* exhibet Cl. DE BOSSVT.

p. 557. 60) *Adnotationes de montibus lapidibusque in Prouincia repertis*, adfert Cl. ANGERSTEIN. Recenſet breuiter ea, quae in itinere ipſi obuenerunt, aliquos etiam lapides depingi curauit, additis ſimul in ſubiectis notis deſcriptionibus earum rerum, quae obſcuriores videri poterant. De his vero, ni cuncta repetere vellemus, vix referre iuuabit, licet non negemus, variam terrarum, ibidem occurrentium, ſtratorum notitiam inde haberi poſſe.

p. 565. 61) *Commentarius de methodo, aurum, quod ligno ſuperinductum erat mediante glutine, denuo ſeparandi*, auctore Cl. MONTAMY. Duplex hic artificium deſcribitur, unum a Cl. Auctore adhibitum, quod aliquam auri particulam, non plane exſolutam, relinquit, alterum a Cl. ROVELLE inuentum, quo omnis auri maſſa poteſt obtineri. Poſterius, ut operoſius, panem lucri, ſi laborem aeſtimamus, relinquit, prius vero, etſi auri pars perdatur, ratione lucri

cri praeferri meretur. Conſiſtit autem in eo, ut ligna, auro obducta, in ebullientem aquam immergantur, quo maſſa, quae fundamentum obducendo auro praebet, emolliatur, hanc *l' aſſiéte* vocat, eam deinceps adhibitis ſetis, aqua humectatis, ſeparat, maſſam exſiccat, in furnum docimaſticum immittit, fundit, trituratione facta cum mercurio in amalgama conuertit, eluit, per corium transprimit, mercurium euaporatione diſſipat, aurumque obtinet, tandem vero calculo ducto, quale laboris lucrum ſit, definit.

62) *De proportione ſceleti humani, a tenerrima eius aetate, ad annum viceſimum quintum, ſexageſimum et ultra*, diſſerit Cl. SVE Anat. Prof. in Schola Chirurgor. et Acad. pictorum. p. 572.

Magni momenti eſt proportionis, in corpore humano, certae conſideratio, quae multum faceſſit negotii, cum laude ſuſcepta a Cl. Auctore. Incipit itaque ab embryone ſex ſeptimanarum, quo demum tempore regularem figuram indipiſcuntur, pergendo per reliquas aetates. En, quum tabulas propoſitas, proportiones indicantes, deſcribere non poſſimus, aliquas tantum obſeruationes adducere ſufficiet. Menſura corporis inſtituitur a vertice ad plantam pedis, deinde trunci a vertice ad oſſium pubis ſymphyſin, extremitatum ſuperiorum ab acromio ad extremos digitos, inferiorum autem extremitatum a ſymphyſi oſſium pubis ad plantam pedis. Hinc patuit, prima aetate trunci longitudinem ſuperare eam extremorum, extrema ſuperiora inferioribus longiora eſſe, quod a vicini cordis vi prouenire coniicitur. Edito in lucem infante extrema, in primis inferiora plus increſcere, deinde viceſimo circiter quinto anno marginem oſſium peluis centrum longitudinis conſtituere: ab ea aetate, niſi in ſpecialioribus oſſibus varietatem non fieri. Quum autem oſſa in ſenibus coeant atque conereſcant, breuiter ſimul de modo,

quo maxillarum alueoli conferuent, diſquirit et a vicinarum partium preſſione fibras compingi aſſumit Noſter. In ſexu etiam, ratione ſceleti eſt differentia, praeter iam nota itaque obſeruauit, caput femoris in femina non adeo amplum, collum eius magis rectum longiusque, et cauitatem cotyloidem minus profundam deprehendi. Verum, quod in oſſibus varietates occurrunt, eas conſtantes eſſe reperit Cl. Auctor, ut maioris ſtaturae homines non longiora tantum oſſa acceperint, ſed ſaepiſſime etiam ſupernumeraria, ut ſex lumborum vertebras, vel unam oſſi ſacro additam, ut trunci magnitudo extremorum inferiorum longitudinem excedat. Singulare tamen eſt, ſe in omni foetus diſſectione coſtarum ſupernumerariarum originem animaduertiſſe, quae, ſi perfectae fuerint, muſculorum acceſſiones faciunt, et longius pectori ſpatium conſtituunt.

p. 586. 63) *Epitome diſſertationis de mechanico motu pupillae, in qua ſtructura et fibrarum rectarum eius agendi modus diſquiritur.* Auctore Cl. DEMOVRS, M. D.* De fibrarum rectarum pupillae natura varia inter diſſectores opinio, varias condendi opiniones phyſiologis occaſionem ſuppeditauit, earumque ſubtilitas inconſtans, ut RVYSCHII fuerit mens, effeciſſe videtur. Argumentis itaque non leuibus et phaenomenorum obſeruatione ſedula rem conficere ſtuduit Cl. Auctor, primo non muſculoſas, ſed ſecundo elaſticas tantum has fibras eſſe, et hac etiam ex proprietate agere demonſtraturus. Praemiſſa generaliori quadam fibrarum motricium contemplatione concludit, contractionem fibrae motrici violentam, relaxationem ipſi naturalem eſſe. Hinc ſi pupillae dilatatio ſtatus eſt naturalis, non poteſt a contractione ſeu violento ſtatu fibrarum rectarum dependere, quum ſtatus naturalis partis mouendae pendeat a ſtatu naturali inſtrumenti

* Lecta d. 22. Iul. 1750.

menti mouentis. Ergo fibrae illae non muſculoſae ſunt. Porro ſi fibrae circulares et rectae pariter muſculoſae ſunt, harum contractio non poſſet dilatationem efficere, faciunt autem, et ea propter alius ac muſculoſae ſtructurae ſunt. Pupillae etiam actio non voluntaria eſt, ut a cauſſa, voluntati ſubiecta, excitetur. Si deinde lucis praeſentia, ut per experientiam conſtat, ſpiritum allicit fibris circularibus contrahendis, an eius abſentia impellet in fibras rectas? Etſi autem his argumentis muſculoſa fibrarum rectarum fabrica negatur, obiici tamen poteſt, relaxatas muſculi fibras elaſticas eſſe, et hinc hac ſua proprietate dilatationi praeeſſe. At poſito, fibras rectas muſculoſas ſimulque elaſticas aſſumi, probari poteſt, eius modi ſubſequi debere pupillae dilatationem, quae a muſculari vi nunquam praeſtatur, immo numerum earum et exinde agendi vim, circulares, quas aſſumunt, ita ſuperare, ut his reagendi virtus nulla ſuperſit. Eadem valent, ſi cum RVYSCHIO eas tendinoſas aſſumſeris fibras. Quum praeter ea fibrarum carnearum non habeant colorem, ſed albidae cum neruis magis conueniant, politae et rotundae magis ſint ac muſculoſae, eas mere elaſticas dicendas eſſe arguit Cl. Auctor, quippe quae a voluntate non regantur, ſed ſponte ſua reſiliant, donec a violentiori cauſſa eorum elaſtica contractio imminuatur. Hanc cauſſam continet actio fibrarum circularium. Huius explicationis confirmandae cauſſa iubet nos reſpicere ad ea, quae in pupilla per lucem validam, etiam in aegroto oculo, contingunt, tunc enim prima facta contractione repentina, quae ſcilicet elaſticam fibrarum rectarum virtutem ſuperat, paululum remittit pupilla et dilatatur ad certum quendam gradum, in quo conſiſtit. Sed, ſi et fibrae orbiculares muſculoſae non ſunt?

p. 598. 64) *Commentarius de trunco arboris petrefactae inuentae in montibus, quae circa Stampas occurrunt,* propoſitus a Cl. CLOZIER. Duo ſunt, in hocce commentario praecipue attendenda momenta, alterum, quod ipſam arborem inuentam concernit, alterum vero, quod petrificationis naturam illuſtrat. Etenim magno demum labore et ſaepe iterata perſcrutatione inuenit truncum arboris, eiusque radicem aliquam, quinque pedes longam, et alias breuiores. Trunci ipſius peripheria ſex pedes complebat, altitudo circiter trium erat pedum, pondus quinque vel ſex centum librarum. Monſtrabat ille omnes partes conſtituentes accurate, corticem, alburnum, duramque ligni ſubſtantiam. Erat in uniuerſum in lapidem admodum durum variegatum conuerſa, qui ſcintillas ex ferro eliciebat, ſulphureumque ſpargebat odorem. Occurrebat ille ad horizontem poſitus, quare putat Cl. Auctor, hanc arborem forte a ventibus, dum adhuc lignum erat, diutam, et trunci hanc partem in terra fuiſſe relictam, eſſeque carpinum, cum qua proxime eam conuenire ex ligni comparatione didicit, conuenientiam quoque multis notis adductis confirmat. Porro ex radice, quae recta deſcendit in terram, atque ex ſtratis ſabuli et terrae, ubique ſibi reſpondentibus, arborem in eodem, in quo inuentus eſt loco, fuiſſe enatam, magna cum probabilitate coniicit.

p. 603. Petrificationis autem normam videtur natura retinuiſſe eandem, quam in aliis ſeruat corporibus, nempe, ut aſſerit Noſter, uſa eſt in hunc finem vena aquae. Dicit enim ſe illam reperiſſe inter ſtratum cretae et margae ſubtilioris, atque argillae fuſcae. Sub hoc ad trium pedum profunditatem ſtratum ſabuli erat nigri, itemque ſub ſtrato cretae. Hanc ſucceſſionem quoque reliqua montis ſubſtantia in aliis locis conſpiciendam praebebat. Ab aqua itaque accedente putat ex his ſtratis ſubtiliores particulas

las reſolutas fuiſſe, ex quibus, cum aliquae interſint metallicae, talcoſae, ſulphureae et ſalinae, has quoque aquae ope fuiſſe adductas, materiamque lapidi gignendo aptam inde extitiſſe, eo tantum modo diuerſam, quod variae arboris partes ſolidiores fuerunt vel magis poroſae. Ex qua demonſtratione non inconcinne ſequi arbitratur, poſſe lignum in lapidem verti.

65) *Latitudinem Podor, ex meridiano* definit Cl. ADANSON. p. 605.

66) *Pleyadum ſitus* determinat, atque in mappa proponit Cl. Abb. OVTHIER. p. 607.

67) *Obſeruationes meteorologicas Toloſae anno* 1750. *factas* recenſet Cl. MARCORELLE. p. 609. Definit autem non modo quantitatem pluuiae, quae anno dicto copioſior deciderat, et eleuationem thermometri ac barometri, et acus magneticae declinationes, ſed etiam terrae motum Toloſae maio menſe perceptum, ac carnem bubulam et veruecinam lucentem phoſphori ad inſtar, et vaporem teterrimum, e puteo, quem effodiendum curauit ciuis quidam Toloſanus, egredientem, omnem candelarum carbonumue extinguentem flammam, nigroque colore tingentem lintea operariorum, deſcribit. Addidit etiam generalem recenſionem prouentuum terrae illius anni, ut frumenti, auenae, tritici, milii, leguminum, fructuum horaeorum, vini; quin et qualis ferarum, apum, bombycum et aliorum brutorum domeſticorum hoc anno fuerit conditio, exponit; morborum tandem epidemicorum ſubnectens hiſtoriam eodem anno graſſantium.

XIII.

XIII.

Noua phyſico-medica.

Doctores et Profeſſores medicinam docentes in Academia Piſana. *

Exc. D. RAINERIVS BVONAPARTE, Miniatenſis, Profeſſor Medicinae Theoreticae Ordinarius.

Exc. D. IOSEH. TADDEI, Piſanus, Prof. Med. Theoret. Ordin.

Exc. D. CHRISTOPHORVS THEODORVS VERZANIVS, Bargaeus, Prof. Med. Practicae Ordin.

Exc. D. ANGELVS GATTI, Mugellanus, Prof. Med. Theoret. Extraordinarius.

Exc. D. ANTONIVS COCCHI, Florentinus, Prof. Anatomes Ordin.

Exc. D. DOMINICVS BROGIANI, Florentinus, Prof. Anatomes Ord.

Exc. D. ANGELVS ATTILIVS TILLI a Caſtro Florentino, Prof. Botanices Ordinarius.

His ex philoſophorum ordine adiungendi ſunt:

Exc. D IOANNES ALBERTVS DE SORIA, Liburnenſis, Prof. Phyſices Ordinarius.

Adm.

* Quae olim de Profeſſoribus Medicis Romanis atque Bononienſibus monuimus, Comment. noſtr. Vol. V. P. I. p. 172, hic quoque loci valent de Piſanis, quos nimirum eodem modo citamus ex catalogo praelectionum publicarum per annum ſuperiorem 1757 habitarum, quo ipſos ibidem deprehendimus nominatos; ideoque aſſerere non poſſumus, num aliis ſimul fungantur muneribus illi Viri Clariſſimi; et, an ſuo, quo interſunt collegio, an alio ordine enumerati ſint?

Adm. R. P. M. D. CLAVDIVS FROMOND, Cremonenſis, Ordinis Camaldulenſis, Prof. Phyſices Ord.

Exc. D. BARTHOLOMAEVS BIANVCCIVS de Monte Carolo, Prof. Phyſices Ord.

Reuerendiſſimus P. M. D. CAELESTINVS ROLLIVS, Aletinus, Abbas Ordinis Caeleſtinorum, Prof. Phyſices Extraordinarius; emeritus.

Exc. D. CAROLVS GVADAGNI, Florentinus, Prof. Phyſices Experimentalis Extraordinarius.

Ad ſectiones tandem *anatomicas:*

D. VENANTIVS NISI, Sophienſis.

In ſolenni, ſuperiore anno 1757 die ſexto ſeptembris ſtyli veteris, habito conuentu nouam propoſuit quaeſtionem Imperialis Scientiarum Academia *Petropolitana*, cuius optimae ſolutioni centum aureorum praemium promittitur anno 1759 adiudicandum: *Sexum* nimirum *plantarum argumentis et experimentis nouis, praeter adhuc iam cognita, vel corroborare, vel impugnare, praemiſſa expoſitione hiſtorica et phyſica omnium plantae partium, quae aliquid ad foecundationem et perfectionem ſeminis et fructus conferre creduntur. Praemium itaque, et ſexum plantarum defendentibus, et impugnantibus, offertur.* Duo igitur praemia eodem anno exhibebit Ill. Academia, quum terminus explicandae illius quaeſtionis *de motibus diurnis planetarum circum axes proprios, in primis veneris vertiginem* anno 1757 dicatae, neque adhuc ex voluntate Academiae ſolutae *, in eundem annum prolongatus ſit. Argumentum autem *de magnetibus* huic anno 1758 manet adhuc praefixum.

Praemium,

* Comment. noſtr. Vol. V. P. III. p. 545.

Praemium, quod praegreſſo anno 1757 praefixerat *Burdigalenſis* Scientiarum Academia, de effectibus nimirum, quos atmoſphaera habeat in vegetabilium prouentum *, aſſignatum nuper fuit diſſertationi auctoris adhuc incogniti, qui ſymboli loco his verbis uſus fuit: *Laetantur ſegetes coeli terraeque fauore.*

Alterum praemium, quod eodem anno diſtribuere voluerat Ill. haec Academia **, de optima vineae deputandae ratione, tum quoad diuerſa vitis genera, tum diuerſum, quo ea colitur, ſolum, alii anno reſeruare iterum coacta eſt, ita, ut nunc anno futuro 1759 nouiter ſuper hoc argumento ad ſe miſſas commentationes diiudicare ſe velle declaret: quem in finem illius diſſertationis, cui verba: *ut vitibus uuae, ſic decus omne tuis*, addita ſunt, auctorem rogat, velit ſuas continuare obſeruationes eaque negligere, quae finem ſuum immediate non attineant.

De altera, eidem anno 1759 iam alio tempore propoſita quaeſtione, de optima nimirum quercus colendi ratione, iam ſupra dictum a nobis fuit ***.

De iis porro, huic, quem agimus, anno 1758 praefixis theſibus, una **** nimirum de optimo diuerſas terrarum qualitates cognoſcendi modo in agriculturae uſum, altera ***** de adminiculis in ſiccioribus locis efficiendi prata, quum eas iam indicauerimus, non eſt, cur denuo aliquid repetamus.

Vltima porro eaque noua quaeſtio ad annum 1760 pertinens, quam eruditorum induſtriae exhibet Ill. illa Academia, ita ſe habet, ut per obſeruationes atque experientiam determinetur: num aliqua ſit

* l. c. Vol. V. P. I. p. 176.
** l. c. ibidem.
*** l. c. Vol. VI. P. I. p. 173.
**** ibidem.
***** l. c. Vol. V. P. I. 176.

ſit lunae vis et in vegetabilium incrementum, (*vegetation*) et in oeconomiam animalem?

Regia artis chirurgicae Academia *Pariſienſis* in publico conuentu, ſuperiore anno 1757 die viceſimo primo aprilis habito, declarauit, duodecim quidem ſe accepiſſe commentarios ſuper propoſito de ſuſcipienda femoris ex ipſo articulo exciſione argumento *; ex quibus vero nullum ſuae prorſus expectationi feciſſe ſatis; unum quidem, operationem iſtam fieri umquam poſſe negantem, ſine dubio reportaturum fuiſſe praemium, dum modo cuncta circa hanc quaeſtionem oriunda dubia in eo fuiſſent ſoluta ipſaque aſſertio ita ſe habuiſſet, ut nulli amplius dubitationi locus relinqueretur. Hoc igitur conſilium illuſtris illa cepit Academia, ut idem argumentum, duplicato praemio, quod anno futuro 1759 exhibituram ſe eſſe promittit, eruditorum proponat diſquiſitioni, ita, ut vel nouae ideo ad ipſam mittendae diſſertationes, vel priores, nunc autem emendatae denuoque deſcriptae, ante finem huius, quem agimus, anni 1758 perpetuo Academiae Secretario, Cl. MORAND, tradantur; impenſis tamen, curſus publici nomine faciendis, ab auctore quolibet ſolutis.

De arſenico, num primum atque verum ſit metallorum principium? an aliqua per excretionem quandam facta ſubſtantia? quaeſtionem praemio, ſuperiori anno 1757 dicato, propoſitam fuiſſe a Regia Scientiarum Academia *Berolinenſi*, ſuo tempore commemorauimus **. Quum vero commentarii ſuper hoc argumento ad modo dictam Academiam miſſi non ſatis ipſi fecerint, eandem quaeſtionem anno futuro

* l. c. Vol. V. P. I. p. 174.

** l. c. Vol. IV. P. III. p. 549.

turo 1759 praefixam eſſe debere illa declarauit, hac ſimul praeſcripta lege, ut vel nouae vel tantum reuiſae atque emendatae commentationes ante primum diem iunii nunc modo dicti anni ipſi tradantur.

Regia, quae *Gottingae* floret, Scientiarum Societas in ultimo, quem celebrauit nuper die viceſimo ſexto nouembris, conuentu praemium mathematicae quaeſtioni propoſitum adiudicare quidem potuit nemini; illud vero quinquaginta imperialium, quod ex Gottingenſibus viris doctis illi quotannis offert, qui diſſertatione cuiuslibet argumenti Societati exhibita, applauſum ipſius promeruerit, hac vice doctiſſimo commentario Viri Cl. ALBERTI LVDOVICI FREDERICI MEISTERI, Philoſophiae Artiumque Magiſtri decreuit, in quo is *obſeruationes varias circa viſum et oculum inſtitutas* communicauit.

Alterius autem claſſis, oeconomicae nimirum, praemium reportauit iterum Vir dexterrimus, NICOLAVS KVLENCAMP, Bremae degens *. Quaeſtio exhibita haec fuit: Quanam ratione ex iſatide confici queat color ab illo caeruleo, Indigo dicto, propior?

Nouam porro primae claſſis iamque phyſici argumenti quaeſtionem ad annum 1759 referendam tum quoque temporis exhibuit Ill. eadem Societas: Quum enim per experimenta ſatis certa conſtet, ex incuruo ſiphone, aqua vel alio quodam eiusdem circiter grauitatis ſpecificae liquore pleno, in ſpatio ab omni aere ſolertiſſime quidem vacuo facto, contentum tamen liquorem effluere, dum modo error omnis euitetur in tentamine, quaeritur: Quaenam vera huius phaenomeni cauſſa ſit, numque eadem in ſimilibus quidem, at maioribus, machinis locum habeat?

Binas

* l. c. Vol. VI. P. I. p. 176.

Binas oeconomicas, ad hunc, quem viuimus, annum 1758 pertinentes quaeſtiones, iam olim a nobis commemoratas *, denuo iam repetitas exhibuit eadem Societas.

In eodem inſuper conuentu Viri Cll. CAROLVS BONNET, Londinenſis ſcientiarum Societatis atque Bononienſis Inſtituti Socius, atque PHILIPPVS FRIDERICVS GMELIN, Botanices atque Chemiae Profeſſor Tubingenſis; et in alio paulo poſt celebrato Viri Cll. NICOLAVS LVDOVICVS DE LA CAILLE, Matheſeos et Academiae Scientiarum Pariſienſis Aſtronomus, atque PETRVS GABRY, Phyſices atque Aſtronomiae Profeſſor, Hagae Comitum degens, in eorum recepti fuere numerum, quibuscum litterarum habet commercium Illuſtris eadem Societas.

Bononiae ab Inſtituto et Academia ſcientiarum et artium ibidem florente, anno praegreſſo 1757 die decimo ſexto menſis iunii in numerum Academicorum recepti fuere Viri Cll. XAVERIVS MANETTI, Caeſarei horti botanici Florentini Inſpector et Academiae, quae phyſices atque botanices incremento ſtudet Florentiae, Secretarius, porro STEPHANVS HALES atque ROB. BRADLEY, uterque Anglus ſcriptis ſuis phyſicis inter viros doctos ſatis cognitus.

Idem quoque Cl. MANETTI, quem inter amicos noſtros referre nos poſſe laetamur, paulo antea a Regia Scientiarum Societate Londinenſi Sociorum ipſius claſſi adſcriptus fuit.

Permultos, quorum obitum adhuc indicare debemus, eſſe Viros clariſſimos, vehementer dolemus.

Primum

* l. c. Vol. V. P. IV. p. 722.

Primum ex iis nominamus Cl. LOEFLING, qui ab Academia Scientiarum Holmienſi in meridionales Americae prouincias miſſus fuerat, ut hiſtoriae naturalis theſauros ibi reperiundos inueſtigaret, colligeret cumque dicta Academia communicaret. Illud autem commune fere fatum, quo eruditi in valde diſſitas regiones abeuntes, coelo viuendique ratione mutatis, ab itineris iniuriis facilius opprimi ſolent, optimus etiam ille Vir expertus, inque ſuo itinere anno iam ſuperiore 1757 menſe februario morte nimis praematura ſublatus fuit. Quantum inde detrimenti ceperint et patria ipſius et omnes hiſtoriae naturalis cultores, ex eo colligere licet, quod inſignes iam fructus Suecia percipiat ex illo itinere, quod eundem in finem ante aliquot annos in ſuperiores Americae regiones ſuſceperat Cl. PETRVS KALMIVS, in Aböenſi Academia iam praeter alias doctrinas medicas, ea, quae ad uniuerſam oeconomiam pertinent, cum laude docens. Similem quoque nec minus grauem iacturam feciſſe olim Holmienſem Academiam merito hic loci recordamur, obitu nempe FRIDERICI HASSELQVIST, Smirnae in Natolia anno huius ſeculi quinquageſimo demortui, uti ſuo tempore retulimus *.

Meldorffii in Ditmarſia, quae ducatus Holſatiae eſt prouincia, die decimo tertio menſis iunii anno 1757 viuere deſiit IOANNES SAMVEL CARL, Med. Licentiatus, Sereniſſ. Daniae Regis, CHRISTIANI ſexti, dum viueret, Archiater Primarius et Conſiliarius Iuſtitiae, Imper. Acad. Nat. Curioſ. Socius, duorum et octoginta annorum aetatem adeptus, de cuius vita atque numeroſis ſcriptis tum ad artem medicam, cum ad theologiam pertinentibus, aliqua enarrantur a Cl. FRID. BOERNERO in relatio-

* l. c. Vol. I. P. III. p. 530.

relationibus de vita et ſcriptis medicorum iam viuentium *.

Pragae eodem anno 1757 die viceſimo primo iulii, aetatis ſuae anno ſexageſimo quinto e viuis diſceſſit IOANNES IGNATIVS MAYER DE MAYERSBACH, Phil. et Med. Doct. Sacr. Caeſar. Reg. Maieſt. Conſiliarius et Perſonae Medicus, Norimbergenſis Aſſiſtens, Praxeos Profeſſor Primar. Reg. Publ. Ord. Facultatis Medicae Senior.

Eodem anno, die octobris decimo octauo, Vir magni nominis multorumque, in primis circa inſectorum hiſtoriam, meritorum obiit RENATVS ANTONIVS FERCHAVD DE REAVMVR, Reg. Scient. Academiae Pariſienſis, Reg. Scient. Societatis Londinenſis, Acadd. Petropolitanae, Berolinenſis, Holmienſis et Inſtituti Bononienſis Socius, Ordinisque militaris a S. LVDOVICO dicti Inſpector et Prouiſor (*Intendant et Commandeur*) aetatem ſeptuaginta ſex annorum conſecutus. Vberiorem de vita eius cum laude acta ad nos datum iri ſperamus notitiam, quam ſuo tempore lectoribus noſtris exhibere non intermittemus.

In *Ienenſi* porro Academia diem ſuum obiit IOANNES WOLFFGANG WEDEL, Med. D. Sereniſſ. Ducis Saxo-Vinarienſis Conſiliarius Aulicus, qui medio iam praegreſſo anno 1757, die nimirum undecimo menſis iulii a graui apoplexia correptus eidem ſuccubuit. Ea is gauiſus fuerat felicitate, ut ex gente et meritis et fama celebri facta oriretur. Quis enim

* *Nachrichten von den vornehmſten Lebensumſtaenden und Schriften jeztlebender berühmter Aerzte und Naturforſcher. Wolfenbüttel*, 1752. 8. *Zweyter Band.* p. 334.

enim medicorum ignorat merita viri, dum viueret, celeberrimi, GEORGII WOLFFGANG WEDEL, Medicinae Profeſſoris, qui Ienenſis Academiae ſuo tempore verum erat decus? Duos ille reliquerat filios, virtutes ipſius aemulantes: unum, IOANNEM ADOLPHVM, patrem in muneribus academicis ſequentem; alterum, IOANNEM WOLFFGANG, cuius iam iam indicauimus obitum. Natus erat Noſter Ienae anno huius ſeculi octauo, die quarto nouembris. Priuatis ab initio uſus praeceptoribus, in gymnaſium paulo poſt Ilefeldenſe, deinque in illud, quod Altenburgi floret, ductus, ibi a NICOLAO KRIEGKENS, hic vero loci a IOANNE HENRICO ACKER, viris adoleſcentes bonas artes cum laude docentibus, erudiebatur. Quum vero laetos citosque in utraque hac muſarum ſede feciſſet progreſſus, anno iam ſeculi viceſimo quinto in patriam reuerſus academiam clariſſimorum viuorum ſcholas frequentabat; KOELERI nimirum in philoſophicis; HAMBERGERI in phyſicis, mathematicis atque medicis; fratris natu maioris, IOAN. WOLFFGANG, TEICHMEYERI atque HILSCHERI in omnibus reliquis ſcientiis, quae medicum faciunt ornantque. Totius itaque medicinae ambitum emenſus anno ſeculi triceſimo quinto Medici Doctoris honoribus exornabatur, quum antea ſub praeſidio fratris publice defendiſſet diſſertationem inauguralem *de mictu cruento*. Botanices in primis ſtudio delectatus, illam prae reliquis medicinae partibus excolebat artisque medicae ſtudioſos docebat. Quem in finem hortum inſtruebat ſic dictum botanicum et plantis quoque data opera, neque minoribus factis impenſis, undiquaque collectis, locupletabat. Quo etiam fiebat, ut librum aliquem ſingularem conſcriberet, *tentamen* quippe *botanicum flores plantarum in claſſes, genera ſuperiora et inferiora per characteres ex ipſis floribus aliisque fructificationis partibus deſumtos*, quod prima vice anno

1744

1744, altera vero 1749, Ienae in forma, quam dicunt quartam, edebat, in cuius deinde defenſionem contra non nullas ipſi factas animaduerſiones epiſtolam ad Virum Ill ALBERTVM DE HALLER datam, cum orbe erudito communicabat. In exarando inſuper *lexico botanico* per plures annos deſudauit, quo autem in labore per inopinatam mortem impeditus fuit. In ſtudii vero laborumque praemium non ſolum a non nullis ſocietatibus litterariis recipiebatur inter ſocios, ſed etiam anno 1751 Conſiliarii Aulici titulo a Ser. ſuo Principe cohoneſtabatur. Duplex inierat matrimonium; primum cum lectiſſima virgine, STEVDINGII, Ienenſis ciuitatis ſecretarii, filia; alterum poſt illam demortuam, cum ornatiſſima celeberrimi illius medici Ienenſis, TEICHMEYERI, vidua, ex *Müllerіana* gente orta, unde praeter binas filias totidem quoque filios reliquit, GEORG. WOLFFGANG nimirum et AVGVSTVM CHRISTIANVM, quos patris auique veſtigia olim ſecuturos eſſe ſperamus.

Gottingenſis Academia nimis praematuram mortem luget Viri meritiſſimi, IOANNIS GODOFREDI BRENDEL Phil. et Med. D. Ser. Magnae Britanniae Regis et Electoris Brunſuicenſis Archiatri, Med. Prof. Publ. Ord. qui nuper die decimo octauo menſis ianuarii, hoc, quem agimus, anno 1758 acuta febre catarrhali extinctus fuit, ſeptimum modo et quadrageſimum aetatis annum agens, de cuius vita atque meritis alio adhuc tempore plura differendi habebimus opportunitatem.

De arte obſtetricia librum ſingularem IOANNIS EHRENFRIED THEBESII nuperrime lectoribus noſtris expoſuimus *. Plura quidem adhuc ad partem

* vid. ſupra pag. 340.

in primis medicinae clinicam pertinentia ab eodem auctore expectare poteramus: ſed praeter opinionem rebus humanis nuper die quinto februarii ereptum eſſe virum doctiſſimum, accipimus. Quum dignus ille omnino fuerit, cuius memoria conſeruetur, in nullo autem libro, quantum nos quidem ſcimus, huius facta ſit mentio; ſequentem ipſius vitae deſcriptionem, quam ab amico beati Viri, Cl. IOANNE CHRISTIANO LEVSCHNERO, Hirſchbergenſis gymnaſii Rectore meritiſſimo, exarata nobisque rogantibus miſſa fuit, cum lectoribus noſtris eo lubentius communicamus immutatam, quo illam elegantius conſcriptam, et veritati aeque ac meritis b. THEBESII conuenientiorem deprehendimus.

Lucem vidit THEBESIVS noſter Hirſchbergae die quinto decembris anno 1717 patre ADAMO CHRISTIANO, medico artis ſuae peritiſſimo. In quo igitur cum patre ingenuo, eruditoque ac diligenti Noſter uteretur, mirum profecto non eſſe arbitror, maturius eum ſe Noſtrum iam oſtendiſſe, de quo ſpem inire prorſus egregiam optimus quisque haud dubitaret. In domeſticis autem praeceptoribus uno uſus praecipuo eſt, ZINDLERO ſcilicet, qui poſthaec in finibus Luſatiae intra Gebhardsdorfenſes curam ſacrorum ſuſcepit, et cuius fidem ſemper et dexteritatem in primis laudauit. Ab hoc enim fideliter ad ſtudia humanitatis informatus ita profecit, ut, quum puer undecim annos natus adire Lyceum patriae conſtituiſſet, STEINBRECHERVS, qui ſcholae tunc Rector magna cum laude praeerat, ipſum dignum cenſeret, quem primi ordinis diſcipulis adſcriberet. A quo quidem tempore in STEINBRECHERO, WEINMANNO, GROSIAHNO nactus magiſtros eſt eruditos fideliſſimosque. Plurimum tamen ex ADOLPHI et NEVNHERZII, cuius venerandi utriusque viri iucunda inter nos adhuc memoria

moria eſt, doctrinis ſe profeciſſe, ſaepius THEBESIVM meum audire praedicantem memini. Optimo tamen parente ad ſuperos euocato anno 1732 LVGIVM quendam ad ſtudia litterarum iuuanda ſibi aſſociauit, quem comitem etiam habuit, quum a 1733 Berolinum, uberioris doctrinae cauſſa, diſcederet. Quam egregie autem hic doctrinam ſuam auxerit, intellectu facile eſt, quum in ſtudiis litterarum, FRISCHIO, BODENBVRGIO et CHRISTGAVIO, qui ſcholam Traiecti ad Viadrum nunc regit, in ceteris autem ad omnem medicinam pertinentibus, BVDDEO, ELLERO, SENFIO, LVDOLFO, LESSERO, POTTIO et NEVMANNO, Viris celeberrimis uteretur. Neque neglexit ea, quae ad corpus mouendum ornandumque arte, ac linguas addiſcendas exoticas attinebant. Eximiis igitur tum litterarum, tum artis medicae ſubſidiis inſtructus anno 1735 florentiſſimam Lipſienſium muſarum ſedem adiit, fratremque unicum, qui adhuc ibidem eo tempore commorabatur, ſub dulciſſimo amoris ſenſu amplexus eſt. Ciuium itaque Academicorum, MENZIO Rectore, adſcriptus numero, ad omnem philoſophiam, addiſcendasque medicae artis diſciplinas, nec tempori, neque operae, nec ſumtibus liberalioribus pepercit. Quinimo delegit ſibi tum in publicis, tum priuatis, tum priuatiſſimis recitationibus audiendis magiſtros et doctores primarios, eruditiſſimosque. In philoſophia enim et phyſica, qua per experimenta in primis docetur, et arte diſputandi, WINCKLERVM, virum ſpectatae fidei, quocum etiam dein arctiſſimum amicitiae vinculum iniit, et per omnem vitam ſanctiſſime ſeruauit. HAVSENIVM vero etiam, huiusque diſcipulum genuinum, HEINSIVM, ut Matheſi excoleretur, audiuit. In medicae artis diſciplinis, Viros illuſtres excellentiſſimosque WALTHERVM, PLATNERVM, HEBENSTREITIVM, QVELMALZIVM, LVDWIGIVMque

VMque ſectatus ſtudioſe omnino eſt, amauit et coluit. PLATNERVM in primis, cuius hospitio et bibliotheca licuit inſtructiſſima uti, et LVDWIGIVM maximopere aeſtimauit, gratiſſimamque, data quauis occaſione, in iſtos mentem probauit. Secundum haec publica etiam aliquoties diſputando ſpecimina edidit et anno 1739 primum in arte ſua gradum cum laude capeſſiuit. Anno inſequenti *ſuper ſalibus* publice per quatriduum e cathedra recitationes ſuas habuit, et paullo poſt pro ſummis in medicina impetrandis honoribus diſſertationem a ſe ſcriptam *de ſomno, ut ſigno*, ſine praeſide defendit. Vnde itinere inſtituto, Freibergam in Hermunduris, et per Bohemiam digreſſus Norimbergam, Altdorfium, Byruthum, Stutgardiam, Tubingam, Argentinam perluſtrauit, ultimoque in loco ultra menſes nouem commoratus eſt. Quantum hic ex doctrina medicorum eruditiſſimorum, nominatim FRIDII, RYSCHII, EISENMANNI, SACHSII, SALZMANNI et aliorum profecerit, ipſe rei eius memor ſaepius collaudauit. Neque adiiſſe igitur Argentinam Noſtrum unquam poenituit. Auguſta Triboccorum poſthac relicta, potiora vidit opida Lotharingiae, Burgundiae et Campaniae, Lutetiamque Pariſiorum menſe iunio anno 1741 peruenit. In ſplendidiſſima hac Francorum regia detineri ſeſe ultra trimeſtre ſpatium paſſus eſt, eo conſilio, ut doctrinae uberioris incrementa caperet. Quo finito quidem temporis ſpatio totum fere Belgium emenſus Lugdunum Batauorum ſalutauit, ibidemque ALBINVM, GAVBIVM et SCHACHTIVM audiuit, viſuque et cognitu digniora perluſtrauit. Academiam quoque Traiecti ad Rhenum celeberrimam inuiſit. Multarum igitur utiliumque rerum cognitione ditatus per Weſtphalos, Hannoueram, Helmaeſtadium, Gottingam et Magdeburgum vidit, viros ubique praeſtantiſſimos conuenit, et tandem Berolinum rediit. Atque in

hac

hac quidem regia ſedem figere ſuam conſtituerat, a CASSEBOHMIO in primis et ELLERO, viris illuſtribus, ad conſilium quod attinebat, egregie confirmatus. Admonitus tamen, ut rei domeſticae quandam haberet rationem, ideoque patriam reuiſeret. Cui obtemperaturus deſiderio, Lipſiam antea et Halas iterum cum ſalutaſſet, Hirſchbergam reuertit, per aliquot tantum hebdomadas hic commoraturus. Rerum quando complures eo tempore decumbebant, epidemica lue correpti, nec paucis Noſter, ope adiutus diuina ſanitatem reddebat, contigit, ut amicorum partim, partim et cognatorum precibus victus et expugnatus, reddere ſe ipſum patriae conſtitueret. Quinimo accedebat phyſici prouincialis munus, quod paullo poſt clementiſſime ſibi demandatum ſuſcepit. Anno dein 1745 collegio regio medico adiuncti prouinciam capeſſere iuſſus eſt, cui peritiſſime praefuit, ita quidem, ut, petita vacatione anno 1751 impetrataque, titulos et ceteras praerogatiuas obtineret. Tum anno 1753 patriae ciuitatis phyſici et praeſidis in collegio eccleſiaſtico munia ſuae commiſſa fidei ſuſcepit et ſingulari dexteritate ornauit. Erat enim haec THEBESII virtus, ut doctrina, ſtudio, diligentia, humanitate, et morum elegantia ſibi neminem non in quocunque munere deuinciret. Vtinam modo diutius deuixiſſet, fuiſſetque in vita ſuperſtes; euocatus tamen eſt e rebus humanis ipſis nonis februarii anno 1758 aetatis quadraginta annorum. In ſcriptis reliquit: Theſes aliquot *de natura ſanguinis*, quas praeſide CHRIST. GOTTL. LVDWIGIO V. Clar. 1739. d. 6 maii defendit: diſſertationem *de ſomno, ut ſigno: de arte obſtetricia* librum ſingularem theotiſce ſcriptum. Plura etiam in manuſcriptis ſuperſunt, quae perluſtraui varii argumenti, maxime autem quod ad praxin clinicam attinet, cuius integra proſtant volumina, nondum digeſta tamen et elaborata.

Inter triſtes bellorum, quae hoc noſtro proh dolor! tempore exarſerunt, calamitates referre quoque debemus morbum iſtum longe lateque graſſantem petechialem, qui permultos ex optimis noſtris ciuibus eripuit, inter quos in primis dolemus mortem viri de uniuerſitate noſtra aeque ac omni eruditorum orbe meriti, IOANNIS ERNESTI HEBENSTREIT, Phil. et Med. Doct. Therapiae Prof. Publ. Ord. Facultatis Medicae Decani, Acad. Decemuiri, Collegii Mai. Princ. Colleg. Lipſienſium Poliatri, Imper. Acad. Nat. Cur. et Societatis litterarum Maſſilienſis ſodalis, qui die quinto menſis decembris anno iam ſuperiore 1757 ab iſto morbo oppreſſus fuit. Memoriam huius Viri paulo longiore meritorum ipſius enarratione conſeruare proxime annitemur.

Paulo poſt, quum iacturam hanc feciſſet Lipſia, aliud detrimentum capiebat morte binorum medicorum, nominis quidem celebritate nondum valde inſignium factorum, Virorum tamen magnae ſpei multique ſtudii atque doctrinae, CHRISTIANI NIMIRUM AMANDI GEBHARDT, Med. Doct. et pauperum a Senatu huius urbis publice conſtituti medici, qui artem corpora humana artificioſe et eleganter diſſecandi optime callens, proſectoris ſic dicti munere in theatro noſtro anatomico per ultimos hos annos cum laude functus fuerat; atque GEORGII GOTTLOB KÜCHELBECKER, Phil. et Med. Doct. qui *de ſpinis plantarum*, iterumque *de ſaponibus* ſuperiore anno 1757 diſputans, iura Doctoris Medici apud uniuerſitatem noſtram ſibi comparauerat, praematura tantum morte in ſuo nobis ulterius inſeruiendi ſtudio impeditus. Obiit ille die viceſimo quarto menſis ianuarii, hic vero die octauo februarii, hoc, quem iam agimus, anno 1758.

Neque

Neque tamen ſatis erat damni, quod noſtra paſſum fuerat Academia. Alium enim Virum, inter viros doctos haud minus celebrem, eripiebat nobis diriſſimi iſtius morbi ſaeuities, SAMVELEM nimirum THEODORVM QVELMALZ, Phil. et Med. Doct. Therap. Prof. P. O. facultatis Med. Decanum, Acad. Decemuirum et Colleg. Mai. Princ. Colleg. quum in locum b. HEBENSTREIT vix dum ſurrogatus fuiſſet. Freibergae, quae urbs circuli in Saxonia metalliferi caput eſt, natus erat anno ſuperioris ſeculi nonageſimo ſexto, die maii undecimo, patre SAMVELE ANDREA, Senatore illius ciuitatis, et, poſtquam in litteras humaniores in gymnaſio patrio incubuerat, Lipſiam ſe conferebat ibique et philoſophorum et medicorum ſcholas diligenter frequentabat. Anno huius ſeculi viceſimo ſecundo prima artis medicae laurea ab ordine noſtro Lipſienſi exornatus, ſequenti anno in Academia Wittembergenſi Philoſophiae Magiſtri honores conſequebatur, cuius iura paulo poſt in Academia noſtra tuebatur Lipſienſi, publice defendens diſſertationem ſuam *de magnete*. Eodem anno 1723 *de diuinationibus medicis*, praeſide MICH. ERN. ETTMÜLLERO, diſputans, Licentiati et paulo poſt Doctoris Medici Lipſienſis titulum et priuilegia impetrabat. Medicinam deinde docens atque faciens anno 1726 Anatomiae et Chirurgiae Profeſſ. P. Extraord. 1737 Phyſiologiae et 1747 Pathologiae ordinarius, paucis vero ante mortem ſeptimanis Therapiae Profeſſor ſuique ordinis Decanus conſtituebatur. Praeter reliquas artis medicae partes, chemiam in primis coluit variaque huic arti attulit incrementa. Plures conſcripſit atque defendit diſſertationes Commercioque litterario Norimbergenſi non nullas inſeruit obſeruationes, quarum catalogum cum vita ipſius auctoris reperies in Cl. BOERNERI *relationibus* iam paulo ſupra citatis. Poſt mortem quoque de academia noſtra optime promeruit, varia teſtamen-

teſtamento legans beneficia, quibus et pauperes medicinae ſtudioſi et indigentes medicorum viduae adiuuentur, et alia academiae noſtrae concilientur emolumenta, ita, ut memoria eius Lipſiae ſacra atque perpetua ſit permanſura.

In horum Virorum locum ſurrogati nunc ſunt Viri Cll. qui ordine ab ipſis erant proximi, ita nimirum, ut Vir Cl. CHRISTIANVS GOTTLIEB LVDWIG, Therap. Prof. P. O. Facultatis Medicae Decanus perpetuus, Academiae Decemuir et Collegii Mai. Princ. Colleg. Vir Cl. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ, Pathologiae Prof. P. P. Facultat. Med. Senior, Acad. Decemuir et Coll. Mai. Princ. Colleg. conſtituti ſint. Munera autem inde vacua facta tradita ſunt Viris Cll. CAROLO FRIDERICO HVNDERTMARK et IOANNI CHRISTOPHORO POHLIO, utrique Medicinae Profeſſori huc usque Extraordinario. Ille ab initio Phyſiologiae, nunc vero poſt b. QVELMALZII obitum Anatomiae et Chirurgiae Prof. P. Ordinarius, munus ſuum auſpicatus nuperrime fuit die viceſimo quinto martii, publice habita oratione *de ſalute ex noſocomiis merito ſuſpecta*, programmate eam ob cauſam edito *de ozaena venerea*; hic vero, Cl. nimirum POHLIVS, Phyſiologiae Prof. P. Ordinarius, prouinciam in ſe delatam ſuſcepit die decimo octauo aprilis, oratione publice dicta *de morbis per expectationem curandis*, ad quam paulo antea inuitauerat programmate *de chyliſicatione*.

Dum haec, quae nunc tradimus, typis iam erant mandata, refertur ad nos obitus Viri Celeberrimi, LAVRENTII HEISTERI, Med. D. Seren. Ducis Brunſuicenſis Conſiliarii Aulici et Medicinae Profeſſoris in Academia Helmſtadienſi, qui die decimo octauo menſis aprilis viuere deſiit *Helmſtadii* quin-

que

que et ſeptuaginta annorum aetatem agens, de cuius vita atque meritis in poſterum plura dicturi ſumus.

XIV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756 prodierunt.

Nouvelles obſervations phyſiques et pratiques ſur le Jardinage et l'Art de planter; avec le Calendrier des Jardiniers; ouvrage traduit de l'Anglois de BRADLEY, enrichi des Figures en taille douce. Tom. III. à Paris, 12.

CHRISTOPH. THEOPHIL. BRAVSER, Diſſ. inaug. An lipothymia, venae ſectioni ſemper ſine aliqua probabili cauſſa ſuperueniens, ab ea abſtinere iubeat? Gottingae, 4.

IOAN. GODOFR. BRENDEL, Diſſ. inaug. de tabeſcentibus ad nares ducenda fluxione, ſuper locis non nullis Hippocratis. Reſp. *Henr. Wilh. Forcke.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de pleuritide vernali et aeſtiuali. Reſp. *Philipp. Henr. Wedemeyer.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de phrenitide. Reſp. *Iuſtus Henr. Ellenberger.* ibid. 4.

Le regne animal diviſé en IX Claſſes, ou méthode contenant la diviſion générale des animaux en IX Claſſes et la diviſion particuliére des deux premiéres Claſſes; ſçavoir de celle des quadrupedes et de celle des cétacées en ordres, ſections, genres et eſpéces; aux quelles on a joint une courte deſcription de chaque eſpéce, avec les citations des Auteurs qui en ont traité, les noms qu'ils leur ont donnés, ceux que leur ont donné les differentes nations et les noms vulgaires, par Mr. BRISSON, Demonſtrateur du Cabinet d'hiſtoire naturelle de Mſr.

Mſr. DE REAVMVR; avec figures en taille douce; à Paris, 4. (*gallice et latine.*)

IOAN. CHRISTOPH. BRODTHAG, Diſſ. inaug. de ſymptomatum habenda ratione in curationibus morborum ad praecauendas complicationes. Halae Magdeburgicae, 4.

IACOB BROVWER, Korte Verhandelingen over het Aderlaaten. Amſteldam, 8.

Recherches hiſtoriques et phyſiques ſur la prétendue diminution des eaux et ſur l'accroiſſement des terres, où l'on examine à fond l'origine et les progrès de cette doctrine tant en Suéde, que hors de ce Royaume; par feu IEAN BROWALL; traduit du Suédois et augmenté de quelques éclairciſſemens par CHARLES ERNEST KLEIN. à Stockholm.

IOHANN BROWALLIVS, *hiſtoriſche und phyſicaliſche Unterſuchung der vorgegebenen Verminderung des Waſſers, und der Vergrößerung der Erde, aus dem Schwediſchen überſetzt, und mit Erläuterungen vermehret von* C. E. KLEIN. *Stockholm*, 8.

The Civil and Natural Hiſtory of Jamaica in three parts; by PATRICK BROWNE. London, fol. c. f.

ERNEST. ANDREAS BÜCHNER, Diſſ. inaug. de diatheſi phlogiſtica ſiue lentore eiusque medendi methodo. Erfordiae, 4.

ANDR. EL. BÜCHNER, Diſſ. inaug. de ſalubritate haemorrhagiarum in mitigandis deliriis. Reſp. *Andr. Simon Schaaf.* Halae Magdeburgicae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens caſum de ſcirrho meſenterii exulcerato. Reſp. *Io. Carol. Ehrenfried Hebenſtreit.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morbis praeteritis quatenus praeſentis cauſſis. Reſp. *Io. Wilhelm. Ellenberger.* ibid. 4.

ANDR. EL. BÜCHNER, Diſſ. inaug. de ventriculi ſub coelo frigido robore maiori. Reſp. *Io. Lud. Albert. Fleiſchmann.* Halae Magdeburgicae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de dolorum ad partum directione naturali. Reſp. *Io. Phil. Ludou. Proebſting*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. med. de motibus criticis caute diiudicandis. Reſp. *Sebaſtian Eberhard Wenckebach.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de difficultate pariendi ex mala conformatione peluis. Reſp. *Daniel Frider. Schiffert.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de prouido emeticorum uſu in morbis acutis contagioſis. Reſp. *Io. Chriſtian. Haſe.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de Indo germanico ſiue colore coeruleo ſolido ex glaſto. Reſp. *Io. Chriſtoph. Ebel.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de incongruo expectorantium uſu frequenti morborum pectoralium cauſſa. Reſp. *Io. Guil. Supprian.* ibid. 4.

IAMES BVRGES, *Nachricht von der Vorbereitung und Behandlung, welche zur Einpfroffung der Blattern nothwendig ſind. Aus dem Engliſchen. Bremen*, 8.

Leçons elémentaires d'Optique ; par Mſr. DE LA CAILLE. à Paris, 8. c. f.

Sull inſenſibilitá ed irritabilitá di alcune parti degli animali, Lettera ſcritta al Signore ALBERTO HALLER; da MARC-ANTONIO CALDANI; Bologna, 4.

Sechs Schreiben von einigen Merkwürdigkeiten der Hollſteiniſchen Gegenden von IOHANN FRIEDERICH CAMERER. *Leipzig*, 4. *m. K.* (*inter alia continent quaedam phyſica in illa regione reperiunda*).

IOSEPH.

IOSEPH. ANTON. CARL, Diſſ. inaug. de Antiſpaſi principali ad tollendas morborum cauſas remedio. Reſp. *Ignat. Xauer. Reutter.* (*Ingolſtadii.*) 4.

In difeſa delli Speziali di Napoli diſſertazione fiſico-medico-chimica ſull'analiſi del vino e dell uſo che ottiene preſto dei chimici il ſuo variato Spirito; di LVCA CARLVCCI; in Napoli, 8.

Traité des eaux minerales de Rouſſillon; par Mſr. CARRERE. à Perpignan, 8.

IOH. FRID. CARTHEVSER, Diſſ. inaug. ſiſtens tractationem compendiariam morborum capitis externi. Reſp. *Ioh. Gottlieb Reimann.* Francofurti ad Viadr. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. exhibens non nulla de ſale ſodae. Reſp. *Wencesl. Gottlob Kahl.* ibid. 4.

CARL WILLHELM CARTHEVSER *Betrachtungen über einige Materien aus der Diät. Hamburg*, 8.

Reflеſſioni fiſico-mediche ſopra di un nuovo Antiliſſo, colle quali, ſecondo l'odierno ſiſtema di teoria pratica medicinale, ſi dimoſtra quanto di vario accader poſſa, riſpetto alla Irofobia, con diverſe ſcoperte di ſegreti; di ALESSANDRO CATANI. In Napoli, 4.

Piſcium, ſerpentum, inſectorum aliorumque non nullorum animalium, nec non plantarum quarundam imagines, quas MARCVS CATESBY in poſteriore parte operis, quo Carolinae, Floridae et Bahamenſium inſularum tradidit hiſtoriam naturalem, deſcripſit. MARCVS CATESBY *Abbildung verſchiedener Fiſche, Schlangen, Inſecten und Pflanzen* etc. *bis* 52 *Blat illuminirt. Nürnberg*, fol. reg.

CORNELIVS CELSVS, in eight books, translated with notes critical and explanatory by IAMES GRIEVE. London, 8.

Auszug aus des Herrn CARL CHAIS *Verſuch einer Vertheydigung der Methode, die Blattern durch die Ein-*

Einpfropffung zu geben; aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Braunſchweig, 8.

Hiſtoire de Paraguay; par M. PIERRE FRANC. XAVIER DE CHARLEVOIX; 3 Voll. à Paris, 4. (*Naturalis hiſtoria illius prouinciae pariter inſerta.*)

Traité des Ecrouelles; par M. CHARMETON; nouvelle edition. à Lyon.

Nouvelle méthode ſûre, courte et facile, pour le traitement des perſonnes attaquées de la Rage. Par le F. CLAVDE DV CHOISEL. à Paris, 12.

NOEL CHOMEL, *oeconomiſches und phyſicaliſches Lexicon; 7ter Theil. Leipzig,* fol.

WILHELM. LVDOV. CHVDEN, Diſſ. inaug. de ſignis foetus viui et mortui. Gottingae, 4.

A diſcourſe on inoculation read before the R. Academie of ſciences by M. *la C.* (CONDAMINE): London, 8. (*Translator Cl.* MATY.)

HENRIC. IOHAN COTTAAR, Diſſ. inaug. de calore vitali. Lugd. Batauor. 4. mai.

Manuel des opérations les plus ordinaires de la Chirurgie, pour l'inſtruction des Eléves Chirurgiens de la marine de l'Ecole de Breſt. Par M. DE COVRCELLES. à Breſt, 8.

HENR. NEPOMVC. CRANZII Commentarius de rupto in partus doloribus a foetu utero. Viennae, 8. mai.

Eiusd. *Einleitung in eine gegründete Hebammenkunſt. Wien,* 8.

GEORG. FRIDERIC. CVRTS, Progr. de Phyſica oeconomica diligentius excolenda. Francof. ad Viadr. 4.

Traité complet de la gonorrhée virulente des hommes et des femmes, où l'on fait voir la différente maniére de la traiter, l'inſuffiſance de la plupart des méthodes, les dangers qu'il y a de negliger cette maladie, et les moyens de diſtinguer dans les femmes les gonorrhées d'avec les fleurs blanches;

ches; ſuivi d'un mémoire ſur la conſtruction et les avantages d'un nouvel inſtrument pour tirer l'urine de la veſſie. Par Mr. DARAN. à Paris, 12 mai.

HENR. FRID. DELIVS, Diſſ. inaug. Obſeruationum medico-chirurgicarum pentas. Reſp. *Ioſeph. Villesavoye*. Erlangae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de purpura rubra et alba cum diarrhoea ac fluxu haemorrhoidali curata. Reſp. *Nicol Daniel Schmoller*. ibid. 4.

IOHANN DANIEL DENSO, *phyſicaliſche Bibliothek: 5tes und 6tes Stück. Roſtock*, 8.

Eiusd. *Sendſchreiben vom Erdbeben*. ibid. 4.

GVIDO DANIEL DESPATVREAVX, Quaeſt. med. An lui venereae hydrargyrus camphoratus? Reſp. *Henr. Mich. Miſſa*. Pariſiis, 4. mai.

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING, Diſſ. inaug. de myopia et presbyopia. Reſp. *Io. Chriſtian. Sulzberger*. Roſtoch. 4.

Eiusd. Diſſ inaug. de operationibus quibusdam chirurgicis temere inſtitutis. Reſp. *Frideric. David. Wilh. Menſching*. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ inaug. de Cambucca PARACELSI. Reſp. *Io. Leonh. Ehlers*. ibid. 4.

IOH. SIM GOTTL. DINKLERS *Abhandlung von den natürlichen Urſachen der Erdbeben. Frankf.* 8.

FRANC. MICH. DISDIER Sarcologie; troiſième, quatr. cinqv. partie. à Paris, 12.

Idem liber in compendium redactus ſub titulis ſequentibus: Spanchnologie abregée ou deſcription ſuccincte des viſceres.

Deſcription ſuccincte des vaiſſeaux, des nerfs et des glandes. ibid.

BALTHASAR EHRHARDTS *oeconomiſche Pflantzen-Hiſtorie, nebſt dem Kerne der Landwirthſchaft, Garten- und Arzneykunſt. 4ter Band. Ulm*, 8.

Eiusd. *libri tomi primi editio noua*. ibid. 8.

IOH.

IOH. THEODOR ELLERS Physiologia et Pathologia medica; *Zwey Theile, herausgegeben von* IOH. CHRISTIAN ZIMMERMANN; *zweyte mit neuen Zusaetzen vermehrte Auflage. Schneeberg*, 8.

Essai sur l'Histoire naturelle des Coralines et d'autres productions marines du même genre, qu'on trouve communement sur les Côtes de la Grande-Bretagne et d'Irlande: auquel on a joint une description d'un grand Polype de Mer pris auprès du Pole Arctique par des pecheurs de baleine pendant l'eté de 1753. Par IEAN ELLIS. Traduit de l'Anglois; à la Haye, 4. c. f.

Idem liber belgice redditus sub titulo: Natuurlyke historie van de Koraalgewassen en andere dergelyke Zeelighaamen, die men gemeenelyk vind op de kusten van Groot-Brittanien en Jerland; benevens eene beschreiving van een grooten Zee-polyp in den Zomer van t' Jaar 1753 by den noordpool door de wal vis vangers gevonden; door IAN ELLIS: Uyt het Engels vertaalt dor IAN TAK; in s' Gravenhage, 4. c. f. (*Binas has editiones integro capite et una tabula legimus auctiores esse redditas editione anglica: describi enim in illo modos, quibus vesiculares Corallinae sese propagent; recitari etiam alias aliquot obseruationes microscopii ope mense iunio 1755 factas*)

C. P ELLIVS, *Untersuchung der im Schwange gehenden Rindviehseuche. Altona und Hamburg*, 4.

Die hellscheinende Brille für diejenigen, welche solche bey gesunden und kranken Tagen nöthig haben, sonderlich durch dieselbe die wahren Aerzte, ihre Nothwendigkeit und hohe Würde, zu erkennen, wie auch der Pfuscher und Quacksalber ihre bösen Werke, wodurch die respective Könige und Fürsten einen unersetzlichen Schaden leiden, und ihre getreuen Unterthanen um die Gesundheit und ihr Geld kommen, folglich vor der von Gott bestimmten Zeit zu Grabe

gebracht werden; aus herzlichem Mitleid und zur Erhaltung der alleredelſten Geſchöpfe Gottes, preſentiret von CHRISTIAN ERNST ENDTERN, Sen. *Hamburg*, 8.

CARL EVELINS *Vergnügen und Nutzen der Gärtnerey; nebſt* IOH. EVELINS *Gärtner-Calender; und* LAVRENCE *Gedanken von allerhand Gartenzierathen; aus dem Engliſchen überſetzt von* THEODOR ARNOLD. *Leipzig*, 8.

IO. ALBERTI EVLERI disquiſitio de cauſſa phyſica electricitatis ab Academia ſcientiarum Imperiali Petropolitana praemio coronata, in publico Academiae conuentu die VI Septembris CIↃ IↃ CCLV; una cum aliis duabus diſſertationibus de eodem argumento. Petropoli, 4. mai. c. f. (*Sunt illae vero diſſertationes, una* PAVLLI FRISII, in Piſana Vniuerſitate Ethices et Metaph. P. P. de exiſtentia et motu aetheris, ſeu de theoria electricitatis, ignis et lucis; *altera* LAVRENTII BERAND, S. I. in Collegio Lugdunenſi in Gallia Mathemat. Prof. Theoria Electricitatis.)

PHILIPP. CONRAD. FABRICII, Diſſ. inaug. ſiſtens genuinam calculi renalis geneſin. Reſp. *Erneſt. Auguſt. Pini* Helmſtadii, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de diſtinguendo certo a probabili in medicina. Reſp. *Chriſtoph. Carol. Dismann.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de ichthyocolla. Reſp. *Frideric. Guilielm. Stolze.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſale alcali minerali fixo. Reſp. *Io. Rudolph. Schulze.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſuppreſſae tranſpirationis cauſſis morbisque praecipuis ex eadem oriundis. Reſp. *Henr. Frid. Kühn.* ibid. 4.

Eiusd. de fonte martiali medicato Helmſtadienſi diſquiſitio. ibid. 4.

LVDWIG FEVILLEE, *Beſchreibung zur Arzeney dienlicher Pflanzen, welche in den Reichen des mittägigen America in Peru und Chily vorzüglich im Gebrauche ſind, in dem Lande ſelbſt auf Königlichen Befehl in den Jahren* 1709, 1710 *und* 1711 *aufgeſetzet, nebſt verſchiedenen andern aus eben deſſelben Tageregiſter phyſiſcher Beobachtungen geſammelten und zur natürlichen Hiſtorie gehörigen Anmerkungen. Aus dem Franzöſiſchen ins Deutſche überſetzet von* D. GEORGE LEONHARD HVTH. *Nürnberg*, 4. *m. K.*

I. F. LE FEVRE, Opera medico-phyſiologica; 2 Tom. Francofurti, 4. c. f.

Del mal de' Nervi; o ſia dell' Ippocondria, o del morbo iſterico; Poema medico del Dottore MICOLONBO FLEMINGH, trad. en Ital. p. le Doct. GIAM BATTISTA MORETTI de Gäete. Roma, 8.

Lettre de M. FORMEY à M. MATY au ſujet du mémoire de M. ELLER ſur l'uſage de cuivre; à Berlin, 12.

Nouvelle pratique de ferrer les chevaux de ſelle et de caroſſe, afin de les rendre fermes en tout temps ſur le paré ſec, ce qu'on apelle vulgairement plombé; par LA FOSSE. à Paris, 8.

ANTONII FRACASSINI naturae morbi hypochondriaci eiusque curationis mechanica inueſtigatio. Veronae, 4.

FVCHSENS *wohleingerichtetes Roßbuch, wie ein Roß-Arzt alle Mängel der Pferde erkennen und denſelben abhelfen ſoll. Leipzig*, 8.

I. C. G. *Anleitung zur Färbekunſt. Langenſalza*, 8.

PETER GABRIELS *Kunſterfahrner Blumen Küchen- und Baum-Gärtner, mit* 145 *nützlichen und unbekannten Baumkünſten. Tübingen*, 8.

Cartes en couleur des lieux ſujets aux tremblemens de terre dans toutes les parties du Monde ſelon le

Syſtême de l'impulſion ſolaire; par M. GAVTIER. à Paris, fol.

La Suite de la matiére medicale de M. GEOFFROY; par Ms. DE NOBLEVILLE et SALERNE; 3 Voll. à Paris, 12.

IGNATII GERVASII a Monte Faliſco, de uſu aquae frigidae in haemoptyſin et quodcunque ſanguinis profluuium, mechanico-phyſica diſſertatio. Romae, 4.

IO. GESNER, Diſſ. de petrificatorum variis originibus, praecipuarum telluris mutationum teſtibus. Tiguri, 4.

The uſe of ſea voyages in medicine; by EBENEZER GILCHRIST. London, 8. mai.

Vortheilhafte und in der Erfahrung gegründete Vorſchläge, bey heftigen und geſchwinden Feuersbrünſten Häuſer und Mobilien ſicher zu retten, nebſt einer gründlichen Anweiſung groſſe und gefährliche Feuersbrünſte zu verhüten; *von* IOH. FRIEDR. GLASER, *Dresden und Leipzig*, 4.

PHILIPP. FRID. GMELIN, Diſſ. de vitro antimonii cerato. Reſp. *Chriſtian. Ludov. Bilfinger.* Tubingae, 4.

W. L. GRAEFENHAHNS *phyſicaliſche Gedanken von Entſtehung der Erdbeben. Bareuth*, 4.

Muſei ichthyologici tomus ſecundus, ſiſtens piſcium indigenorum et non nullorum exoticorum, quorum maxima pars in muſeo LAVRENTII THEODORI GRONOVII I. V. D. adſeruatur; nec non quorundam in aliis muſeis obſeruatorum deſcriptiones. Accedunt non nullorum exoticorum piſcium icones aeri inciſae et amphibiorum animalium Hiſtoria zoologica; Lugdun. Bat. fol. c. f.

CHR. TH. HEINR. VON HAGENS *Beſchreibung des Helmſtädtiſchen Geſundbrunnens; nebſt Unterricht, wie derſelbe zu gebrauchen. Halle*, 4.

STEPHAN

STEPHAN HALES, Account of uſeful diſcovery to diſtill double the quantity of Seawater by blowing ſchowers of air up through the deſtilling liquor. London, 8. mai.

Statica dei vegetabili ed analiſi dell' aria del Sig. STEFANO HALES; tradotta dall' Ingleſe con varie annotazioni della Sig. MARIA ANGIOLA ARDINGHELLI. Napoli, 8. mai. c. f.

ALBERTI HALLERI Iconum anatomicarum, quibus aliquae partes corporis humani delineatae traduntur, faſciculus VIII et ultimus Arteriarum totius corporis ſyſtema cum ſupplemento ad deſcriptiones vaſorum. Gottingae, fol.

Eiusd. Deux Memoires, ſur le mouvement du ſang, et ſur les effets de la Saignée fondés ſur des experiences faites ſur les animaux. à Lauſanne, 8.

Abhandlungen des Herrn VON HALLER *von den empfindlichen und reitzbaren Theilen des menſchlichen Leibes. Verdeutſcht und geprüft von* CARL CHRISTIAN KRAVSEN. *Leipzig*, 4.

Memoires ſur la nature ſenſible et irritable des parties du corps animal; par Mr. ALBERT DE HALLER. Tome premier contenant une ſeconde edition corrigée de la Diſſertation ſur l'Irritabilité; ſuivie de l'Expoſé ſynthetique des Faits, tiré d'un grand nombre d'Experiences faites par l'Auteur. à Lauſanne, 12 mai.

Diſputationes chirurgicae ſelectae, quas collegit, edidit, praefatus eſt ALB. HALLERVS. Tom. V. VI. ibid. 4. mai. c. f.

GEORG. ERHARD. HAMBERGERI elementa phyſiologiae medicae ſ. de actionibus corporis humani ſani in uſum auditorii inchoata, poſt obitum auctoris continuata per IO. FRID. KESSEL. Ienae, 8. c. f.

GVSTAV. CHRISTIAN. HANDTWIG, Diſſ. phyſ. medica de dormientibus quarta, ſiſtens quaedam

de ſalubri ſub ſomnum loco. Reſp. *Ioan. Henr. Maul.* Roſtochii, 4.

PETR. IMMAN. HARTMANN, Diſſ. duplex peripneumoniae genus. Reſp. *Io. Gottgetreu Müller.* Halae, 4.

I. GEORG. HASENOEHRL, Diſſ. de abortu eiusque praeſeruatione. Viennae Auſtriae, 4.

IO. GE. HASSENESTS *mediciniſcher Richter*, oder Acta phyſico-medico-forenſia collegii medici Onoldini. *Zweyter Theil. Anſpach*, 4.

Inſtruction ſur la maniére d'élever et de perfectionner les Bêtes à laine ; compoſée en Suedois; par FRED. W. HASTFER; miſe en François par M.--; deux Parties. à Paris, 12.

FR. WILH. HASTFER, *Goldgrube eines Landes in Verbeſſerung der Schaafe, ingleichen Mittel und Rath wider die Schafpocken ; aus dem Schwediſchen überſetzt. Coppenhagen*, 4.

WILH. VAN HALEN, Catalogue des arbres et plantes changeres et oignons à fleurs. à Leide, 8.

IO. CHRISTIAN. HEBENSTREIT, Orat. de fertilitate terrarum induſtria colonorum augenda. Petropoli, fol.

IO. ERNEST. HEBENSTREIT, Progr. Ordo morborum cauſalis. Specimen quartum de notionibus ſimplicibus ad conſtituendos morborum ordines ex ſolidorum indole. Lipſiae, 4.

Eiusd. Specimen quintum ſiſtens notiones morborum ſimplices ex rationibus fluidorum. ibid. 4.

Eiusd. Specimen ſextum ſiſtens limites generum morborum. ibid. 4.

Eiusd. Aetiologiam chymicam, ſeu expoſitionem cauſſarum ſani et aegroti hominis ſecundum principia chymica, diſſertatiunculis quorundam iuuenum inueſtigandam, proponit et de notionibus chymicis apud veteres praefatur. ibid. 4.

IO. ERNEST. HEBENSTREIT, Diſſ. prima de calore, ut cauſa ſanitatis ad rationes chymicas. Reſp. *Ioan. Hedwig.* Lipſiae, 4.

Eiusd. Diſſ. altera de ſalium actione, ut cauſa ſanitatis ex rationibus chymicis. Reſp. *Frid. Conr. Bergmann.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. tertia: de calore, ut cauſa morbi et nouae valetudinis in rationibus chymicis. Reſp. *Ioan. Hotz.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. quarta: de ſalium actione, ut cauſſa morbi. Reſp. *Henric. Landis.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. quinta: de medicamentis ut menſtruum agentibus ad leges chymicas. Reſp. *Laurent. Clauſſen.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. ſexta: de contraria medicina ad leges chymicas, praecipue ſalium. Reſp. *Io. Chriſtoph. Elhard.* ibid. 4.

Introduction à la Minéralogie; ou Connoiſſance des eaux, des ſucs terreſtres, des ſels, des terres, des pierres, des minéraux et des métaux; avec une deſcription abregée des operations de Métallurgie. Ouvrage poſthume de M. I. F. HENCKEL publié ſous le titre de *Henckelius in mineralogia rediuiuus*, et traduit de l'Allemand. 2 Voll. à Paris, 12.

IO. CAROL. HEFFTER, Muſeum diſputatorium phyſico-medicum tripartitum. Voluminis I. Pars I. II. III. Zittaviae, 4.

GEBHARD. WERNER. HEINZELMANN, Diſſ. inaug. de filo Ariadneo in labyrintho medico. Halae Magdeburgicae, 4.

LAVRENT. HEISTER, Diſſ. inaug. de fonte medicato prope Helmſtadium nuper detecto, eiusque ſalubri uſu. Reſp. *Georg. Ern. Rahlwes.* Helmſtadii, 4.

Eiusd. *kleine Chirurgie oder Handbuch der Wund-Arzney; neue vermehrte Auflage. Nürnberg*, 8. mai.

IOACH. FRIDR. HENCKELS *Anweiſung zum verbeſſerten chirurgiſchen Verbande. Berlin*, 8. *m. K.*

IOH. FR. HENCKELS *kleine mineralogiſche Schriften, mit Anmerkungen und einer Vorrede* CARL FRIEDRICH ZIMMERMANNS. *Zweyte Auflage. Dresden*, 8.

GEORGE HEVERMANNS *Abhandlung der vornehmſten chirurgiſchen Operationen am menſchlichen Cörper. Zweyter Theil. Koppenhagen und Leipzig*, 8. *m. K.*

IOHN HILL's Britiſh herbal, containing a compleat hiſtory of the plants and trees, which are native of Britain or cultivated there for uſe, diſpoſed in an eaſy natural method. London, fol. c. f.

LAVR. HIORTZBERG, Diſſ. Fundamentum halurgiae ſyſtematicae. Reſp. *Eric. Holman.* Vpſal.

Obſervations ou a ſeries of Electrical Experiments; by D. HOADLEY and Mr. WILSON. London, 4.

FRID. HOFFMANNI Obſeruationes circa bombyces, ſericum et moros ex antiquitatum, hiſtoriarum iuriumque penu depromtae. Tubing. 4. (*Editio multo auctior.*)

FRID. HOFMANNI Chemia rationalis et experimentalis, ſiue collegium phyſ. chem. curioſum. Hamburgi, 8.

Diſſertation ſur les vapeurs et les pertes de ſang; par M. PIERRE HVNAVLD. à Paris, 12.

IOAN HVXHAM, medical and chemical obſeruations upon antimony. London, 8. mai. (*Praeter dedicationem ad Ill. Comitem* DE MACCLESFIELD *datam, prorſus idem Commentarius exſtat in Philoſophical Tranſactions Vol. XLVIII. Part. II. art.* 105. *pag.* 832-869, *cuius recenſionem reperire licet in Comment. noſtr. Vol. V. P. IV. p.* 592.)

CHRISTIAN IAHN, *deutſche* phyſiologia medico-chirurgica. *Dresden*, 8.

C. F. IAMPERT, Diſſ. de purpura alba. Reſp. *F. C. Schwalbe.* Halae, 4.

DAV. IEFFERIES *Abhandlungen von den Diamanten und Perlen; nebſt den Regeln ihren wahren Werth zu beſtimmen, und die rechte Methode ſie zu ſchneiden; aus dem Engliſchen und Franzöſiſchen überſetzt.* *Danzig.* 8. *m. K.*

IOAN. IONSTONII hiſtoriae naturalis tomus ſecundus continens theatrum uniuerſale de auibus. Heilbronae, fol. c. f.

Nouveau Elémens d'Odontalgie. Par M. IOVRDAIN. à Paris, 12.

HERM. PAVL. IVCH, Diſſ. inaug. de diarrhoeis in morbis acutis ſalutaribus. Reſp. *Paul. Ioan. Frider. Helmershauſen.* Erfordiae, 4.

IO. IVNCKER, Diſſ. inaug. exhibens principia ad modum operandi medicamentorum intelligendum. Reſp. *Gotthilf. Petr. Auguſt. Lyſthenius.* Halae Magdeb. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. ſiſtens uſum venae ſectionis in caſibus quibusdam dubiis. Reſp. *Rudolph. Carol. Frider. Opitz.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de utilitatibus dolorum. Reſp. *Carol. Frider. Brodhag.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de vera morborum diagnoſi certo therapiae fundamento. Reſp. *Henr. Theophil. Koeppe.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſimulatis febribus intermittentibus in viſcerum laeſionibus. Reſp. *Io. Aug. Evers.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſudore vitioſo ingrato plerumque nobilium hoſpite. Reſp. *Arnold. Chriſtoph. Frider. Schüler.* ibid. 4.

Eiusd Diſſ. inaug. de aluina excretione ut ſigno. Reſp. *Chriſtian. Conr. Leisnerus.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de uſu corticis peruuiani diſcreto et diſcretius experimentando. Reſp. *Ioan. Frider. Fritze.* ibid. 4.

IO.

IO. IVNCKER, Diſſ. inaug. de cauta prognoſi a cauto medico inſtituenda. Reſpond. *Martin Wilcke*. ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de exoſtoſibus. Reſp. *Ioan. Theoph. Ludwig*, ibid. 4.

IOH. HEINR. GOTTLOB V. IVSTI, *neue Wahrheiten zum Vortheile der Naturkunde, und des geſellſchaftlichen Lebens der Menſchen; neuntes Stück. Leipzig*. 8.

Eiusd. *Polcey-Amts-Nachrichten auf das Jahr* 1756. ibid. 4.

PEHR KALM, Diſſ. hiſtorisk och oeconomisk beskrifning öfwer Cronoby ſäkn uti oſterbotn. Reſp. *Erich. Caianus*. Abo.

En reſa til norra America pa K. Swenska Wetenskaps Academiens befallning och publici Koſtnad förrättad af PEHR KALM. Stockholm, 8.

Eiusd Diſſ. de praerogatiuis Finlandiae praecipue quoad plantas ſpontaneas in bellariis adhibitas. Reſp. *Henric. Stierna*. Aboae.

Eiusd. Diſſ. de Esquimaux, gente Americana. Reſp. *Andr. Abraham. Indrenius*. ibid.

Eiusd. Diſſ. Ollares in Fennia repertos delineans. Reſp. *Ioan. Frider Müller*. ibid.

Eiusd. Diſſ. nagra kännemärcken til nyttiga mineraliens eller Jord och Bärgarters upfinnande. Reſp. *Erich Hägglund* ibid.

CAROL. FRIDER. KALTSCHMIED, Diſſ. inaug. de grauidarum morbis. Reſp. *Carol. Martin Weber*. Ienae 4.

Eiusd. Diſſ inaug. de neceſſaria foetus in omni partu praeternaturali, quae a ſitu foetus vitiato dependet, verſione, cum ſuis cautelis. Reſp. *Chriſtian Chernel*. ibid. 4.

Eiusd Diſſ. inaug. de phrenitide. Reſp. *Chriſtoph. Frid. Gerding*. ibid. 4.

CAROL. FRIDER. KALTSCHMIED, Diſſ. inaug. de cauſis et effectibus plethorae. Reſp. *Io. David. Grau.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de methodo haemorrhagias vulnerum ſiſtendi optima. Reſp. *Simon. Henr. Erneſt. Wiſtinghauſen.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug de Hepatitide. Reſp. *Melch. Ioan. a Dreiling.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febribus intermittentibus et ſpeciatim de tertiana ſimplici. Reſp. *Carol. Frid. Rehfeld.* ibid 4.

IMMAN. KANTS *Geſchichte und Naturbeſchreibung der merkwürdigſten Vorfälle des Erdbebens, an dem Ende des 1755 Jahr. Königsberg,* 4.

HARALD KARELBERG, Salpeters Fortplantning och förmering. Stockholm, 8.

I. KIRKPATRIK *Erläuterung der Einpfropfung, welche die Geſchichte, Theorie und Ausübung derſelben, nebſt bey Gelegenheit gemachten Beobachtungen von den merkwürdigſten Erſcheinungen der Kinderblattern in ſich begreift. Aus dem Engliſchen. Zelle und Leipzig,* 8.

Selectus rationalis medicaminum, quorum vera vis eſt ad felicem praxin clinicam, praetermiſſis inertibus, titularibus, ſuperſtitioſis, intutis; digeſtis ſtudio D IO LVDOV. KLEINII. Francofurti, 8.

IOH. GOTTFRIED KNIPHOFS *Abhandlung vom Salat, und deſſen wahren Nutzen und Schaden, nebſt der Beſchreibung und dem Nutzen des* olei tromponum. *Erfurt.*

LVDW. WILH. KNOERS vade mecum medicum, *oder kurzgefaßte Methode derer Krankheiten, und wie ſolche zu curiren, ſamt deren Formuln. Naumburg und Leipzig,* 8.

I. C. G. KNOLLS *vermiſchte Anmerkungen aus der Arzeneygelahrheit,* 1. 2. 3 *und* 4 *Stück. Halberſtadt,* 8.

Regnum

Regnum Florae: *Das Reich der Blumen mit allen ſeinen Schönheiten nach der Natur und ihren Farben vorgeſtellt; bis 260ſtes Blat in Kupfer geſtochen und illuminirt von* GEORGE WOLFGANG KNORR. *Nürnberg*, fol.

Lapides ex celeberrimorum virorum ſententia diluuii uniuerſalis teſtes, etc. *Sammlung von Merkwürdigkeiten der Natur und der Alterthümer des Erdbodens; zum Beweiß einer allgemeinen Sündfluth, aus dem Reiche der Steine bewieſen; in Kupfer geſtochen und mit Farben ausgedruckt, von Ebendemſelben; bis 56ſtes Blat.* ibid. fol.

Deliciae naturae ſelectae; *oder auserleſenes Naturalien-Cabinet, welches aus den drey Reichen der Natur zeiget, was behalten und geſammlet zu werden verdienet; bis 24tes Blat; in Kupfer geſtochen und illuminirt von Ebendemſelben.* ibid. fol.

IOAN PHILIP. KOCH, Diſſ. inaug. de commodo uſu rerum non naturalium ad vitam ſanam et longaeuam. Erlang. 4.

PETR. FRIDER. KOERBER, Diſſ. inaug. de rarioribus quibusdam viſionis vitiis. Erfordiae, 4.

IOH. CARL KOKEN, *die Stimme Gottes im Erdbeben; nebſt einem Anhange, von den natürlichen Urſachen des Erdbebens. Braunſchweig*, 8.

GVILIELMI HENRICI KRAMER, Elenchus vegetabilium et animalium per Auſtriam inferiorem obſeruatorum; ſiſtens ea in claſſes, ordines, genera et ſpecies redacta. Viennae, Pragae et Tergeſti, 8. mai. c. f.

IOH. GEORG. HEINR. KRAMERS *Haus- und Land-Apotheke; oder einige bewährte Mittel wider die unter den Menſchen auf dem Lande öfters graſſirende Krankheiten. Augſpurg.*

IOAN. CHRISTIAN. KRANTZ, Diſſ. inaug. de fractura oſſium ut vulnus ſananda. Lipſ. 4. c. f.

CAROLI CHRISTIANI KRAVSE, Diſſertatio de quaeſtione ab Academia Imperiali Scient. Petropolitana pro praemio in annum MDCCLVI. propoſita: *Quaenam ſit cauſa proxima mutans corpus foetus, non matris grauidae* etc. In eadem Academ. Scient. Petropolitana die VI Sept. MDCCLVI. praemio affecta; una cum alia diſſertatione negatiuam quaeſtionis partem adſtruente. Petropoli, 4.

PETER KRETSCHMARS *practiſcher Beweiß, daß das doppelfurchige Pflügen mit ordinairen Geſpann und Hofedienſt verrichtet werden könne, und ſeinen wahren Nutzen bey dem Ackerbau habe; wie auch eine Anzeige wohlgelungner Proben. Berlin*, 8.

IOH. GOTTL. KRÜGERS *Gedanken von den Urſachen des Erdbebens. Halle*, 9.

GEORG. GOTTLOB KÜCHELBECKER, Diſſ. de Spinis plantarum. Reſp. *Io. Ludov. Seeber.* Lipſ. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de Saponibus. ibid. 4.

IOHANN KVNCKELS *voliſtändige Glasmacherkunſt, nebſt einem Anhange von den Perlen und Edelgeſteinen. Zwey Theile. Nürnberg*, 4. *m. K.*

E. G. KVRELLA, *chymiſche Verſuche und Erfahrungen; erſtes Stück. Berlin*, 8. *m. K.*

THOM. LAGHI Epiſt. ad CAESAREVM POZZI, *notitiam experimentorum de irritabilitate partium C. H. repetitorum exhibens.* Bononiae, fol.

NICOLAI LAMBSMA, Ventris fluxus multiplex ex antiquis et recentiorum monumentis propoſitus. Amſtelodami, 8. mai.

Lettre de M. LAMVRE à M. D' AVMONT dans laquelle on fait voir, que l' on ne peut pas ſoupçonner d' avoir copié M. HALLER, au ſujet de l' explication des mouvemens du cerveau. à Lion, 12.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

1. Kongl. Svenska Wetenſkaps Academiens Handlingar for Aor. 1756. Vol. XVII. p. 387.
2. *Oeconomiſch - Phyſicaliſche Abhandlungen* IX-XII *Theil* p. 422.
3. *Fraenckiſche Sammlungen und Anmerkungen aus der Naturlehre* etc. II *Band* p. 429.
4. LAMBSMA ventris fluxus multiplex ex antiquis et recentiorum monumentis p. 440.
5. SCHREIBERS *Kurze doch zulaengliche Anweiſung zur Erkenntniß und Cur der vornehmſten Krankheiten* p. 448.
6. VANDERMONDE Eſſai ſur la maniere de perfectionner l' eſpece humaine p. 451.
7. KRAVSE Diſſ. de cauſa proxima corpus foetus mutante etc. p. 455.
8. VULLYAMOZ Diſſ. de ſale lactis eſſentiali p. 469.
9. SCHEFFEL Diſſ. de fiſtula lacrymali eamque ſanandi methodis p. 474.
10. PARKER the ligature preferable to agaric in ſecuring the Blood-Veſſels after Amputation p. 480.
11. SCHREIBER Almageſtum medicum p. 483.
12. Memoires de mathematique et de phyſique preſentés à l'academie royale des ſciences etc. p. 499.
13. Noua phyſico-medica p. 540.
14. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756. prodierunt p. 557.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS VI. PARS IV.

LIPSIAE. MDCCLVIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Londini apud A. Linde, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.



I.

Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Dantzig; dritter Theil, mit Kupfern; Dantzig und Leipzig, 1756. in der Rengerſchen Buchhandlung, 4. 3 Alph. 2 Bogen, 5 Kupfertafeln.

i. e.

Tentamina et commentarii Societatis naturae indagatorum Gedanenſis. Pars tertia.

Ex quo, annis decem et tribus elapſis, quaedam Gedani ſocietas coire coepit, atque naturae mirabilia pariter et arcana accurata induſtria ac indefeſſa cum inueſtigare tum detegere: ex eo orbi litterato, in primis phyſices amanti, ſtudiorum ſuorum rationem reddere ſtuduit. Tria volumina proſtant, quorum duo priora, cum a nobis recenſita antea fuerint *, nunc eorum tertium idemque recentiſſimum eligere nobis in praeſens libet, et, quid in eo contineatur, tangere leuiter. De huius ſocietatis origine, de indole atque aliis rebus, quae ad hiſtoriam eius ſpectant valentque, plura verba facere ſuperuacaneum putamus, quoniam

* Comment. noſtr. Volum. IV. p. 305.

niam prioribus voluminibus praemiſſae praefationes, ea de re ſatis ſuperque nos docent. At, quae poſtea geſta ſunt, omittere, religioni ducimus. Huc vero maxime eximius pertinet fauor, quo multi, ſummorum virorum perſonae, uti epiſcopi, principes, comites regni polonici hanc ſocietatem complexi ſunt, quippe qui eius conuentibus intereſſe, eiusque ſtudia admirari, non erubuerunt. Id, quod, quamuis maximo ei ducitur honori, ſumus tamen neſcii, annon maiorem ei ſocii famam adferant? quorum pars *ordinarii*, pars *liberi* ſunt. Vtrorumque catalogum huius tomi praefatio ſuppeditat, eo quidem ordine, quo eorum quisque in ſocietatem cooptati ſunt. In illis habentur ſequentes:

DAVID KADE, Med. Doctor.

MICH. CHRISTOPH. HANOW, Philoſ. Doctor eiusdemque Prof. ord. et Reipublicae Bibliothecarius.

HENRICVS KÜHN, I. V. D. Matheſ. Prof. et Imper. Acad. Scient. Petrop. Socius.

DANIEL GRALATH, Reipublicae Gedanenſis Senator. et Societatis Director.

IAC. THEOD. KLEIN, Ciuit. Ged. Secretar. Societ. Reg. Scient. Lond. Acad. Scient. Imp. Petrop. et Inſtituti Bononienſ. Socius.

ADRIAN GOTTLIEB SÖHNER, Ciuit. Ged. Scabinus.

PAVL SWIETLICKI, Paſtor ad aedem S. Ioh.

HENRICVS WILHELM. A KASENBERG, Sarmatarum regis ab conſiliis belli intimis.

FRIDER. AVG. ZORN BARO DE PLOBSHEIM, Societatis theſaurarius.

IO. GOTTL. PFENNIGK, verb. diu. Miniſter ad St. Saluat.

NATH. IACOB. GERLACH.

IO. BENI. DRAGHEIM, Philoſ. Doct. et Paſtor ad St. Cathar.

IO. EILHARD REINICK, artis ſalut. Doct.
SAMVEL WOLFF, Scabinus ciuitatis primariae Gedanenſis.
DANIEL LAINE eccleſiae francogallicae paſtor.
GODOFR. REYGER.
HENR. IAC. DE LA MOTTE, Med. Doctor.
BENI. GOTTL. A SCHRÖDER art. ſalut. Doctor.
CHRISTIANVS SENDEL medicae artis Doctor, eiusdem et Phyſic. Prof. ord.
BENIAMIN SCHWARZ, Med. Doct. et Phyſicus urbis.
IOH. CAROL. SCHVBERT Dicaſterii primariae ciuit. actuarius et ſociet. ab epiſtolis.
PHIL. SYLVESTER LÜRSENIVS art. ſal. Doct.
REINH. ERNST. CHRISTOPH. SCHEFFLER, Philoſ. Doct. et Diaconus ad St. Saluat.
IO. SAM. FERBER, ciuit. primariae Scabinus.
IO. GOTTLIEB PEGELAV tertii Ordinis ſocius et ad aed. R. Barbarae antiſtes.

In his vero ſequentes ſunt:

WILH. IOSVA KENWORTHEY.
IOANNES MOIR.
BALTHAS. HAGEMEISTER.
CORNELIVS CVNIS ad aed. St. Saluat. antiſtes.
IOANN. LAMPE Poloniarum Regis a conſiliis aulae et commerciorum.
DANIEL HENRICVS SETAV tertii ordinis ſocius.
IO. FRANCISCVS MATHY.

Ex his igitur, quos nominauimus, ſociis, KÜHNIVM, KLEINIVM, HANOVIVM, REYGERVM, GRALATHIVM et LVRSENIVM eximie collaudamus, quippe quorum Commentarii huic volumini adſeruati ſunt.

Primum locum occupat No. 1) KÜHNIVS, eius p. 1.
que ſatis ampla eademque operoſa *inquiſitio in cauſas*

fluxus et refluxus maris, ex tribus ſectionibus conſtans.

p. 24. Enarrata in prima ſectione vulgari et paene undique recepta aeſtus marini hiſtoria, diiudicatis in ſecunda GALILAEI, CARTESII, NEVTONI ſyſtematis, in tertia KÜHNIVS ſuam de aeſtu hypotheſin proponit, fundatam in ſua olim de fontium originibus publice propoſita opinione, videlicet Cl. Auctor in illo opuſculo ſuo oſtenderat, dari ſub terra ingentia hydrophylacia, e quibus aqua per canales et cuniculos, interdum ſatis tortuoſos, effluat, per alios vero iisdem affluat; quae adeo diabetum inſtar naturalium fluxum

p. 69. ac refluxum aquarum valde facilem praebeant. Hanc

p. 70. ſententiam optimis rationibus niti, vel ideo pateſcit, quod terra, nec ipſo oceano excepto, undique diaphragmatibus coecis et apertis interrupta ſit, euripis hinc inde vomentibus aut aquas ſorbentibus et ſub iugis montium deferentibus; torrentibus ſubterraneis bene multis ſeſe in mare effundentibus, et huius in fundo per nouas voragines ad ima terrae viſcera redeuntibus. Horum torrentium ſubterraneorum aqua, ut plerumque eſt ſalſa, adeoque aqua dulci ſpecifice grauior, in alueo fluminis, in quod ſe inſinuat, ſubſidet, aut fundum eius petit, ſi qua ſupra eundem effluit, externa fluminis ſuperficie pro ratione ſubtus

p. 113. affluentis aquae ſalſae ſenſim turgeſcente. Exemplo Autor Albim ſumit, cuius aeſtum deriuat a flumine ſalino ſubterraneo, in ſaltibus bohemicis et francicis originem ducente, prope Halam atque Luneburgum ſubter terram defluente et propter Buxtehudam in Albim inferiorem influente. Quo fieri dicit, ut propullulante ſalina, albis intumeſcat et propter vehementiam ſalinae affluentis, aqua albis ſuperior contra torrentem ſiue aduerſo flumine propellatur, donec ſalina fluere deſinit. Tum albis defluit et decreſcit, uſque dum ſalina fluere rurſus incipit. Hunc intermittentem aquae ſalſae fluxum Autor noſter per leges hydroſtaticas explicat. Poſitis nempe alicubi una aut

pluribus

pluribus cauernis ſubterraneis, in quas aqua ſalſa per rimam hiantem affluit, minori tamen copia, quam per aliam, tempore aliquo interiecto, effluit. Ex naturali igitur conſtitutione huiusmodi intermittens aquarum fluxus oritur, quem hydroſtatica experimenta diabetum ope artificioſiſſime commonſtrant. Quae, ſicuti ab Autore ſatis ſuſe enarrantur, perpendere et in ſummam contrahere haud facile poſſumus, ſi, quod optatum nobis ſemper eſt, breuitatis eſſe amantes volumus. Hoc tamen ſilendum non putamus, hanc aeſtus marini explicationem, quae ex legibus hydroſtaticis et diabetum theoria deducta eſt, iam ab aliis inuentam et adhibitam eſſe. Primus in eam incidit celebris IACOBVS HERMANNVS teſte SCHEVCHZERO, ad quem huius rei cauſſa inter alia ſcripſerat, eique facem praetulerat ad declarandam hanc hypotheſin, iconibusue illuſtrandam *. Ex SCHEVCHZERO eam demum tranſtulit MVLLERVS Profeſſ. Altorfinus, in *collegium* ſuum *experimentale* **, quod Noribergae anno huius ſaeculi viceſimo primo prodiit. Praeterea in *diario Eruditorum* *** ante complures annos aeſtus aquarum in Euripo fluuio, qui eſt pars maris Aegei, elegans legitur explicatio, diabetes naturales ſubterraneos in ſubſidium adhibens et ab explicatione KÜHNII nullatenus diſtans.

No. 2) Sequitur *deſcriptio ficti Zoophyti, Borametz*, p. 219. *et agni vegetabilis*, *Scythici*, quam KLEINIVS ſecundum imaginem ab SLOANE, ab BREYNIO, in primis ab HVGHES exhibitam, dat. Poſtremus ille hanc plantam ſatis curioſe deſcribit, eamque in paraſiticis numerat, quod plantis herbisque confinibus nu-

 triri

* v. SCHEVCHZERI Phyſick II. Th. 23 Cap. 31 N.

** pag. 98. fig. 66.

*** *Iournal des Savans.* Ianvier 1728. *Explication des flux et reflux ſurprenans de l' Euripe.*

triri a ſcriptoribus nimis credulis dicitur. Corpus huius plantae craſſitie pollicem anglicum, et longitudine aliquot pedes ſuperat. Extrinſecus pilis tegitur mollibus, longis, et pilis lanae admodum ſimilibus. Sunt ei hinc inde geniculi et diuerſae radices, e quibus quatuor mirum in modum ita propendent, ut reſectis intermediis reliquis, pedes agniculi incuruos
p. 225. exhibeant. Parietibus arborum hirtis adhaereſcens haec planta ſurculos atque radices ſuas cortici arboris inſuit, et ſuccum eius nutritium, adulatoris inſtar, ſugendo vitam ſibi et nutrimentum quaerit. In extremitatibus eius caulis inſignis ad 20 pollices exſurgit, folio uno cylindrico tantundem longitudinis, cuius in latere auerſo ſcrobiculi apparent, ſemine tenui flauo referti, quod, ubi maturuerit, ab aere et vento in alias arbores plantasque delatum tempeſtiue ibidem progerminat.

p. 226. No. 3) *Vnde corporum refrigeratio, tranſpirando humore in eorum ſuperficie oriatur*, inquirit Cl. HANOVIVS. Nempe a phyſicis obſeruatum eſt, altitudinem thermometri in temperie aeris maiori vel aequali temperiei aquae, ex qua extrahitur, decreſcere; cuius rei rationem RICHMANNVS, celebris olim Phyſices Profeſſor in Academia Scient. Petropol. hanc reddit *: in aere permultas volitare ſalis urinoſi particulas, e quarum commiſtione cum cuticula aquea, quae eſt in bulbo thermometri, huius refrigerationis et altitudinis mercurii decreſcentis eſſe cauſam. Attamen ſuſpicatur Cl. RICHMANNVS cauſam huius mutationis ex parte in conſtitutione aeris ambientis latere, quoniam mutatio illa non ſemper eadem oritur, ſed modo maior, modo minor; humiditate thermometri externa, a qua neceſſario mutatio illa pendet,

* *Nouor. Comment. Acad. Imp. Scient. Petrop.* T. I. p. 284. Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 227.

det, ſemper eadem manente. Aerem igitur peculiari materia frigorifica grauidum putat, quae cauſa huius phaenomeni ſit. Contra quam cauſam Cl. HANOVIVS reſpondet, eius modi cuticulam aqueam, quae bulbum thermometri ambit, haud facile tantam ſalis copiam, quanta requiritur ad refrigerandum vitrum atque mercurium, reſoluere; neque materiam frigorificam in aere cuticula aquea calidiori poni et concipi poſſe. Aliam itaque cauſſam huius phaeno- p. 251.
meni ſuppeditat, ipſam nempe euaporationem, qua fit, ut caloris materia tenuis ex aqua bulbum ambiente et ex ipſo mercurio thermometri ſenſim abducatur, atque diminutio inde caloris oriatur. Ergo quaelibet euaporatio liquorum ad diſſolutiones frigorificas pertinet, ſi vel aer externus aqua exhalante aliquanto calidior ſit. Hanc Auctoris explicationem, ut quae naturae admodum conuenit, obſeruationes comprobant bene multae; ſic domicilia per euaporationem refrigerantur, diuerſi generis potus, vinum, cereuiſia, et aqua ipſa, frigeſcunt per euaporationem humidi, quo ſuperficies vaſis, cui ineſt potus, conſpergitur. Immo hoc eſt remedium maxime natura- p. 257.
le, quo arbores, folia, plantae omniaque vegetabilia, aeſtu ſolis inſigniter urente, refrigerantur: certiſſimo indicio, prouidentiam atque ſapientiam diuinam in natura ubiuis deprehendi.

No. 4) Adhaec Cl. REYGER *A.* 1750. *d.* 26 *Aug.* p. 258.
apparentem auroram borealem deſcribit, in qua eius ſucceſſiua obſcuratio per veras et apparentes nubes, ab horizonte occidentali, ex minimo anguſtoque ſpatio aſcendentes radii, eorum ſubita tranſmutatio ex albo colore in rubrum, et tandem ſubſecuta ſubita lucis ab occidente ad caurum propagatio, memoria dignae fuerunt. Huius aurorae borealis deſcriptionem, ſed breuiorem, dedit Cl. HANOVIVS, in ra-

rioribus naturae et oeconom. *, quae eius ex sorore filius, Cl. TITIVS, ante aliquot annos Lipsiae edidit.

p. 265. No. 5) Post *exhibet* Cl. GRALATH, REINICKII atque REYGERI usus ope, *secundam partem bibliothecae electricae* in qua KIRCHERI, CARTESII, DIGBAEI, SCHOTTI, DV HAMEL, HAVKSBEII, GRAYI, DV FAY, MVSSCHENBROEKII, NOLLETI, BOSII, HAVSENII, DOPPELMAIERI, QVELMALZII, WINCKLERI, KRATZENSTEINII, WERENBERGII, CATII, ROSENBERGII, FVRSTENAV, PIDERITI, WOLSHOFERI, super electricitate scripta et animaduersiones recensentur.

p. 328. No. 6) Deinde Cl. HANOVIVS *causas tentaminum cum phialis vitreis siue ampullis bononiensibus* peruestigat, easque emendatiores atque locupletiores recudendas curat. Enarrauerat enim in Tomo I. ipsa tentamina, cum ampullis instituta, earundem fracturas, iniecto silice minimo, subsecutas, et quae huc pertinent phaenomena alia. Harum fracturarum caussas Auctor noster vibratione partium vitrearum in fundo ampullae, ab aere interno valde rarefacto, et ab externo fundum premente repetit. Adhaec partes in fundo ampullae inaequaliter cohaerent, id quod manifestum est, partim ex diuersa tensione fibrarum vitrearum in superficie caua bascos internae, partim ex diuerso et difformi contactu particularum,
p. 353. ex quibus fundus constat. Iam vibratio, quae est vehemens tremor partium ampullae minimarum, per appulsum corporis illabentis fit in superficie fundi interna, cuius partes inaequaliter quidem numero item exiguo cohaerent, licet fortiter tensae sint. Quo efficitur, ut facillime dissiliant ampullae, quam primum corpus durum valde elasticum in ipsas leniter illabatur. In tanta igitur obscuritate rei Cl. Auctor satis probabi-

* *Seltenh. der Natur und Oecon. II. Band*, p. 577 sqq.

probabilem cauſſam ſuggerit, eamque, ut veram, experimentorum fide communire inſtituit. Non defuerunt, qui alias cauſſas in medium protulerunt, atque ad electricitatem, commune iſtud qualitatum occultarum aſylum confugerunt: quorum numerum, poſt ingenioſum LAGHIVM * qui tentamina cum ampullis fere primus inſtituit, doctiſſimus SCRINCI, in Vniuerſitate Pragenſi Profeſſor publicus, nuper adauxit ** in meditatt. phyſicis de phialis vitreis diſſilientibus. Huius viri docti argumenta Cl. HANO VIVS ſub examen reuocat, et quantum ſatis eſt, refutat. p. 382.

No. 7) *Tempeſtatem annorum* 1752 *uſque ad* 1755 *Gedani obſeruatam deſcribit* Cl. REYGERVS. Multa vir Cl. egregia adfert et ad cognoſcendam aeris conſtitutionem in diuerſis locis maxime utilia. Videlicet tempeſtatem aeris, anno 1752. Gedani quae fuit, cum temperie aeris Berolinenſi comparat, quantum ex parte XX amoenitatum phyſicarum (*der phyſiſchen Beluſtigungen*) apparet. Inde eluceſcit conſtitutionem aeris utrobique ſatis conuenire. Porro Cl. Auctor recenſet obſeruationes meteorologicas, annis tribus ſequentibus a ſe factas, ut inde coeli ſtatum, quem pro regione Gedanenſi in Tomo II Commentariorum Societatis definiuerat, magis comprobet. p. 395.

Hoc loco deſcribit rariſſimum phaenomenon a ſe viſum, iridem nempe album, ſiue coloribus conſuetis deſtitutum. p. 417.

Tandem Cl. HOLMANNI obſeruationes meteorologicas Goettingenſes legere non potuit, quin ex earum cum Gedanenſibus comparatione phyſicam illam regulam nouo argumento confirmet: mutationes barometricas, ſcilicet quae a grauitate aeris pendent, p. 420.

* *Comment. de Bonon. Scient. et art. Inſtitut.* P. II. T. I. pag. 333.

** Vol. X. *Act. Phyſ. Med. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ.* in App. p. 181 ſeqq.

pendent, in diſſitis regionibus eodem tempore, diuerſa licet quantitate, fieri.

p.424. No. 8) Nunc Cl. KLEINIVS *hiſtoriam naturalem arboris Caffe componit, deſcribens uſu ſuo edoctus, quomodo Gedani culta ſit?* Annus agebatur huius ſaeculi viceſimus primus, quo Cl. Auctor ex horto Boſiano Lipſienſi ſobolem arboris recipiebat, paulo poſt incuria hortulani extinctam. Qua amiſſa, aliquo tempore poſt mitti ſibi ex Hollandia curauit ſemen arboris maturum, de quo planta hilaris ſurgebat atque ſana. Amat terram humidam ſatis mollem, pauliſper arenoſam et calorem ſufficientem. Quare e re eſt, ut vaſculum, in quo ſeruatur aliturque ſemen, vitro tegatur, ſimo imponatur, et miſſa ibidem terra ſaepius humectetur. In nutriendis planta et arbore ſingularem operam adhibuit Noſter, atque mira induſtria omnia annotauit, ad quae in cultura plantae attendi
p.441. oportet. Scalprum arbori difficulter admoueto, et ſicubi eo opus eſt, totam plagam et ſpatium inciſum luto bene ſubacto aut cerato oblinito, aer externus in poros ſectionis penetrans ne noceat. In ſerenda arbore ſeruandum maxime eſt, ut nucleus ſitu recto, quo nempe arbori adhaeſerit, in terram deponatur: quae res ſemen faciet citius emergere et plantam producere laetam vegetamque. Caetera epocha arboris Caffe in Europam delatae numeratur ab anno 1714, quo prima arbor ex inſula Iaua miſſa et in hortum Amſtelodamenſem inſigni ornamento repoſita eſt. Ibi fructus dedit nouasque ſtirpes per omnem Europam deferendas. Itaque haec arbor foecundiſſima uberrimorum ac pulcerrimorum foetuum mater in Europa recte dicitur. Icones additae obſeruata illuſtrant.

p.442. No. 9) *Salſedinem aquae marinae ad oſtium Viſtulae propter Gedanum explorat* Cl. LÜRSENIVS Med. Doct.

Doct. Tentaminibus hunc in finem, ſocio DE LA MOTTE Medico Gedanenſi, triplici modo ſuſceptis, per deſtillationem nempe, ebullitionem et congelationem, quantitatem ſalis, ſiue impuri illius, ſiue concreti et in florem commutati, ad modum exiguam reperiit; cui plerumque materia reſinoſa adhaeſit. Eundem lapidem ante Auctorem noſtrum voluit Cl. HANOVIVS, cuius hac de re tentamina, affecta licet, prolixiora tamen legere eſt in *rarioribus* eius *naturae* * *et oecon.* ſub finem Cl. Auctor de aqua marina a tetro et amaro ſapore liberanda verba facit, et laudandos conatus BOYLEI, LEVTMANNI, LISTERI, HALESII et in primis APPLEBEII recenſet. p. 452.

No. 10) Sequitur *epiſtola Prioris coenobii carthuſiani prope Gedanum*, GEORGI SCHWENGEL *ad* KLEINIVM, *ab* REYGERO *ex latina in theotiſcam translata, de memorabilibus phyſicis quibusdam huius coenobii:* quae, de eius piſcina, de inſulis natantibus, de charybdi et aquae ductibus ſubterraneis, de ſiluis atque arboribus ibi creſcentibus docet. p. 458.

No. 11) Saepius laudatus HANOVIVS *quaedam ſupplementa ſuppeditat ad extinguendum ignem*, et remedia non nulla, quae hunc in finem triplici modo adhibenda ſunt. Itaque 1) docet, quid faciendum, ubi aqua deficit? In locum aquae Cl. Auctor terram ſabuloſam et arenam, tabulas laminasque ingentes ferreas, operimenta fictilia et id genus alia omnia ſubſtituit, quibus flamma ab eruptione, et aer externus ab alendo igne prohibentur. Huius rei cauſſa machinulam proponit, cuius ope arena reſtinguendis incendiis inſeruiens in locum igne correptum deferri poſſit. Adhaec plebeculae opinionem ridet, ac ſi ignem faſcinare mala lingua liceret. 2) Media ſubdit, quibus impediri poſſit, ne incendium, ſi ventus furit, p. 470. p. 478.

* *Seltenb. der Nat.* B. III. p. 593.

furit, latius fundatur. Quod effici putat per umbracula maiora ad ſimilitudinem minorum illorum fabrefacta, quibus in focis coquinis flamma ab agitatione circumiacentis aeris tuta praeſtatur et tranquilla. Huius modi umbracula vel velis linteis, vel parietibus ligneis conſtruere iubet. Certius tamen, miſerabile licet, remedium hoc eſt, ſi aedes confines diruantur, quo minus flamma protinus ſerpere queat. Immo huc conducit, ſi plateae non ſint ad modum anguſtae, neque aedificia contigua, deſtituantur muris
p. 488. intermediis ſolidis et craſſis. 3) Inquirit, qua ratione iis, qui opem ferunt, feſſis poſſit ſubueniri? In Noſtris ciuitatibus mos eſt, punire illos, in quorum aedibus initium incendii ortum eſt. Quare homines formidine poenae terrefacti ignem celant, ſpe doli vana, fore, ut ipſimet ſine aliorum auxilio ipſum extinguant. Hoc malum cum aliud mox grauiſſimum ſequatur, ſuadet Auctor, ut ſeuerius animaduertatur in illos, qui coortum incendium, cui cohibendo impares ipſi ſunt, vel minimum occultant, nec vicinos in ſubſidium aduocant. Tandem cura et prouida agenda ita omnia ſunt, ut alii rebus ex incendio eripiendis et in ſecuritatem deportandis, alii reſtinguendis et coercendis flammis praeficiantur.

p. 492. No. 12) Vltimo Commentario GRALATH *tertiam ſectionem hiſtoriae electricitatis exhibet*, atque enarrat, quae experimenta electrica viri experientiſſimi recens inſtituerunt: ut KRÜGERVS in detegenda cauſſa electricitatis; WAITZIVS et LVDOLFVS in conficiendis barometris electricis; GORDONVS atque BOSIVS in emendandis machinis et inſtrumentis, electricitati inſeruientibus; ROBINSIVS in detegenda electricitatis utilitate; WINCKLERVS, KLEISTIVS atque LE MONNIER in minuenda ſenſatione fuccuſſionum electricarum; GORDONVS, NOLLETVS et Cl. Auctor ipſe, in determinandis viribus electricis ad occidenda

occidenda animalia, aues, ſcarabaeos etc.; NOLLETVS, WINCKLERVS, BOSIVS, in explicandis phaenomenis electricis; DV FAY, GRAY atque WINCKLERVS in commonſtranda ſimilitudine electricitatem inter et fulmina; WATSONVS in augenda vi electrica ope plurium globorum vitreorum, et in explicando tentamine MVSSCHENBROEKII, quod Cl. Auctor laudabilem in modum inuentori primo, KLEISTIO, Decano Capituli Caminenſis in Pomerania aſſerit, cum alii illud ad MSVSCHENBROEKIVM referant. In fine Cl. Auctor tentamina MONNIERII recenſet ad illuſtrandam electricitatis communicationem facta.

No. 13) Tandem I. G. PFENNIGKI, Schlibam, Saxonis, ad St. Saluatoris Diaconi, viri egregii, ſolertis, et inſpiciendarum rerum naturalium maxime conſulti, vita exponitur. Hic vir, ut in primis erat, qui ſocietatis naturae indagatorum fundamenta iaciebant, ita primus eſt, qui eandem, fato functus dereliquit. p. 556.

II.

Examen de pluſieurs parties de la chirurgie, d'aprés les faits qui peuvent y avoir rapport: par Mr. BAGIEV, Ecuyer, Membre de l'Academie Royale de Chirurgie, et Chirurgien Major de la Compagnie des Gendarmes de la Garde du Roi. Tom. I et II. à Paris, chez la Veuve Delaguette. 1757. 12 mai. 1½ Alphab. Sine praefatione.

i. e.

Diſquiſitio plurium partium chirurgiae, ſecundum caſus, qui illis adfines ſunt. Auctore BAGIEV.

Difficulter aliquis ex huius libelli titulo coniiciet, quae in eius pertractatione continentur. Sunt autem

autem quaedam partes chirurgiae, obſeruationibus illuſtratae: in primis diſquiſitio vulnerum ſclopetorum, et eorum, quae ratione glandium plumbearum, corporumque alienorum obſeruanda veniunt. Sequitur hiſtoria amputationis, et examen vulnerum, quae ſcilicet, et quo tempore et ſub quibus conditionibus amputationem requirunt: omnia rariſſimis lectiſſimisque obſeruationibus probata. Hiſtoria amputationis ſex commentariis comprehenditur. Omnis autem libellus in duo diuiſus eſt tomos, non quidem ratione materiae, ſed ratione formae. *Primus* tomus continet diſquiſitionem corporum peregrinorum, et tres commentarios de amputatione: *Secundus* reliquos. Ordo, qui ratione capitum et ſectionum obſeruatur, minime ita comparatus eſt, ut naturalem et logicam diſpoſitionem indicaret, ad cuius ductum facilis conſpectus dari poſſet. Pertractatio autem ipſa ubique teſtatur de Cl. Auctoris cognitione et peritia chirurgica. Lectu praeſertim digniſſimae ſunt obſeruationes hinc et illinc inſperſae, quas exercitatiſſimi etiam chirurgi non ſine fructu legent. Fidelis enim eſt obſeruator, qui commiſſos in cura non diſſimulat erro-
p. 15. res, qua propter laudem meretur. In capite *primo* docet, noſtros ſenſus non ſemper ſufficere ad determinandum, num glans plumbea adhuc in vulnere relicta ſit, nec ne. Multae adducuntur rationes, variaeque circumſtantiae, quae omnino impediunt chirurgum, quo minus certus eſſe poſſit de glande relicta. Sic vulneris exitus perfecte reſpondere poteſt introitui, et tamen glans reſtat, ſi ſcilicet ſclopeta vel tormenta pluribus glandibus referta fuere, quarum una tranſiuit, altera remanſit: vel, ſi ambae non percuſſere membrum, una exſecta, altera, quia duas non ſuſpicatus eſt chirurgus, relicta fuit. Sic contra, quia nullum exitum vidit, ſollicitus eſſe poteſt chirurgus de reſtante glande, eamque anxie, vulnus dilatando, quaerere, quum tamen eadem via rediit,

rediit, et inueſtimenta ſe abſcondidit. Si caua cor- p. 29.
poris perfodit glans, haec inquiſitio atque determinatio difficilior redditur; id, quod probat Caput *ſecundum*. Occaſione perforationis thoracis Cl. Auctor tanquam ſingulare aduerſus chirurgum DESPORT, aliosque, qui contrarium defendunt, adnotat glandem plumbeam tranſiuiſſe omnem thoracem intra duas coſtas, ſine laeſione coſtarum, quid? quod ſine laceratione arteriarum intercoſtalium.* In Capite p. 42.
tertio Cl. Auctor contendit glandes in motu lineam directionis mutare, quando ad os quoddam allidunt, prioremque reſumere, poſtquam hoc egreſſae ſunt, ita, ut os quaſi circumiuiſſe viſae ſint glandes. Duas memorabiles hunc in finem affert hiſtorias, quibus opinionem ſuam probare annititur. Verum enim vero nonne partium carnoſarum tumor, qui eiusmodi vulnera ſtatim comitatur, huius apparitionis cauſſa eſſe poteſt? Sed non os ſolum, ſed et tendinem efficere poſſe, ut glans a linea directionis deflectatur, credit Cl. Auctor, quod nobis, ut verum fateamur, vix poſſibile videtur. Frequentius tamen p. 53.
accidit, ut glandes plumbeae locum, ubi per longum tempus abſconditae fuere, ſucceſſu temporis mutent, et

* Teſtari poſſumus idem nos obſeruaſſe nuper in vulnerato centurione Gallo, cuius thorax dexter a tergo intra nonam et decimam coſtam perfoſſus fuit glande plumbea, quam, quum in partibus anterioribus haeſit, ſtatim ex integumentis excidimus. Haec, vix eſt credibile memoratu, utramque coſtam, tam in introitu, quam exitu, ita feliciter praeteriit, ut, nec coſtam, nec arteriam, in illius crena latentem, laeſerit. Poſt ſex etiam hebdomadas perfecte ſanatus fuit, quod certe non eueniſſet, ſi coſta fuiſſet diffracta. Tertia hebdomade, ob laceratos pulmones, plures quam ſex libras puris albiſſimi, optimique, ſcreatu atque tuſſi, paullatim reddidit, quod tamen ultimis curationis diebus ſenſim ceſſauit.

et in nouo loco, ad quem deſcenderunt, periculoſiora excitent ſymptomata. Plumbo quidem ipſi, quod innoxium per ſe huc uſque in vulneribus creditum fuit, plurimam culpam nouae huius moleſtiae tribuere mauult, quam alii cauſſae, quum tamen ex noui loci, quem nunc occupat glans, natura atque conditione, maius periculum oriri nobis perſuaſi ſimus.* Non vero ſolum glandes, ſed oſſeae etiam feſtucae, vi glandis auulſae, una cum illa deſcendere, et locum mutare poſſunt, quod Noſter rariore comprobat caſu, quem a chirurgo ARNAVD accepit. Ad
p. 66. aliena corpora in Capite *quinto*, quod quartum in ordine eſſe deberet, refert Cl. Auctor ex veſtibus lacinias, globulos veſtium, nummos, et velamenta, (*la bourſe*) quibus glandes inueſtiuntur. Haec omnia conſideranda, et veſtimenta pertuſa bene examinanda ſunt, num particulae, et quales ex illis deſint. In
p. 71. Capite *ſexto* expendit regulas, quas alii pro extrahendis glandibus dederunt, nullumque tempus amittendum ſuadet, ad eas extrahendas, ſiquidem caſus multo numeroſiores putat, ubi extractio properanda,
p. 77. quam ubi differenda eſt. In Capite *ſeptimo* agit de differentia materiarum, ex quibus glandes parantur. Ferreas, ob rubiginem, quam contrahunt, noxiores cenſet plumbeis. Dubitat de glandibus, ex cupro, vitro vel lapidibus confectis, ſaltem tales non vidit. Negat, ni fallimur, iure glandes accenſo puluere pyrio traiectas fieri igneas, et comburere partes, quas pertundunt. Periculoſiores eas iudicat, quae ſunt
p. 82. angulares, vel ramoſae. In Capite *octauo* exemplis probat,

* Nouimus militem, qui per triginta fere annos eius modi glandem plumbeam, angulo interiori maxillae inferiori, infixam, ſine noxa geſſit, et ad neſtoreos fere peruenit annos. Poſt mortem, quae nuper accidit, in eam inquiſiuimus, illamque ope materiae cartilaginoſae incluſam, et ad os fere adnatam inuenimus.

probat, quam utilis et ſalutaris ſit feſtinatio in extrahendis glandibus plumbeis, ceterisque alienis corporibus, quare extractionem ſtatim, quam primum chirurgus accedit, tentare auctor eſt. Aliter ſe res habet, quando glans ad os penetrauit, ibique haeret. Quid tunc faciendum, in Capite *nono* exponit. Poſtea p. 90.
quam DIONIS et LE DRAN, celeberrimorum in Gallia chirurgorum, hac de re ſententias inter ſe contulit, ſuam adnectit. Omnia adhibenda monet, ut glans extrahatur, nec modiolum, qui recentioribus trepanum dicitur, abhorret. Si vero fieri non poteſt, ut glans extrahatur, DIONIS omnia naturae committenda, et exfoliationem expectandam ſuadet: LE DRAN e contrario membrum praecidi vel amputari mauult. Cl. Auctor, qui non adeo pronus ad amputationem videtur, ſuſpendit ſuum iudicium, et lectores ad commentarios ſuos de amputatione remittit. Reſtat Caput *decimum*, quod ratione materiae, p. 100.
quam pertractat, a prioribus valde diuerſum eſt: quia tamen ad hiſtoriam corporum peregrinorum, quae vulneribus inhaerent, pertinet, huc referri a Cl. Auctore potuit. Memorat enim caſum feſtucae ligneae, quam ſtrenuus venator in pedem ſibi vi intruſit. Quum prior chirurgus, tale non cogitans, hanc neglexit, inſanabile et diuturnum inde ortum eſt ulcus, quod bis coiuit, ſed ſemper recruduit, et non prius perfecte conſanuit, quam feſtuca extracta fuerit. Accedunt nunc commentarii de amputatione. Occaſionem hos componendi commentarios Cl. Auctori ſine dubio dedit thema, de acceleranda vel differenda amputatione membrorum in vulneribus cum oſſium colliſione, ab Academia regia chirurgorum Pariſienſi 1755, ad acquirendum praemium propoſitum: id enim his commentariis praemittit. *Pri-* p. 112.
mus commentarius cauſas exponit, quae chirurgum mouere debent, amputationem inſtituendi. In genere notandum, Cl. Auctorem non adeo facilem eſ-

ſe, uti eius ciues, ad praecidenda membra, multo minus ad amputationem accelerandam. Nec in omnibus illi propoſitio, ab Academia regia chirurgorum facta, arridere videtur; nimis enim generaliter enunciatam illam inuenit. Inquirit nunc in differentias vulnerum, quae amputationem in genere, et quae citam et proximam poſcunt. Et, licet ipſe in quibusdam caſibus eam abſolute neceſſariam, et minime protrahendam agnoſcat; tamen fere nunquam,
p. 137. pauciſſimis exceptis, ob rationes, quas adducit ſatis ſufficientes, eo in loco, in quo pugnatum fuit, illam inſtituere putat. Et in hoc vertitur cardo quaeſtio-
p. 172. nis, ab academia propoſitae. Prouocat in primis ad experientiam, quae certe optima magiſtra eſt: in ceteris autem aſſerta ſua utiliſſimis illuſtrat obſeruationibus. Quem ad modum nimiam feſtinationem ad amputationem faciendam multum detrimenti vulneratis attuliſſe expertus eſt: ſic nimia dilatione idem fieri non inficiatur; qua re media via, qua tutiſſime itur, incedere, in fine huius commentarii, auctor eſt. *Se-*
p. 189. *cundus* commentarius examen, uti dicit Cl. Auctor, analyticum nouiſſimarum praecidendi membra methodorum, quas Academiae regiae chirurgorum *nuper propoſuerunt Cl. RAVATON et LOVIS. Hic priores methodos reformare et corrigere annisus eſt; ille methodum nouam, licet crudeliſſimam, excogitauit, qua femur, circa collum ſuperius prorſus comminutum, ex articulo excidi poſſet. In ſermone praemiſſo monet Cl. Auctor, in operatione manuali
p. 195. amputationis ad AMBROSII PARAEI uſque tempora fere nihil mutatum atque adiectum fuiſſe, veteres tamen paucioribus membra amputaſſe, illos potius ſtuduiſſe ea conſeruare, qua in ſcientia ideo veteres fortaſſe recentiores ſuperaſſe non dubitat. Fatetur enim

* Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie Tom. II. p. 268 et 355. vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 598.

enim neceſſitatem praetextam membrum praecidendi ſaepius inueniri apparentem magis, quam fundatam. Ceterum ipſam a Cl. RAVATON propoſitam metho- p. 197.
dum, poſt prolata prius dubia, oſtenſosque in anatomia commiſſos errores, declarat crudelem ob metuendam haemorrhagiam impoſſibilem, et nullo exemplo probatam, ſed ab inuentore tantum in cadaueribus tentatam: quo facto auctorem inuentionis tantum non ludibrio exponit. Aliter et humanius agit in *tertio* commentario cum Cl. LOVIS, qui ad praecauendam prominentiam oſſis detruncati, et ob eius nudationem timendam, nouam methodum, ſeu diuerſum procedendi modum cum Academia regia chirurgorum in eius Commentariis communicauit. Hanc anatomice et chirurgice examinat, multasque difficultates illam exercendi reperit, qua de cauſa huc uſque uſitatam correctam, cum duplici ſcilicet inciſione, multo faciliorem atque tutiorem praedicat. Progreditur ad hiſtoriam diſputationis, quam in con- p. 237.
ſeſſu Academiae Cl. Auctor habuit cum Cl. ANDOVILLE chirurgo, et quae anſam hunc componendi libellum dedit. Lectoribus non iniucundum fore ſperamus, ſi hiſtoriam a capite repetimus. Cl. VEYRET chirurgus proponebat Academiae * caſum, quo eminentem partem oſſeam, tertio poſt amputationem peractam menſe reſcindere coactus fuit, cum optimo quidem curae ſucceſſu. Ortum eſt hac de re certamen inter Cl. Auctorem et Cl. ANDOVILLE. Hic enim illam reſectionem reprobabat, ille defendebat. Quisque ſuam opinionem tueri atque ſuſtinere conabatur. Tandem Cl. LOVIS ** ſe huic certamini immiſcet, et chirurgi ANDOVILLE defenſionem ſuſcipit; ſimulque nouam ſuam exponit Academiae methodum, qua prominentia, et nudatio oſſis euitari poſſit. Hunc denuo refutat Cl. Auctor in hocce

 commen-

* l. c. p. 265.

** Ibidem p. 268 et 403.

commentario, omniaque, quae ille protulit, cenſo-
p. 371. ria virgula notat. Haec eſt vera hiſtoria litis, atque ratio ſcriptorum promulgatorum. Diuiſus eſt libellus, uti ſupra monuimus, in duos tomos. Incipit nunc *ſecundus*, et commentariorum *quartus*, qui, uti nos quidem iudicamus, eſt utiliſſimus, optimisque refertus obſeruationibus. Oſtendit Cl. Auctor in hoc commentario in amputatione tractanda pauciſſimum ab arte chirurgica fieri, plurimum atque optimum a natura eſſe expectandum. Hanc operationem per ſe ſatis periculi plenam iudicat Cl. Auctor, id, quod periculum acceſſionibus, quae illam plerumque comitantur, multum augeri dicit, licet ars chirurgica omnem adhibeat operam atque curam. Poſtquam omnia ponderauit, quae in fauorem amputationis dici queunt, etiam pericula et incommoda, quae amputationem immediate ſequuntur, perpendit, ex quibus non exiguum eſt, amiſſio membri. Maximam difficultatem inuenit poſt peractam amputationem in reſtituendo ſanguinis in parte mutila circulo, eiusque aequilibrio per totum corpus rurſus diſtribuendo. In hoc enim Cl. Auctor primariam rationem quaerit, cur tam pauci membris amputati morti eripiantur. His praemiſſis, colligit veteranum chirurgum, qui experientia didicit, quid valeat ars, quid valeat natura, potius diſſuaſurum, quam conſulturum eſſe amputationem, quia plures inde mori, quam curari vidit: iuuenem e contrario atque nouitium, ſine multa haeſitatione illam auſurum. Haud inique igitur taxat chirurgos gallicos, qui nimis faciles ipſi huc uſque
p. 440. viſi ſunt in adhibenda amputatione. Cauſam in eo ponit, quod multi incipientes chirurgi, vel ab eorum magiſtris, vel ſcriptoribus, qui non nulla vulnera nimis periculoſa, et ſine amputatione incurabilia, ſibi finxerunt, vel nimis timide reddantur, vel praeiudiciis ita abripiantur, ut eius modi vulnera, alio modo, quam amputatione, tentare non audeant. Hinc ſedulo

dulo diſtinguit atque reſtringit caſus, qui illam requirunt, pluresque affert obſeruationes, ubi et illi, qui ab aliis ad amputationem damnati fuere, ſine amputatione, ſola chirurgi dexteritate, atque aſſiduitate, ſanati ſunt. Vnicum caſum excipit, quando vaſa ma p. 490.
iora ſanguifera nimis dilacerata ſunt, ut circuitus ſanguinis ad ſubiacentem inferiorem partem plane interceptus ſit, tunc amputationem ineuitabilem cenſet. In reliquis, plurimas difficultates ſaepius chirurgi peritia, iudicio, experientia atque patientia vinci poſſe, aſſerit. Ratione venae ſectionis, quae vel amputatis p. 558.
ſtatim poſt operationem, vel etiam vulneratis aliquo ties adhibetur, non immerito reprehendit collegas ſuos conterraneos, quod illam ſaepe ſine ratione et in damnum vulnerati repetant. Si ſanguinis copia imminuenda eſt, ſanguinem ex ipſo vulnere in principio larga quantitate fluere ſinit: et hoc effluuium, quod uſum attinet, multum ſuperare venae ſectionem affirmat; quare de ſiſtendo ſanguine haud adeo ſollicitus eſt. Quando oſſa nimis colliſa ſunt, maximum emolumentum in eo reperit, ſi vulnus ſtatim ſufficienter amplietur, et vulneri, ſi opus, in aduerſa parte, nouum vulnus, quod contra inciſionem vocent, addatur. In ſupplemento, huic commentario adiecto, quaedam de laeſione tendinum, et eorum cura atque redintegratione habet, quam non ſolum poſſibilem, ſed etiam non adeo difficilem opinatur, hinc ſectionem tendinis, quo, in ſtrictura et tenſione nimia, pars laxetur, minime timet. In commenta p. 601.
rio *quinto* inquirit Cl. Auctor in methodum, quam Chirurgus Cl. FAVRE, ratione vulnerum a ſclopetis et machinis bellicis factorum, propoſuit. Amputationem in genere non reiicit FAVRE, uti Noſter: ſed illam tantum modo, ob vehementem commotionem, quam eiusmodi laeſio in corpore excitat, ad quatuor vel ſex ſeptimanas differre vult. Ex tercentis enim laeſis, et ſtatim poſt vulnus acceptum amputa-

tis, quadraginta tantum ſeruati ſunt, quum contra ex decem aliis, quorum amputatio dilata fuit, nullus periit. Huic contradicit Cl. Auctor, illique opponit ſuam et dexterrimi chirurgi Cl. BOVCHER medendi rationem, huiusque in commentariis * Academiae chirurgicae prolata dubia. Repetit ea, quae de difficultate reſtituendi aequilibrium circumeuntis ſanguinis ſupra monuit. Plures conſeruatos iri expreſſe dicit, ſi paucioribus membra praecidantur: quid? quod maiorem gloriam chirurgiam reportaturam eſſe, ſi milites et ciues, membris integris et conſeruatis, quam
p. 657. mutilis reipublicae reddantur. In commentario *ſexto* et ultimo examinat Cl. Auctor famoſi illius libelli, *Recherches critiques ſur l'etat preſent de la chirurgie*, quem chirurgus Anglus SHARP edidit, Caput VII. quod de amputatione agit. Ratione gangraenae SHARP in ea fuit opinione gangraenam ſe ultro tandem ſiſtere *, hinc amputationem in eius modi caſibus eſſe ſuper-

* l. c. pag. 461.

** Eius modi gangraenae ſiccae ſpeciem, quae ultro conquieuit, his diebus vidimus in puella viginti quatuor annorum, cui ambo pedes inferiores praeterita hieme frigore aduſti atque enecati fuere. More vulgi incongrua adplicat remedia, ſuccedit gangraena et corruptio utriuſque pedis, quae lente quidem procedit, ad media crura tamen aſcendit. Chirurgus ambo pedes in parte ſana praecidere volebat: ſed auctoritate atque experientia Cl. SHARP fidentes, gangraenam ſe terminaturam et pedes ſponte eſſe caſuros, amputationem ſemper diſſuaſimus. Hodie, dum haec ſcribimus, pes dexter, una cum tertia parte tibiae et fibulae ſponte, cum quodam fragore abſcedit: et partes carnoſae relictae ſanae, partes truncatas oſſium tantum ſuperant, quantum ad formandum tegmen oſſium et cicatricem neceſſe eſt. Haemorrhagiam aduocatus chirurgus ligata arteria ſuppreſſit. Alterius pedis conditio perfecte aequalis ſimilem euentum expectare, et reliquus ſtatus ſanus puellae iuuenis felicem curae exitum ſperare promittunt.

ſuperfluam. Noſter contra, qui in aliis caſibus amputationem damnauit, in his illam neceſſariam iudicat. Primum exponit Cl. Auctor doctrinam Cl. SHARP, multaque contra hanc, praeſertim contra eius gangraenae ſiccae definitionem monet. p. 665. Deinde de inciſionibus, quas Noſter aliique in gangraena ſummopere commendant, non multum utilitatis ſibi promittit Cl. SHARP, easque ideo tantum faciendas concedit, ut medicamenta melius adplicari, et ſanies commodius effluere queant: quum e contrario Noſter inciſiones pro praecipuo habet, et harum uſum tanquam baſin huius partis chirurgicae conſiderat. Primarium inciſionum commodum in eo quaerit, ut ſtrictura et tenſio, quae partibus membranoſis et neruoſis tam periculoſa eſt, tollatur, quare nec faſciae latae, nec membranis communibus, nec aponeuroſibus parcit, ſed illas, ſi opus, profunde ſecat. p. 680. Ignem, ſeu cauterium actuale, quo veteres potiſſimum uſi ſunt, et Cl. SHARP plane reprobauit, non prorſus repudiandum cenſet, et eius uſum in quibusdam caſibus ſalutarem iudicat. Princeps autem cardo commentarii vertitur in eo, ut determinetur, quid in gangraena ſicca faciendum ſit. p. 716. Cl. SHARP curam per expectationem commendat, donec gangraena ultro conquieſcat: Noſter contra profunde incidere, partes vero, licet gangraena corruptas, non ſtatim tollere ſuadet, et, ſi periculum, in parte ſana membrum praecidere iubet. Cortici peruuiano non multum fauet: admittit tamen eius uſum in gangraena, a cauſa interna, vel externa violenta: in gangraena autem ſicca illum prorſus reiicit, quod etiam Cl. SHARP fecit, qui in ceteris gangraenae ſpeciebus illum multis extulit laudibus. p. 741. Plurimum illi tribuit Noſter, ſi omnia facta ſunt, quae chirurgia poſcit, et ſuppuratio tamen laudabilis non ſuccedit. Poſt ea multum diſputat Cl. Auctor, de alia gangraenae ſpecie, quam criticam SHARP, alii localem adpellant,

atque illius cauſas et tractandi rationem exponere ſtudet. Coronidem tandem commentario, omnique libello, imponunt obſeruationes utiliſſimae, ex ſua aliorumque experientia deſumtae.

III.

Verhandeling over de waare Gedaante, Aart, en Uytwerking', der Cicuta aquatica GESNERI, of Groote-Waterſcheerling: Een Gewas 't welk hier te Lande in groote Menigte voortkoomt, en genuttigd van de doodelykſte Gevolgen is. Ten algemeenen Nutte, inzonderheyd der geenen die ten Platten Lande woonen, met de Behulpmiddelen daartegens, beſchreeven, afgebeeld en in 't Licht gegeven, door M. W SCHWENCKE, Med. Doct. en Profeſſor in de Botanie. Met Kopere Plaaten verrykt. In s' Gravenhage, by Mattheus Gallard. M DCC LVI. 8 mai. plag. $3\frac{1}{2}$. tab. aen. 4.

h. e.

Diſſertatio de vera forma, natura et efficacia Cicutae aquaticae GESNERI, plantae hic locorum abundantius creſcentis, et manducatae funeſtos edentis effectus. In uſum publicum, in primis eorum, qui in planitie agri Hagani viuunt, additis contra eandem remediis, deſcripſit, delineauit atque edidit M. W. SCHWENCKE, Med. Doct. et Profeſſor Botanices.

Etſi cicuta aquatica GESNERI cognita ſatis, et in primis a viro magni omnino nominis, WEPFE-

KO

RO * accurate deſcripta eſt, multum tamen laudis ac gratiae debent Cl. SCHWENCKE et eruditi et ciues eius litteris minus tincti, quorum ſaluti potiſſimum voluit proſpicere, quod et plantae adeo nociuae et, quamuis abundantius prouenientis, parum tamen adhuc inter Belgas cognitae, pleniorem ipſis fecit notitiam, et quae de eadem iam adnotarunt alii et prae ceteris Cl. WEPFERVS, vel confirmauit, vel correxit et accuratius expoſuit, vel denique ipſe etiam ſua addidit. Primam autem conſcribendae huius diſſertationis occaſionem Cl. Auctori dedit triſtis caſus trium puerorum, cicutae radicis eſu exſtinctorum, cuius plenior recenſio ipſi opuſculo praefixa legitur in epiſtola Cl. BOX, medici Delphenſis, ad Cl. Auctorem data; ex hac iam lubet potiora momenta huc transferre.

Anno nimirum huius ſeculi quinquageſimo ſexto, p. 13.
ipſis calendis martiis, in pago *Seſtienhoven* prope *Delflandiam*, tres pueri et unica puella, domi relicti ſoli a parentibus, manducata radice cicutae, quam forte inuenerant haud procul a domo in terra, mox diriſſima experti fuere ſymptomata, et pueri omnes breui exſtincti, puella autem, vel quod parum radicis comederit, vel eam ſtatim vomitu reiecerit, ſola ſanitati reſtituta eſt. Erat autem natu maior quatuordecim, ſecundus ſex, tertius quatuor, puella duorum annorum. Hos mater, domum redux hora decima matutina, inuenit humi proſtratos, vomituque vehementer agitatos et conuulſionibus, oculis extra orbitam fere extortis, ſpumaque ante os, et minimam natu ex lingua morſu vulnerata inquinatam ſanguine. Mox moritur maior natu, et aliquot horis poſt

* Cicutae aquaticae hiſtoria et noxae commentario illuſtrata a IOH. IACOBO WEPFERO, Med. Doct. Schaphuſino. Baſileae, 1679. 4. c. f. et curante THEODORO ZVINGERO Archiatr. Baſil. auctior edita ibid. 1716. 4. c. f.

poſt a meridie ſecundus, reliquis duobus, quos chirurgus e vicino pago vocatus, et verſus veſperam demum accedens, inuenit vomentes adhuc et conuulſos, cum fruſtis radicis ad terram reiectis, quamuis eam non cognoſcit, ipecacuanham tamen dat et paullo poſt clyſma, ex lacte, ſaccharo et ſale paratum; id, quod valde taxat Cl. BOX, quoniam vomitoria iuſto vehementius agunt, clyſteres vero non ſatis penetrant, ſuadetque potius lac atque oleum. Vterque inter ea infans ad ſe rediit, et puella ſenſim conualuit, puer autem exhauſtus viribus, altero mane, diem ſuum obiit.

p. 18. Tandem Cl. BOX a magiſtratu vocatus, ut ſectionem cadauerum faceret, et in cauſſam tam ſubitae mortis inquireret, diſſecuit primo cadauer pueri natu maioris, inuenitque, ventre et thorace aperto, viſcera omnia ſana, praeter oeſophagum et ventriculum. Vterque valde intumefactus, ille in locis quibusdam exſiccatus, hic vero fundo ſuo ſurſum et ad latus ſiniſtrum preſſus fuit, ut profundior in dextro latere pylori eſſet ſitus. E corpore deinde utroque extracto et aperto ſtatim cauſſa tanti mali apparuit: praeter aerem enim, qui diſtentionis cauſſa erat, mucus ex flauo virideſcens et fruſta radicis, cicutae ſimilis, adhuc in ventriculo haerentia, huiusque tunica villoſa eroſa, inflammata hinc inde ac excoriata viſa ſunt.

p. 21. Vt autem magis pateſcat haecce cauſſa, ſecundi pueri cadauer ſibi quoque Noſter expetiit, illudque in domum ipſius apportatum, ac diſſectum ibidem, attentiori oculo et animo perluſtrauit. Obſeruauit nimirum minorem intumeſcentiam corporis, ac in priore, intus vero omentum contractum et corrugatum, hepar induratum forte ex alio morbo, ventriculum turgidum, inteſtina magis contracta et vacua, venamque cauam et iliacas inanes; in ventriculo mucum virideſcentem, nullum autem radicis fruſtum, quam ante euomuerat, et tunicam villoſam plus minus

nus conſumtam aeſtu. In thorace omnia ſana: in capite vero durae matris cum cranio arctior concretio, ſinus longitudinalis vacuus, vaſa piae matris cruore turgida, et cum cerebro firmius cohaerentia, guttae cruoris in ipſa medulla, ſerum rubellum in ventriculis, plexus choroideus reliquaque medullae oblongatae et ſpinalis vaſa ſanguine turgentia, cauſſam mortis abunde demonſtrarunt. Ex quibus colligit Cl. BOX, cicutae vim venenatam primum irritare neruos ventriculi, inde irregulares in cerebro et reliquis totius corporis, adeoque etiam cordis, neruis ciere motus, hinc maiorem ſanguinis ad caput dirigi impetum, unde compreſſionem cerebri, conuulſiones, epilepſiam, et ipſam mortem. p. 23.

Iam ad ipſam cicutae deſcriptionem, quam tradidit Cl. SCHWENCKE, curatius exponendam nos conuertimus. In qua quidem tradenda ita proceſſit Noſter, ut ad methodum recentiorum botanicorum, et in primis Cl. LINNAEI, plantae ſuae genus primo determinet, deinde ipſam hanc ſpeciem eiusque partes omnes accurate exponat, et iconibus nitidiſſimis additis illuſtret, praemiſſa alius ſpeciei virginianae deſcriptione et icone; poſt vim cicutae et effectus conſideret, et contra eius venenum opportuna remedia ſuadeat, tandem non nulla de aliis ſimilibus plantis venenoſis aliorum ſuasque ſubiungat obſeruationes. Sub initium monet aliqua Cl. Auctor de cicuta veterum Graecorum, eamque putat fuiſſe ſuccum ex opio et conio THEOPHRASTI et DIOSCORIDIS mixtum, quam plantam vero ab hac cicuta aquatica omnino diuerſam fuiſſe vel ipſi effectus doceant et in corpus humanum agendi modus. His praemiſſis Noſter cum Cl. LINNAEO plantam ſuam ad genus *cicutae* refert, huiusque tres ſpecies adſumit, quarum prima haec iam deſcribenda, ſpecifico nomine vocatur *cicuta umbellis folio oppoſitis, petiolis marginatis obtuſis*, additis aliorum etiam botanicorum p. 25.

nicorum ſynonymis; reliquae duae in Virginia prouenire perhibentur a Cl. LINNAEO in ſpeciebus, quarum tamen priorem nondum vidit Cl. SCHWENCKE, alteram autem ex ſemine in horto ſuo cultam,
p. 28. attentiusque examinatam, iam deſcribit. Hanc ſub *Aegopodii* genere Cl. GRONOVIVS, ſub *Angelicae* genere Cll. PLVKENET et MORISON comprehenderunt, et Noſter etiam *Angelicam* eſſe credidit, ſed inter examinandum vertigine vexatus capitisque dolore, ſtatim eius vim toxicam cognouit, habitumque reliquum etiam deprehendit cicutae perquam analogum. Radicem enim habet e multis compoſitam tuberibus, extus rubelle brunam, intus albam, inodoram; tubera multis fibris capillaribus inſtructa; ſurgunt dein folia radicalia compoſita, pinnata, quorum petioli anguſti, ſulco medio excauati, et in latiorem expanſi membranam, radicem amplexantur, foliola autem acute dentata, oppoſita, petiolata ſunt. E medio adſcendit caulis ramoſus, in ſummitate florifer; folia caulina radicalibus ſunt ſimilia; flores umbellati. Odor et ſapor totius plantae idem eſt, ac qui ſolet oriri ab aniſo et foeniculo, inuicem commiſtis. Cl. LINNAEVS eam vocat *cicutam foliorum ſeraturis mucronatis, petiolis membranaceis, apice bilobis.* Haec fuſius Noſter ideo expoſuit, ut huius cum illa aquatica magis pateſcat analogia maxima.

p. 31. Progreditur iam ad ipſam cicutam aquaticam, eamque accurate deſcribit, non modo floris eiusque partium omnium, ſed et radicis, foliorum, caulis, fructusque exactam exhibens expoſitionem non minus, ac delineationem elegantiſſimam, quae omnia quidem hic repetere haud licet, pauca vero de florendi modo et in primis de radice adnotare iuuabit, quod ille notas exhibet, quibus plantae hoc genus ab aliis congeneribus facile diſtinguitur, huius autem deſcriptio multa habet propria et a Cl. WEPFERO haud adnotata. Quod enim florendi modum attinet,

umbellam

umbellam habet cicuta compoſitam, uniuerſalem nullo communi inſtructam inuolucro, partialem vero paruis anguſtisque praeditam foliolis, et hac nota ſe a *Sio*, *cicuta* TOVRNEFORTII, *ethuſa* et aliis diſtinguere Noſtro creditur, quamuis alii potius in ſeminibus ſtriatis hunc characterem ſpecificum poſuerint. Ad radicem vero quod ſpectat, illa in agro p. 34. Hagano ubique abundanter propullulat, in primis in foſſis ſabuloſis, in locis turfaceis, in agris et ad ripas, minime in paludoſis et ſtagnantibus aquis. Aliam faciem aeſtate ipſa habet, quam hyeme et vere. Eſt radix cauleſcens, e multis maioribus minoribusue compoſita tuberibus, e ſuperiori parte trunci productis, paſtinacae ſimilis, extus flaueſcens, alba; aeri expoſita magis virideſcens; multis inſuper extus diſtincta circulis, ex quibus hyeme parua proueniunt tubercula, in maiora tubera vel fibras capillares primo vere abitura; tunc enim iuniores radices ſoluuntur a trunco, qui marceſcit, carioſus factus, in inferiori parte, id, quod plerumque ſub anni primordia accidit, atque hinc locum ſuum mutat et ab aquis ad continentem copioſe eiicitur; aeſtate contra tuberibus fibrisque multis inſtructa radix firmiter terrae inhaeret, atque hanc faciem eius, quam aeſtate habet, tantum delineaſſe WEPFERVM monet Noſter, multum omnino diuerſam ab illa, quam habet hyeme ac vere; de foliis, quae idem depinxit membranacea deſtituta vagina naturae minus conuenienter, Auctor eandem addit cenſuram. Radix autem intus carnoſa alba eſt, odoris illi paſtinacae ſimilis, ſaporis dulcis gratique, ſine omni amaritie vel acredine.

His de fabrica cicutae expoſitis, porro effectus p. 40. eius in corpus humanum conſiderat Noſter, et ex adductis Cll. WEPFERI, STALPART VAN DER WIEL, BOERHAAVII, LINNAEI et ſuis obſeruatis confirmat eosdem radicis hyeme, et herbae vere, et ſeminis autumno manducatorum fuiſſe praecipuos

ſequen-

ſequentes: nimirum vertiginem, praecordiorum anxietatem, intumeſcentiam ventris, ſingultum, nauſeam, vomitum, aegrum proſterni, os et dentes firmiter claudi, caput retrorſum torqueri, artus omnes totumque corpus ſpaſmis agitari et conuulſionibus diriſſimis, ſanguinem ex auribus, mucumque viridem ex ore profluere, mox ſequi ipſam mortem. Ex
p. 44. his effectibus adeo funeſtis qualis ſit vis cicutae, multum inter medicos diuque agitata fuit quaeſtio, eorumque adhuc eſt de eadem diſſenſus: Noſter, miſſa hac diſquiſitione, appellat eam venenum ſui generis, quod in primas vias, et potiſſimum in ventriculum agit; tunica neruoſa huius adeo eſt pars affecta, a qua ſubito penetrat ad reliquos neruos et cerebrum cicutae vis toxica. Quo citius vero vel naturae vel artis auxilio ab hoc veneno liberatur ventriculus, eo facilius miteſcunt et ceſſant ſymptomata, et aegri ſanitati reſtituuntur; atque hinc etiam vix ullam radicis particulam breui adeo tempore, ac haec eueniant, ad ſecundas tranſire poſſe vias, ſatis liquet. Internus igitur cicutae uſus quamuis ſemper eſt letalis, externe tamen ipſa tamquam remedium diſcutiens ac reſoluens multum laudatur, ſub forma cataplaſmatis vel emplaſtri applicatum in variis tumoribus, glandulis induratis, cancro, ſcirrho vel infarctu lienis, et aliis cutis quoque morbis, et proſtat in officinis emplaſtrum de cicuta et diabotanum.

p. 46. Donec autem ſpecificum adhuc deſideratur antidotum, optima remedia Noſtro viſa ſunt aqua tepida, lac cum multo oleo vel butyro, mel vel oxymel ſquilliticum, quippe quae acrem cicutae ſuccum inuoluunt, villosque ventriculi obducunt et defendunt, adeoque omnino anteponenda aliis laudatis remediis, in primis vomitoriis et clyſmatibus, ut iam ſupra monuit Cl. Box: vomitoria enim vehementius agendo ventriculum magis laedunt; clyſmata autem, ſi forte quaedam particulae ad tenuia inteſtina tranſierint,

rint, huc non perueniunt, et ſi ad craſſa deſcenderit cicuta, ea tamen aegris iam viribus fractis vix, ac ne vix quidem, opem ferre poſſunt.

Illud adhuc notari meretur, cicutam, homini et multis animalibus brutis licet venenum ſit, aliis tamen praebere alimentum: caprae enim eadem veſcuntur, ut Noſter experimento didicit. Cetera vero animalia eam probe notam habent, et fugiunt, et non niſi fame coacta, vel herbae iunioris ſpecie decepta, illam depaſcunt, et boues primo vere e ſtabulis in prata ductos, hac auidius manducata periiſſe, plures docent obſeruationes. Hinc quidem ſollicite euellenda ubique haec planta, vel ſi ob eius nimiam id haud liceret abundantiam, alio tamen modo a magiſtratibus proſpiciendum eſſet. p. 48.

Addit Noſter obſeruationes de variis plantis, quae aliis animalibus veneno ſunt, aliis alimento. Taxi herbam depaſcentes equi et caprae ſubito proſternuntur: Vlmariam, itemque hippurim et acorum adulterinum boues intactum relinquunt, caprae contra auidius appetunt. Sunt aliae plures ſimiles plantae, de quibus vero iam ſilet Noſter. p. 52.

IV.

ANTONI MATANI Piſtorienſis, Philoſ. et Med. Doctoris, de aneuryſmaticis praecordiorum morbis atque praecipuis eorum cauſis animaduerſiones phyſico-medica diſquiſitione pertractatae. Florentiae cIↃIↃccLVI. ex typographio ad inſigne Iani apud Petrum Caietanum Viuianum. Praeſidum adprobatione. 4. alph. 1. c. praef.

Quum frequentes Florentiae praecordiorum morbos in primis ex ſectionibus cadauerum obſeruaret Cl. Auctor, nullum vero, praeter LANCI-

SIVM *, ſcriptorem, qui de iisdem accuratius expoſuerit, inueniret, ipſe ſibi perſuadebat, non inutilem patriae et erudito orbi ſe ſuſcepturum laborem, ſi animaduerſiones ſuas de morbis iſtis in publicum ederet, tum ex ſcriptoribus optimis, tum ex anatomicis obſeruatis, tum ex propriis coniecturis atque rationibus deductas. Haec quidem ipſe Noſter in praefatione, longa praemiſſa fatetur, multa ſimul de medicinae ortu et progreſſu diſſerit, opuſculique ſui rationem reddit. Nos quum iam Cl. Auctoris animaduerſiones de morbis dictis indicare aggrediamur, poſſemus non nulla de ſtylo aeque ac cogitatis ipſis animaduertere, ſed de illo ſemet ipſe excuſauit Noſter, de his vero ſit penes lectores iudicium.

p. 4. Vt primum conſtaret, quid praecordiorum nomine intelligat Cl. Auctor, non modo canales arterioſos ampliores, non longe a corde poſitos ſe comprehendere fatetur hoc nomine, ſed cum CELSO earum limites ad hypochondria uſque extendere, omnemque ſimul complecti aortae deſcendentis tractum. Poſt haec de antiquitate iſtorum morborum non nulla diſſerit, eosque veteribus, GALENVM ſi excipias, vel prorſus incognitos fuiſſe, vel alio de-
p. 10. ſcriptos nomine iudicat. Iam ipſos morbos definit, et ſimplicem arteriae dilatationem ſeu tunicarum eius interiorum diſciſſionem, externa illaeſa, *verum aneuryſma*, omnium vero arteriae tunicarum eroſionem ſeu rupturam repentinam, *ſpurium* appellat; nouam addit veluti ſpeciem, de qua in primis ſilent Auctores **, nimirum ipſius cordis ſitum et molem praeternatura-

* IO. MARIAE LANCISII de motu cordis et aneuryſmatibus opus poſthumum. Romae, 1728. fol. c. f. et de mortibus ſubitaneis Libri II. ibid. 1707. 4. vel in Ej. Oper. variis in unum congeſtis. Venet. 1739. fol. c. f. vel Geneuae. 1718. 4. c. f.

* Eam tamen etiam obſeruauit Cl. MECKEL in Memoires

naturalem, hancque dicit *cardiacum aneuryſma*, quod vel a craſſo ſanguine, vel potiſſimum a praeternaturali coronariarum arteriarum extenſione ortum trahit: huic autem nomen *idiopathici* dedit.

De hoc cardiaco dicto aneuryſmate in primis agit Noſter illudque perfrequens eſſe malum affirmat, vel in pueris ſenſim natum ex variis cauſſis internis, in quas poſt inquiſiuit curioſius. Varia vero ſub forma occurrit, et modo omnem cordis peripheriam, modo baſin, modo cuſpidem inſigniter dilatatam, modo fungoſa carne, vel carcinomate, vel ſycoſi fulcitam, exhibet. Ad quam quidem producendam cordis diſtenſionem praeternaturalem plurimum conferre et varices venarum coronariarum et aneuryſmaticam diſpoſitionem arteriarum coronariarum, copioſe demonſtrat Noſter. Cauſas vero utriuſque huius mali ponit in plethora, in motu ſanguinis aucto vel inflammatoria diatheſi, ut in acutis, vel aliis arteriarum vitiis: praecipuae tamen duae nominandae ipſi videntur cauſſae, nimirum craſſus ſanguis et laxitas vaſorum. Ille praeter ea polypos interdum generat, atque polypi plerumque dicuntur cauſae aneuryſmatum: Sed quum Noſter, in cadaueribus his morbis exſtinctorum, grumeſcentem quidem, non vero fibroſum adhaerentemue in corde obſeruauerit ſanguinem, polypos potius ſaepe iam formato aneuryſmate naſci putat, cardiacumque aneuryſma interdum cum polypis, interdum ſine iisdem obſeruari. Tandem quoque dari poteſt mali iſtius cauſa externa, puta hydrocardia ſiue hydrops pericardii, ſi liquor eius, cuius fontes in glandulis ad baſin cordis poſitis inueniſſe ſibi viſus eſt, vel copia, vel acrimonia et ſtaſi peccet, ipſumque cor erodat. Ab his de mole cordis praeternatu-

p. 16.

p. 24.

p. 41.

p. 44.

res de l'Acad. Roy. des Scienc. de Berlin, ann. 1750. à Berlin, 1752. Art. 5. Obſerv. de dilatatione cordis extraordinaria p. 163. et Comment. noſtr. Vol. II. Part. III. p. 436.

rali fuſius pertractatis, ad aneuryſmata arteriarum progreditur Cl. MATANI, et ex defectu virium claſticarum, quibus earum tunicae vel internae vel ex-
p. 52. ternae deſtituuntur, deriuat. Porro quum iam tenera aetate ſenſim generari haec vitia ſupra affirmaſſet Noſter, nunc cauſſas explicat, prauamque in primis infantum nutritionem huc refert, vel ex parentum incuria, vel facultatum defectu pendentem, ex qua alii etiam ſaepe oriri ſolent grauiores morbi, epilepſia, cet. Accedunt animi pathemata, a parentibus coercenda potius, quam fouenda, ut ſolet fieri in terro-
p. 64. re a ſpectris, in clamoribus ab ira. Denique tuſſis infantum conuulſiua neglecta ut frequens cauſſa malorum iſtorum enumerari poterit.

p. 68. Communes autem pueris aeque ac adultis aneuryſmatum cauſſae poſitae ſunt in viciſſitudinibus aeris et climatum natura, et in primis in aere humido minusque elaſtico autumnali, ac locis humilioribus et paludoſis. Hinc quamuis Etruriae ſalubre ſatis ſit clima, minusque obnoxium aeris mutationibus, praeter frigoris et caloris exceſſum, ex hyeme tamen intenſiore anno 1755 obſeruauit Noſter frequentes catarrhos, annoque ſequente per hyemen morbillos,
p. 84. et ineunte vere pleuritides: et quamuis olim ibidem non adeo frequens occurrerit iſte aneuryſmatum morbus, quem veteres exercitiis gymnaſticis praeuerterunt corpus roborantibus; hisce tamen temporibus otia et deſidiae ſomnusque corpora magis relaxant, hincque praeſertim in humilioribus locis frequentio-
p. 96. rem reddunt eundem. Praeter enumeratas iſtas cauſſas accedunt aliae praediſponentes, venus praematu-
p. 108. ra, diſpoſitio humorum venerea vel ſcorbutica; in feminis autem malum hyſtericum, pica, menſium ſuppreſſio, ipſa plethora; nec non in viris ſitus cor-
p. 114. poris peruerſus, ut in artificibus non nullis et in primis eruditis, vitae ſedentariae nimis indulgentibus, ex compreſſo imo ventre, frequentior naſcendo aneuryſmati

ryſmati detur occaſio. Tuſſis tandem etiam in adul- p. 116.
tis malum iſtud excitare facile poterit, ut Noſter in viro quodam obſeruauit quinquagenario.

Iam ad ſpuriorum aneuryſmatum inueſtigationem p. 118.
ſe accingit Cl. Auctor, eorumque cauſſas ſtatim fatetur eſſe plerumque obſcuras et dubias: ex improuiſo enim ſaepius oriri ſolent. Frequentiora tamen eadem obſeruari iam adnotauit Cl. LANCISIVS, et confundi cum apoplexia. Ita Noſter vidit in diſſecto cadauere viri, qui putabatur hydrope exſtinctus, magnum cruoris gurgitem ex aorta circa emulgentes diſciſſa profuſum. In alio viro reperit ventriculum p. 120.
diſtentum valde refertumque ſanguine, qui ex aortae aneuryſmate per eroſas oeſophagi tunicas defluxerat. In alio ſexagenario, alias hypochondriaco, gulae vero vinoque nimium indulgente, cui inter pocula, ludos, rixasque ſubito ex ore effuſus cruor mortem induxit repentinam, cauſſa eius detecta fuit in arteria pulmonali tota diſrupta. Plures obſeruationes ex aliis ſcriptoribus collectas iam praeterire iuuat.

Ad curationem adhuc ſub finem tractationis re- p. 129.
ſpicit Cl. Auctor, eamque fatetur in formato iam aneuryſmate locum non habere, prophylacticam tamen et palliatiuam tentari omnino debere. Quod ad prophylacticam attinet curationem, illa potiſſimum in bona nutritione infantum conſiſtere Noſtro videtur, in cuius vitiis ſupra poſuerat non leuem morborum aneuryſmaticorum cauſſam praediſponentem. Hinc ciues ſuos vehementer taxat, quod infantibus lac vel iuſto parcius et per breuius tempus, vel cum aliis cibis malae indolis praebeant, eosque adeo optimo nutrimento orbent: diutius ſuadet potius eſſe propinandum vel ſolum lac maternum, vel, eo deficiente, lac animalium, confirmatque monitum ſuum exemplo pharmacopoei Piſtorienſis, qui filium per tres annos ſolo materno lacte nutriuit, bono cum euentu, ut ille et vegeto corpore gaudeat, et

perſpicacis eſſe videatur indolis. Poſt lactis autem uſum vegetabilia laudat, pultesque et iuſcula ex illis parata, carnes contra fere prorſus interdicit; tandem quoque matrum vel nutricum ipſarum curam habendam eſſe monet attentiorem, tam ratione victus earundem, quam ratione in primis animi pathematum.

p. 137. De palliatiua curatione non nulla ſubiungit Cl. Auctor. Quum autem formati aneuryſmatis et polypi ſigna valde ſint aequiuoca, morbique iſtius vera diagnoſis nondum ſatis pateat, quamuis Noſter in primis ad pulſationem ac vibrationem arteriae in loco affecto diutius durantem iubeat reſpicere, difficilius etiam inuenienda videtur aliqua indicatio, morbi naturae ac ſymptomatibus accommodata. Vt tamen, ſi qua fuerit mali praeſentis cognitio, urgentia ſymptomata compeſcantur, vitaque, quoad licet, protrahatur, primum omnium ſuadet Noſter quietem, vitandum contra omnem laborem reliquaque, quae nocere ullo modo poſſint. Dein laudatum alias venae ſectionis uſum in malo iſto ſeuerius improbat, quum illa cauſſas eius non tollat, quin potius malum augeat, aliosue diriores excitet morbos, ut hydropem pericardii, quem vidit Noſter cum aneuryſmate coniunctum in cadauere viri ſexagenarii, cui, ob palpitationem cordis vehementiorem vena bis ſecta, lypothymia, orthopnoea, alia mala, tandem mors ſucceſſerant. Si qua tamen forte urgeat mittendi ſanguinis neceſſitas, venae ſectio in parte loco affecto oppoſita, in minoribus vaſis, inſtituenda eſſet. Ceterum abſtinendum eſſe ab omni venae ſectione ſatius ducit Cl. MATANVS, et diſcutiendam potius craſſitiem, corrigendamque ſanguinis acrimoniam: hinc perquam proficuum commendat lactis eiusque ſeri uſum.

p. 146. Ad ſedandos dolores multum quum facere videantur hypnotica et opiata, ab omni opio utpote veneno, quod ſulphureae ac alcalicae indolis eſſe putat, prorſus

ſus abſtinendum eſſe, hypnotica vero, ſi unquam concedi debeant, leniora modo dari poſſe praecipit. Tandem praeter victum tenuem, qui arceat pletho- p. 148.
ram, aquae frigidae hauſtum interdum commendat ut roborans atque diſcutiens remedium.

V.

Acta Academiae Electoralis Moguntinae ſcientiarum utilium, quae Erfordiae eſt. Tomus I. Erford. et Goth. apud Io. Paul. Meuium et Ioh. Chriſt. Dietrich. 1757. 8. alph. 1. pl. 15. tab. aen. 7.

Quae Erfordiae floret, Academia dicta ſcientiarum utilium, non nulla laborum ſuorum ſpecimina horumque primum tomum nunc edidit. Reperimus in iſthoc quadraginta tres elaborationes, quae partim Phyſicam et Medicinam, idque maximam partem, partim Philologiam remque literariam concernunt. Priusquam vero ea, quae nos tangunt, recenſenda nobis ſumimus, breuiter ex prooemio Academiae huius inſtituti mentionem faciamus. Eminentiſſ. Prin- p. 1.
cipem Electorem Moguntinum IOANNEM FRIDERICVM CAROLVM, Conditorem ac Protectorem Academia haec veneratur, diemque XIV. Cal. Aug. anni huius ſeculi quinquageſimi quarti, quippe quo condita et confirmata fuit, ſempiternae memoriae commendandum eſſe cupit. Iuribus Eminentiſſ. Princeps ac legibus, nec non horto botanico, domoque plantis exoticis a frigore hyemali defendendis deſtinata; collegio praeter ea Fridericiano, condendae bibliothecae atque ſectionibus anatomicis dicato, Academiam hanc donauit, eique publicum inſuper laboratorium chemicum deſtinauit. Socii, Erfordiae vitam degentes, omni hebdomade conueniunt, ela-

borationes diiudicant et doctas dignasque visas typis mandant publicique iuris faciunt. Elaborationes ipsae sequenti ordine traduntur.

p. 11. *Solemnis Laudatio in obitum Eminentiss. D. D.* ANGELI MARIAE QVIRINI, *S. R. E. Cardinalis Episcopi Brixiensis et Bibliothecae Vaticanae Bibliothecarii, Iussu Concilii Academici habita.*

p. 26. *Elogium diuis* HAMBERGERI *Manibus dicatum a* M. S. L. HADELICHIO. Iustis hac panegyri encomiis ab HADELICHIO extollitur beatus HAMBERGERVS; vita eius ab ineunte aetate ad extremum halitum usque laudabiliter transacta egregie describitur; merita nunquam satis laudanda atque praeclara illa, quibus summa cum dexteritate praefuit, munera diserte recensentur; cuncta vero ab HADELICHIO ita aguntur, ut non exigua eloquentiae vis ex his eluceſcat. His demum librorum aliorumque academicorum laborum, quorum HAMBERGERVS auctor est, catalogus subnectitur.

p. 46. GERHARDI HOFFMANNI *dissertatio de constructione Molae ab aqua agitandae, cuius axis est penſilis, correctis empiricorum ea in re erroribus etc.*

p. 99. IOANNIS GVIL. MYLII *Problematum flatuosorum ex theoria compositionis virium sponte fluentium sylloge.*

p. 110. *Dissertatiuncula de Cornu Ammonis natiuo litoris bergensis in Norwegia. etc. Auctore* IOAN. FRID. HOFFMANNO. Cornua Ammonis ad conchyliorum petrefactorum classem pertinentia, quoad corporis exiguitatem et vastitatem mirifice variantia, a multis ex conchyliorum petrefactorum classe eliminata, et prolusibus naturae habita ab auctore nunc tanquam natiua et naturalia describuntur. RVMPHIVS primum atque post hunc Cl. BIANCHI ea ad natiua retulerunt, tandem autem Nostro contigit, haec ipsa disquirere, deque iis pronunciare, quod vere natiua et naturalia haberi debeant. Notabile de his

his eſt, quod, licet omnia Ammonis cornua in imo fundo maris haereant, minuta tamen copioſe in litoribus reperiantur, quae ab Auctore pro foetibus habentur, et ventibus fluctibusque agitata eo deriuata eſſe traduntur.

FRID. ADOLPH. REINHARDI *commentatio de orthoceratitibus Megalopolitanis ciuitate latina donata* a M. HADELICHIO. p. 118. Inter alia, quae de his breuiter commemorat auctor, ei tantum placuit examinare, *utrum haec cornua petrefacta animantibus teſtaceis adnumeranda ſint, nec ne?* His igitur rite examinatis reperit, *eos teſtas* ſiue *cruſtas eſſe in terra petrefactas animantis marini.* Poſtea orthoceratites in regionibus Megalopolitanis repertos deſcribit, non nullaque in agro ibidem deprehenſa exemplaria in medium tandem profert.

Obſeruatio D. IOAN. PHIL. NONNII *de Iſate et Carthamo oſſa animalium non tingentibus.* p. 131. Animalia his herbis paſta vix ultra quatuordecim dies vixiſſe, Noſter obſeruauit. Utrum igitur ſuccus harum plantarum in tantillo temporis ſpatio oſſa penetrare non potuerit, an ipſe plantarum ſuccus in cauſa fuerit, experimenta declarabunt. Alium igitur modum ſuadet, atque decocta, nec non extracta harum plantarum ad experimenta cum animalibus inſtituenda commendat, ductus hac in re b. noſtri BOEHMERI exemplo, qui a decocto radicis rubiae tinctorum meliorem effectum, quam ab ipſa radice animalibus oblata, expertus eſt.

VRB. MOLITORIS *obſeruationes de apiario et alueariibus.* p. 133. His tantum apiarii aedificandi deſcriptio una cum figuris continetur.

Echo ſonos duodeuiginti diuerſos, ſiue ſimplices illi ſint, ſiue concentu aucti, ordine reddens. p. 138. *Auctore* CHRIST. REICHARDO.

Generoſiſſimi cuiusdam Anonymi experimenta de lignorum grauitate ſpecifica. p. 141.

FRIDER.

p. 145. FRIDER. AVG. CARTHEVSERI *obſeruatio botanica de charactere generico naturali Boſeae, quae alias Yerua Mora dicitur.* In exponendo hoc charactere Noſter ſequitur LINNAEVM, quaedam tamen mutauit, atque etiam non nulla adiecit. Character ab eo emendatus, ſequens eſt: Cal. *Perianthium pentaphyllum, aequale: foliolis ſubrotundis, concauis, erectis, margine tenuioribus, quaſi membranaceis.* Coroll. *Petala nulla. Sed fundum floris* obducit *ſubſtantia quaedam glanduloſa, rubra madida, pro Nectario habenda.* Stam. *Filamenta quinque, ſubulata, erecta, calice multo longiora, receptaculo adhaerentia. Antherae ſimplices.* Piſtill. *Germen conicum, laeue, filamentis brevius, calice longius, Nectario inſidens. Stylus nullus. Stigmata duo, minuta.* Pericarp. *Bacca ſubgloboſa, unilocularis.* Sem. *unicum, rotundo-acuminatum.*

p. 149. EIVSDEM *obſeruatio chemico phyſica de cryſtalliſatione ſalium alcalium fixorum.* Experimenta ſequenti modo inſtituta eſſe legimus: Recipit nimirum ſpiritum ſalis ammoniaci, vel etiam ſalem volatilem ſiccum ex ſale ammoniaco ſeparatum, eumque vel cum cineribus clauellatis, vel cum nitro fixo, vel cum ſale tartari, ſiue per aquam ſiue per deliquium ſolutis, pariterque cum ſoluta ſoda hiſpanica miſcet, hancque miſcelam euaporationi dein committit, atque inter euaporandum cryſtallos iam enaſci perhibet. Cryſtallos, prout alcali fixum fuerit, parum duntaxat differre, omnes autem plenarium characterem alcalium fixorum retinere, excepto eo, quod non amplius in aere deliqueſcant, experimentis hunc in finem inſtitutis confirmatus aſſerit. Tandem rationem de his reddit, dicitque, terram copioſam, qua alcalia fixa abundant, impedire, quo minus in cryſtalliſationem abeant; addito autem ſale urinoſo fieri, ut huius particulae, tanquam ſubtiliſſimae et ſingulari mobilitate ac volatilitate praeditae, in alcalia fixa agant, horumque terram ſolubilem ſecum agitent, ſecernant

ſecernant et deiiciant, ipſaeque autem in auram auolent. Amiſſa igitur terra ſuperflua, ad ſubeundam formam cryſtallinam apta fieri alcalia fixa, eundemque etiam vere ſubire, Noſter tandem concludit.

IOAN. CHRIST. IACOBI *obſeruatio de pigmento coeruleo e carbonibus vitis viniferae.* Pigmentum hoc oritur, ſi ſali alcali fixo in crucibulo fluenti aequalis quantitas carbonum vitis iniiciantur, maſſa haec poſt modum exemta aqua pluuiali ſoluitur et ſpiritu vitrioli praecipitatur. p. 160.

EIVSDEM *commentariolus de ſuccedaneo atramenti indici.* Ex reſiduo liquoris anod. HOFFM. aqua edulcorato, ſiccato ſpirituque vini alcooliſato digeſto reſina extrahitur, quae, aqua iterum digeſta, tingens reſiduum exhibet, quod in puluerem redactum cum gummi arabico aqua ſoluto conſiſtentiam acquirit, et atramentum hoc ſiſtit. p. 165.

CHRIST. ANDR. MANGOLDI *experimenta quaedam colorum.* Variis experimentis a nobis vix repetendis geneſin colorum declarat: v. c. praecipitauit ſolutionem librae unius ſodae libra una et dimidia ſpiritus vitrioli. Liquor primo fuſcus, poſtea viridis redditus, tandem coeruleus ſplendensque inuentus fuit et ſiccatus drachmas duas pondere aequauit. p. 167.

EIVSDEM *experimenta atque obſeruationes chemicae et medicae varii argumenti.* Experimenta haec Auctor noſter ita facit: Metalla cum puluere, ex nitro et ſulphure facto, detonat, calcesque inde natas aqua pura ſoluit, atque addito ſpiritu vini ſalem praecipitat, quem arcanum duplicatum cum pauco ſale alcalico ſulphureo et metallico craſſiori coniunctum vocat; ſpiritu vini poſt modum leniter abſtracto, ſal iterum apparet, quem leniter aerem ſaporisque peculiaris eſſe perhibet. Cum autem metalla ſic tractata varias flammas, flores et ſolutiones praebeant, Auctor ea propter inde colligit, phlogiſton metallorum inter ſe differre, ipſaque e certa quadam quantitate p. 173.

phlogiſti

phlogiſti et terrae peculiaris conſiſtere. Sales denique, quos ex metallis obtinet, remedia eſſe et multis morbis mederi aſſerit, ipſeque ſalem auri atque martis in febrium intermittentium et remittentium quadam ſpecie multum prodeſſe expertus eſt; ſalem vero ſaturni infantibus quidem, non autem adultis varioloſo morbo laborantibus conuenire, ex obſeruatis Cl. IACOBI didicit, adductisque obſeruationibus internum horum ſalium uſum confirmare ſtudet.

p. 195. IOAN. CHRIST. IACOBI *diſputatio, qua vi plurium obſeruationum vires medicas auri, argenti, ſtanni et plumbi veteribus cognitas a falſitatis iniuria vindicare conatur.* Ad quas in praecedenti elaboratione adductas obſeruationes Cl. IACOBI prouocat Cl. MANGOLDVS, hae ipſae ob oculos nobis nunc ſunt poſitae. In his igitur, cordialem vim auro, cephalicam atque neruinam argento, reſoluentem ſtanno atque plumbo refrigerantem, a veteribus adſignatam, non deridendam, in potius metalla ipſa ſedulo inquirendum, haecque ad uſum medicum adaptanda eſſe, refert. Omnis itaque, ſecundum huius ſententiam, vis medica non niſi in terra, maximam metallorum partem conſtituente, latet; uſui hinc medico iſthanc adaptandam, atque a reliquis, phlogiſto ſcilicet et mercuriali ſubſtantia, ſeparandam eſſe, Noſter aſſerit, modumque huius ſeparationis deſcribit. Pleraque nimirum metalla cum antimonio in regulum fundit et cum mercurio amalgamata ope puluceris fuſorii, ex tribus partibus nitri ſulphurisque duabus conſtantis, toties detonat, donec in albiſſimum abeat cinerem, ne tantillum ſubſtantiae metallicae continentem. Hunc puluerem, aqua dein edulcoratum, ab adhaerentibus ſalibus ope ſpiritus vini ſeparat, perfectaque tandem abſtractione metallorum obtinet ſalem. *In hoc ſale*, inquit Noſter, *latent metallorum vires ſpecie diuerſae, medicae, veteribus cognitae.* Quo autem quiſquis de virtute inſigni ſalium metallorum

lorum ſibi perſuadeat, morborum ideo, his ſalibus curatorum, catalogum adiungit, certiſſime perſuaſus, experientias has, ab ipſo collectas, quemque, medicinam facientem, de veritate harum rerum ſatis ſuperque edocturas eſſe.

EIVSD. *de prudenti uſu arſenici, ſale alcalico domiti, interno ſalutari diſſertatio.* p. 216. Arſenicum, venenum hactenus notiſſimum, effectu ſalutari non deſtitui poſſe multi contendunt, idque tamen euentum ſperatum non dediſſe alii itidem perhibent. De interno igitur arſenici prudenter exhibiti uſu Auctor quam certiſſimus modum quendam praeſcribit, quo rite obſeruato, arſenicum effectus ſemper ſalutares edere poſſit. Nunquam, ſecundum huius ſententiam, arſenicum in forma pulueris, cum particulae eius maxime actuoſae in ſpatio infinite paruo includantur, exhibendum, ſed ita praeparandum eſt, ut iſtud menſtruo quodam vim eius non deſtruente ſoluatur, ſufficienterque diluatur. Aptiſſimum ad perficiendum hunc laborem menſtruum in aqua, ſale alcali fixo acuata, reperit, hancque cum arſenici aliqua portione miſceri ac decoqui iubet. Praeparatio huius miſcelae ſequens eſt: Recipiatur nimirum arſenici pars 1. aquae partes 168. ſalisque tartari partes 12. Haec mixta continuo bullitu ad dimidii aquae conſumtionem coquantur; facta refrigeratione pars aquae euaporata iterum addatur, adiecto pauxillo ſpiritus vini ad meliorem conſeruationem. Remedium hoc arſenicale, uſui interno nunc adcommodatum, multis varii generis febribus mederi, adultisque ad gtt. 30. infantibus vero pro aetatis ratione ad gtt. 6. 8. 10. 16. exhibitum, ſalutares effectus praeſtitiſſe, nullamque noxam unquam reliquiſſe, Auctor noſter exemplis ad hanc rem neceſſario adducendis comprobat, aliisque commendat.

EIVSDEM *de ſulphure antimonii aurato liquido tractatus.* p. 231. Quod iam a quibusdam, ſulphur antimonii

nii auratum liquidum reddere, tentatum, sed non perfectum fuit, id feliciter Nostro contigisse videtur. Recipit nimirum scoriarum reguli simplicis solutionem aquosam, lixiuium alias dictum, hocque, quod sulphur antimonii continet et alcalicum est, ad induendam saponis formam aptum reddit, atque ideo cum oleo amygd. dulc. aut cum oleo papau. expresso coquit, sicque saponem quendam obtinet. Huiusmodi saponis aliquam portionem probe deficcatam in mortario vitreo aut lapideo cum tinctura acri antimonii, per abstractionem spiritus vini ad dimidium redacta, et ad eminentiam trium digitorum affusa per horas aliquot probe terit; hanc dein cucurbitae commissam per 24. horas digerit, et amoenam, omni acredine expertem, tincturam dulcem acquirit, quae totum saponem una cum sulphure aurato solutum exhibet, nec ullas faeces relinquit. Excepto unico morbo leproso, in quo hanc tincturam fausto cum euentu adhibuit, nullo alio, cum non ita pridem prima vice illam parauerit, medicinam hanc fecit, interim sperans, fore, ut monente VATERO, Nostrum in hac remedii praeparatione praeeunte, isthaec tinctura in cancro lueque venerea bonos iamque a laudato VATERO visos effectus praestet.

p. 239. EIVSDEM *de optima saporis ingrati spiritus frumenti correctione commentariolus.* Spiritus frumenti a cineribus clauellatis rectificatus, cumque edulcorata atra illa a destillatione liqu. anod. min. HOFFMANNI massa residua iunctus, perque 24 horas digestus, superque eam iterum destillatus, spiritus demum obtinetur, qui odore et sapore spiritui vini gallico similis et aequali purae aquae quantitate commixtus potari potest.

p. 243. MANGOLDI *continuatio experimentorum chemicorum.* Haec experimenta, quorum summam vix indicare possumus instituit: 1) Cum mercurio viuo et aqua pluuia; 2) cum eodem et auro et argento amalgama-

gamato; 3) cum eodem et zinco; 4) cum eodem et biſmutho; 5) cum minera biſmuthi cobaltina et ſale mirabili GLAVBERI; 6) cum ſulphure rubro, ſale ammoniaco et calce viua; 7) cum mercurio viuo et aqua forti; 8) cum ſale tartari ſingulariter praeparato et oleo vitrioli; 9) cum ſic dicta naphtha et luna cornua; 10) cum tartaro illo vitriolato n. 8. facto et ſale ammoniaco; 11) cum reſiduo poſt ſublimatos flores ſalis ammoniaci martiales et mercurio ſublimato.

F. A. CARTHEVSERI *obſeruatio chemica de depu-* p. 281.
ratione ſalis volatilis ſuccini. Si ſal ſuccini volatilis, hactenus impurus, ſpiritu vini ſoluitur, poſteaque ſex partibus aquae, reſpectu ſpiritu vini, ulterius ſoluitur, atque miſcela, quae turbida eſt, colatur, colatusque liquor euaporationi leni committitur; ſal inde puriſſimus, albus, nitens, lamellas referens, cryſtallinus, ſapore et odore parum aut nihil bituminoſi empyreumatici amplius manifeſtans obtinetur.

IOAN. GVIL. BAVMER *vim electricam palpebra-* p. 286.
rum ſuperiorum lapſum auferentem proponens. Affectu hoc paralytico per vim electricam curato beneque deſcripto, Noſter etiam vim illam ad alios morbos chronicos, quos materia viſcida ſtagnans produxit, commendat, contraque in morbis, motu nimio, humorum vitioſa reſolutione nimiaque excretione vel viſcerum laeſione peccantibus, uſum eius plane diſſuadet nec incongrue exponit.

EIVSDEM *de oleo animali* DIPPELII *morboque* p. 297.
comitiali obſeruationes. In tuberculis poſt morbos arthriticos natis, in exoſtoſibus, tophis, indurationibus glandularum tam recentibus, quam inueteratis, epilepſia ſymptomatica aliisque morbis ſpaſticis grauioribus interne et externe uſurpato oleo animali DIPPELII, eoque quidem, quod per ſe multoties deſtillando depuratur, et ab aeris acceſſione coloris-

que

que mutatione defenditur, praeſtantiſſimos Noſter obſeruauit perſaepe effectus.

p. 306. EIVSDEM *embryonis oſſium per muliebria cum faecibus aluinis excretorum obſeruatio.* Mulieri morbo quodam diu vexatae, menſtruisque ceſſantibus ſanguinem poſtea quotidie cum faecibus aluinis deiicienti, multum poſt tempus fragore inſigni, in imo ventre contingente, ab ipſa percepto, excrementa aluina per muliebria effluxerunt quotidie, tandemque fragmenta foetidiſſima oſſium carioſorum faecibus aluinis admixta prodierunt. Oſſa haec aniculae ſuaſu, contuſa lithontriptici medicamenti loco a ſe deglutita mulier ipſa haec referens tandem miſere obiit.

p. 309. CAROLI STARCKII *obſeruationes de conſtitutione epidemica a fine autumni anni* 1754 *in ver uſque* 1755. Praeter morborum dictis annis Moguntiae epidemice graſſatorum obſeruationes, etiam neceſſaria adeo, ad illas rite colligendas, tempeſtatum adnotata breuiter quidem, aſt ſufficienter literis mandata, hic legimus. Saepius nimirum fine autumni ſubſequenteque dictorum annorum hyeme, mutata fuit aeris temperies, ita, ut crebram tempeſtatis humidae benigniorisque, frigidae et ſiccae viciſſitudinem ibi obſeruare licuerit. Morbi ſine dubio inde orti, fuerunt catarrhi ſingulares, qui contra omnia remedia ſolita rebelles, purgantibus tandem lenioribus in primis mannatis debellati ſunt. Praeter hos arthritis vaga multos infeſtauit, quae autem remediis ſolitis, decoctis nimirum lignorum crudoque antimonio adhibitis, ceſſauit. Poſt ea et haemorrhagia uteri, feminas tam iuuencas, quam annoſiores et aniles occupans, crebrius obſeruata fuit, cui refrigerantia, narcotica, corporisque quies medelam dederunt. Tabes etiam permultos corripuit, hicque morbus omnes, quos inuaſit, iugulauit, neque ullus medicinae locus fuit. Ictero praeter ea haud pauci laborarunt, quibus

quibus acida, refrigerantia atque purgantia ex ſale medio profuerunt. Eryſipelas tandem ſingulare obſeruauerunt, quod, niſi ſuppurauerit, mortem attulit. Omne igitur, quod illud ad exteriora euocauit atque ſuppurationem promouit, ſalutare, quodque reſolutionem ac retropreſſionem praeſtitit, nociuum fuit. Cauſam horum malorum in fibris ab aere iſto humido relaxatis atque ſero ſanguinis ea propter non rite condenſato, viſcidoque hinc generato Noſter quaerit, curandique demum methodum, qua idem uſus eſt, addit, non nullisque exemplis cum probabilitate haud exigua defendit.

MORGENSTERNII *de cutis externae et oris etiam internae ſugillatione atque ecchymoſi cum effluuio ſanguinis ex ore poſt ſubitam corporis exaeſtuantis refrigerationem obſeruatio.* p. 335. Mala haec, in puerulo quodam obſeruata, a ropentina corporis exaeſtuantis refrigeratione et a potu frigido, quem poſt vehementes exercitationes puer ſemper ingurgitauit, producta eſſe affirmantur. Quod de eo notabile, eſt, quod hicce puer praeter memoratas affectiones in omnibus bene ſe habuerit, nec, quod mirum, ullam internorum viſcerum labem, cum tamen crebrius poſt corporis exaeſtuationem potum frigidum aſſumſerit, expertus ſit.

Phaenomena non nulla peculiaria in hydrophobo quodam et eius diſſectione obſeruata a IOAN. CHRISTOPH. RIEDELIO. p. 341. Quod de viro, qui a cane rabido morſus et hydrophobus inde factus fuit, memoratu dignum videtur, eſt, quod ne aeris quidem adflatum ferre potuerit, et absque acribus conuulſionibus perierit. In diſſectione poſt ea inſtituta odor cadaueris idem ille fuit, ac quem in canibus ſumma putredine correptis Auctor noſter, canum ſceleta ſaepe parans obſeruauit. Praeter hunc organa, ad digeſtionem, reſpirationem et loquelam pertinentia, inflammata eorumque non nulla foetido ichore plena fuiſſe,

maximamque inflammationem in partibus praecipue membranaceis, arytaenoideas cartilagines succingentibus, exstitisse legimus. His quidam, primas tantum sui nominis literas adponens, non nulla super has obseruationes cogitata adnectit, simulque ex his, volatile rabidi canis venenum e sanguine aliisque in vulnere contentis succis magna satis celeritate in partes etiam remotas, saliuam vel et mucum secernentes, penetrasse, ibidemque maximam sensilitatem et irritabilitatem produxisse, ac omnia ex his mali phaenomena explicari posse, colligit. Singularem acrimoniam hanc, eamque alcalinae indolis esse idem ille asserit, indeque inflammationem cunctaque symptomata deducit, exponit adductisque aliorum sententiis confirmat.

p. 358. FERD. GVIL. BEER *animaduersiones ad narrationem* TACITI *de expeditionibus Germanici caesaris transrhenanis.*

p. 415. CHRIST. GOTTL. KOENDLERI *dissertatio de germanis* HERODIS. M. *primariis inter alios militibus.*

p. 429. I. A. FABRICII *de duobus Numis bracteatis commentatio.*

p. 445. FRIDER. GOTTH. FREYTAGII *obseruatio cur Bacchus a Graecis Morychus dictus.*

p. 457. FR. CHR. OETTELTI *commentatio de* PLATONE *et* CICERONE *praeclaris animorum immortalitatis vindicibus aduersus* WARBVRTONIVM Anglum.

p. 490. SIGISM. LEBRECHT HADELICHII *commentatio de Meteoris in* HOMERI *carminibus.*

p. 507. *Commentatio de methodo quadam, quamuis lineam rectam, nulla adhibita vulgari regula, metallo insculpendi eamque sine circino in partes minimas negotio perquam facili dissecandi.*

p. 516. HADELICHII *descriptio tormenti militaris in armamentario Erfordiensi nuper reperti, quod insigne est antiquitatis monimentum.*

Diſſectiones quorundam ex iis, qui epidemicis ab in- p. 523.
flammatione viſcerum imi ventris, in primis vero ventriculi et inteſtinorum ortis, febribus anno 1756 urentibus periere, inſtitutae a IO. CHRIST. RIEDELIO. In corporibus, quibus febris haec lethalis fuit, diſſectis, interdum non nulla, interdum omnia infimi ventris viſcera inflammata, vel etiam quandoque nigricantia et gangraenoſa, ſaepe etiam una cum his pulmones, muſculos thoracis imique ventris, renes, inque viris vaſa ſpermatica et teſtes, in foeminis autem uterum, ac in utrisque perſaepe cerebrum aliasque partes inflammatione correptas obſeruauerunt, haudque raro ſanguinem in corde polypoſum capitisque vaſa ſanguine referta et turgida fuiſſe adnotarunt.

IO. GVIL. BAVMER *obſeruauit externo olei ani-* p. 535.
malis DIPPELII *uſu oculi ſuffuſionem incipientem curatam, confirmatam vero imminutam eſſe.* Foemina ſiniſtri oculi ſuffuſione conſummata laborans, eoque plane nihil, dextro autem obſcure duntaxat proxime adſtantia obiecta cernens, praeter medicamentorum uſum internum, Auctoris huius ſuaſu, matutino ac veſpertino tempore pellucidi albidique rectificatiſſimi olei animalis DIPPELII guttulam unam alteramue indidit, elapſisque menſibus quatuor dextri oculi lentem plenarie pellucidam, ſiniſtri autem ſuffuſionem multo dilucidiorem eſſe pronunciauit. Cum vero haec, oculo nondum plenarie reſtituto, literis mandata ſint, auide omnino huius remedii euentum expectamus.

IO. BERNH. MÜLLER *obſeruationes de metamor-* p. 540.
phoſi ſiluarum.

Perilluſtris Anonymi diſquiſitio quaeſtionis, utrum p. 545.
homines nimium multiplicentur.

IDEM *mechanicam inſignem vitae morumque emen-* p. 557.
datricem proponens.

EIVSDEM *commentatio de re ruſtica Thuringo-* p. 569.
rum cautius meliusque inſtituenda.

p. 583. I. F. HIRTII *commentatio inuentionem fabularum* AESOPO *tributam in* LOCKMANNVM *transferens.*

VI.

Hiſtoire de l'Academie Royale de Sciences et belles lettres. Année MDCCLV. à Berlin, chez Haude et Spener. 1757. 4. alph. 2. pl. 23. tab. aen. 11.

i. e.

Hiſtoria Academiae regiae ſcientiarum et elegantiorum literarum. an. 1755. Berolini, etc.

In hoc volumine, quae ad claſſem philoſophiae experimentalis ſpectant et Noſtram in primis rem concernunt, ſequentes commentationes reperimus.

p. 24. 2. *Diſquiſitiones de formatione lapidum, ſeu concretionibus calculoſis in corporibus humanis, occaſione calculi ex abſceſſu in hypochondriis aperto egreſſi. Auctore Ill.* ELLERO. Quod de calculoſis, in corpore humano haud raro reperiundis, concretionibus iam multi in diſſecandis cadaueribus verſantes, adnotarant, id etiam Noſtro, eandem artem olim exercenti, non ſolum in una alteraue parte, ſed in omnibus fere viſceribus et partibus, nunquam autem crebrius, quam in viis ſic dictis urinariis obſeruare licuit. In cauſam harum concretionum Ill. Auctor inquirens, hanc ipſam in ſanguine ac in primis ſero inde ſecreto quaerendam eſſe ſtatuit. Serum enim indole gelatinoſa praeditum ac ad concretionem aptum ad iſtam vere ſubeundam eo magis diſponitur, quo magis ſanguis, a velociori motu agitatus et a tergo urgens, iſtud in vaſa minora pellit. Auctо praeter ea calore ſeroque in vaſis minoribus iam haerente, fieri tunc ſaepe ſolet, ut, lympha tenuiori diffiata, partes craſſio-

res

res ad se inuicem accedant, condensentur, concrescant massamque postea duram, friabilem et calculosam omnino relinquant. Explicatu igitur difficile non est, undenam in cerebro, glandulis saliualibus, pulmonibus, intestinis, musculis, tendinibus aliisque eius modi partibus tales concretiones ortae persaepe fuerint.

Eadem ratione et in mesenterio tales gignuntur p. 26.
concretiones, idque eo citius, quo magis attendere velis, chylum humorem esse nondum satis elaboratum et crassum, eumque insuper pluribus particulis terrestribus scatere, quae, deficiente sufficienti lymphae copia in glandulis mesenterio coadunatae concrescunt.

Quae autem saepissime obseruantur, concretiones p. 27.
has ipsas viae urinariae, renes nimirum, ureteres, vesica eiusdemque urethra exhibent. Nec etiam mirum: cum enim per has vias humor fluat, qui ex sanguine eluit, sibi miscet atque ex corpore ducit, quicquid nociuum, superfluum et ad nutriendum minus aptum esse videtur; animaduertere hinc licet, talem iam humorem eo deriuari, qui pluribus particulis scatens concretionibus calculosis aptissimam largitur occasionem. Saepe autem Nostro, vias hasce accurate disquirenti contigit, in ipsis renibus eorumque papillis granum sabuli iam haerens obseruare, unde colligit, primam originem magnarum etiam concretionum semper in papillis renum esse, illas autem in eo duntaxat loco augeri, ubi granum istud moram nectere, cum humore unguinoso parietes harum partium obducente illiniri, cumque sabulo tenuiori, alias cum urina egrediente, coniungi tandem possit.

Quae autem lapidem, cuius occasione haec scripta p. 31.
sunt, concernunt, Auctor noster commemorat, eum esse ex vesica fellea, quod ex colore et figura, calculis vesicae felleae propria depromit. Quod tandem iste lapis per hypochondrium abscessu perforatum exire

potuerit, ex eo confirmat, quod foemina iſta, calculo hoc laborans, hepatitide praeeunte abſceſſum habuerit, qui per integumenta dextri lateris exitum ſibi parauit, ita, ut cum pure etiam lapis egredi omnino potuerit.

p. 34. 3. *Commentationes de legibus motus ſanguinis per vaſa. Auctore Cl.* SAVVAGES. Cuncta, quae de motu ſanguinis per vaſa hic legimus, ab Auctore ſecundum leges hydraulicas et demonſtrationes ex computationibus arithmeticis depromtas exponuntur. Diametris nimirum truncorum aeque ac ramificationum rite et accurate perpenſis demonſtratur, quomodo ſanguis in vaſis maioribus et minoribus moueri debeat; qua ratione celeritas in iisdem ſe habeat; unde fiat, cur ſanguis in vaſis arterioſis celerius, quam in venoſis, cum tamen iſthaec illis maiora ſint, progrediatur; quoue tandem modo ſecretiones ex ipſis vaſorum luminibus demonſtrandae inde veniant.

p. 56. 4. *Obſeruationes de morboſis cordis affectionibus. Auctore Cl.* MECKEL. Cor, licet omnium corporis humani motuum principium fere ſit, eiusque perpetua integritas neceſſaria ideo habeatur, aeque tamen ac alia a morboſis affectionibus exemtum non eſt, quae autem eo periculoſiores ſunt, quo magis viſcus nobile et neceſſarium dici meretur. Cum autem iſthaec cordis mala ita ſe habeant, ut cum aliis confundi facile queant, aegritudines hae eo maiorem attentionem merentur, quo magis cauſa earundem latet aut ad minimum obſcura valde deprehenditur. Noſter igitur cordis morboſas affectiones exponens, primo de concretione pericardii cum corde agit, cuius mali cauſam in coagulata inter cor et pericardium reperiunda lympha ponit. Haec nimirum indolem gelatinoſam habens ſi reſorberi nequit, ob quietem et calorem ideo inſpiſſata in filamenta concreſcit, pericardium

cardium cum corde connectit, cauitatem inde coarctat, motum cordis, alias expeditum, difficilem nunc et inordinatum reddit, atque omnia illa symptomata producit, de quibus eiusmodi affecti conqueri perpetuo solent. Eadem haec symptomata medicos de causa circa cor latente certiores reddere statuit. Pulsus nimirum ad quemcunque motum inordinatus et auctus, interdum intermittens, in incipiente malo saepe fortis, in fine autem eiusdem semper debilis; postea crebra cordis palpitatio, respiratio anxia, vox saepe inopinato intercepta, haemoptysis, rubor faciei perpetuus, anxietates insignes et ad quamcunque abdominis expansionem auctae, sensuum internorum turbatio, macies et nutritio deficiens, sine eo, ut causam in malo viscerum abdominalium habitu suspicari quis posset, certam indubitatamue constituunt huius mali diagnosin. In causas etiam praedisponentes Noster inquirens coniicit, victu iurulento valdeque nutriente, nec non copia etiam alimentorum infantibus indecenter concessa, ita, ut chylo haud unquam rite assimilato lympha crassior perpetuo secernatur, tenella eorum corpora eo disponi, ut ad subeunda eiusmodi mala haud minus apta inueniantur. Cuncta haec, quae asseruit et rationibus physiologicis ac pathologicis exposuit Cl. Auctor, obseruationibus notatu dignis eamque in finem adductis ab eodem confirmantur ulterius.

5. *Brevis relatio de excrescentia monstrosa, quae in abiete reperta fuit. Auctore Cl.* GLEDITSCH. p. 86.

Productionem hanc abietis monstrosam, inque eius cacumine repertam, ex abiete et visco compositam esse legimus. Causa huius excrescentiae viscum, cuius vestigia et adhuc ibi videre cuilibet licet, exstitit. Coniicit enim Noster, viscum in truncum abietis, casu fortuito diuisum, eo delatum et insertum ita inter diuisas abietis partes se insinuasse, ut hisce iterum

coadunatis iſtud cum iis ſimul coaluerit, inque unionem perfectam abierit. Cum autem, ſecundum Noſtri ſententiam, viſcum ita unitum, cumque abietis vaſculis interioribus coniunctum nutritionem inde ceperit, fieri haud aliter potuit, quin ordine conſueto turbato monſtroſa hinc produci debuerit excreſcentia. Exemplum hoc rariſſimum eſſe, et praeter duo, quae aliqualem cum illo habere poſſent ſimilitudinem, nullum hactenus obſeruatum fuiſſe, Cl. Auctor perhibet. Primum eorum, de quibus mentionem fecit, a WEDELIO in Ephemeridibus naturae curioſorum deſcribitur, et ab eo ramus pini monſtroſus et faſciatus dicitur. Alterum, quod itidem notatu dignum fuit, in Commercio literario Norimbergenſi deſcriptum ſub nomine rami pini monſtroſi, faſciati et bifurcati legitur. Quamuis autem, ut Noſter monet, haec duo aliquam conuenientiam cum hac excreſcentia habere videantur, cum eadem tamen plenarie comparari haud poſſunt. Illorum enim duorum maximeque a ſe inuicem diuerſorum corporum, viſci ſcilicet et abietis, coalitio non exiguam trunco abietis induxit immutationem, qua autem facta ſingularis dein atque monſtroſa haec orta ſint excreſcentia. Nec cum ſic dictis etiam monſtris vegetabilibus faſciatis iſthanc comparandam eſſe voluit, quia nec ulla partium ſymphyſis, neque praeternaturalis diuerſarum plantarum coalitio in iisdem reperiantur. In uberiori harum rerum explicatione Auctor noſter etiam declarat, quomodo non ſolum arte, ſed et ipſa natura plantae diuerſae coniungantur; monet tamen, plantas, aliqualem inter ſe affinitatem alentes, et quoad exteriorem et interiorem ſubſtantiam ſibi ſimiles coniungi tantum poſſe, rariſſime autem fieri, ut diuerſae coaleſcant, aut ſi hoc fieret, plantas vel perire, vel debiles ad minimum infoecundasque inde reddi. Exempla hunc in finem adducta rem ſufficienter illuſtrant, nec incongrue adpoſita eſſe videntur.

8. *Hiſto-*

8. *Hiſtoria de chryſopraſo Koſemitzenſi. Auctore* p. 202.
Cl. LEHMANN. Lapis hic, qui Chryſopraſus et Chryſopteran vel etiam a non nullis Praſius dicitur, et inter lapides pretioſos refertur, in Sileſiae ſuperioris Ducatu Münſterbergenſi circa pagum Koſemitz dictum una cum aliis non minus pretioſis lapidibus v. g. Carneolis, Sardonychis, Chalcedoniis et Opalis ſat copioſe reperitur. De eo Cl. Auctor refert, eſſe lapidem tranſparentem, plus minus viridem, duritie ſmaragdo ſimilem, figura irregulari praeditum atque ratione duritiei orientali haud cedere, reſpectu vero fulgoris coruſcantis ab eo paululum differre. Auctores in deſcribendo hoc lapide maxime a ſe inuicem diuerſi, ſaepe iſthunc cum aliis confundunt, ita, ut vera huius notio ex eorum ſcriptis erui vix poſſit. In exhibendis igitur veris huius lapidis characteribus Noſter occupatus, primo colorem diſquirit, et quatuor ea propter ordines conſtituit. Primi nimirum ordinis lapides minus pretioſi ſunt et ſanguine quaſi conſpurcati in oculos incurrunt. Secundi ordinis paulo magis virides albis venulis intercurrentibus ſeſe diſtinguunt. Tertius ordo illos exhibet, qui ſoli expoſitus, ob colores diuerſimode inde reflexos Beryllo ſimilis, chryſoberyllus ideo dicitur. Quartum tandem ordinem verus chryſopraſus conſtituit, hicque lapis eſt tranſparens, purus, colore decocti porri praeditus, interdum plane viridis, interdum ex viridi flaueſcens.

Secundus huius lapidis character in duritie po- p. 208.
nitur, atque aſſeritur, tantae eum eſſe duritiei, ut non niſi ſumma vi atque inſuper inſtrumentis diffringi et difficulter inde ad conciliandum fulgorem coruſcantem tractari polirique poſſit.

Tertius ac ultimus eius character originem ac p. 209.
generationem concernit. Illo igitur Sileſiae tractu, montes copioſos, colles, valles, nec paucas quoque metalli fodinas exhibente, accurate deſcripto, Noſter

dein refert, omnes hos montes atque colles metallis, mineralibus et fossilibus esse abundanter refertos, eumque ipsum ad inuestigandam lapidis huius originem ipsas iniisse metalli fodinas. Strata igitur subterranea admodum diuersa ibi reperiens, haecque accurate describens tandem perhibet, asbestum esse huius chrysopraſi matricem. Hunc denique ex viridi, extra montes et in iisdem copiose reperiunda, tem tractu temporis indurata genitum, coloremque suum, ut omnes lapides pretiosos et fluores a metallico quodam corpore, cupro nimirum aut ferro nactum esse, haud cum exigua probabilitate confirmat.

VII.

De Polyphago et Allotriophago Wittebergensi Dissertatio Praeside D. GEORGE RVDOLPH BOEHMERO, Resp. *C. G. Frenzel.* Witteb. 1757. 4. pl. 5.

In duo Capita hanc tractationem diuisit Cl. Auctor, inque primo huius Phagi vitae et sectionis historiam exhibuit, in secundo autem alia, ab Auctoribus tradita exempla commemorauit, factorumque rationem, quantum fieri potuit, tradidit. Primaria ex priori capite nunc annotabimus, in primis cum factorum historia verissima sit, atque coram Senatu Wittebergensi per septem testes confirmata.

Non coactus, sed mercede commotus polyphagiam exercuit, et nunc veruecem integrum, nunc porcellum adsumsit, octo sexagenas (*Schock*) fructuum pruni cum contentis nucibus, alioque tempore quatuor semimodios (*Metzen*) integra cerasa deuorauit. Adsumsit etiam aliena, et a quibus abhorrere alias solent homines. Ita varia ex argilla, a figulo parata et fornacis magnam partem maxillis abripuit, ventriculoque tradidit. Vitra et silices dentibus diffre-

git,

git, comminuit et deglutiuit, diffractis etiam lapidibus dentium veſtigia impreſſit. Inſtrumentum muſicum, quo utricularii utuntur, (*Dudelſack*) integrum, animalia viua, aues, mures, magnam erucarum copiam, et quod omnem fere fidem ſuperare videtur, atramentarium ex ferri laminis, ſtanno obductis confectum, una cum calamis, ſcalpello, atramento atque arena deuorauit. Haec omnia magna cum voluptate peregit ſobrius, ſaepe ebrius, et ut plurimum vini ſpiritum ſuperbibit. Robuſtiſſimum praeter ea habuit corpus; namque in ferraria officina ex rota, magnis capitatis clauis ferrata, hosce dentibus extraxit, et mediante laqueo maximam incudem e ſede ſua remouit; quatuor robuſtos homines ex vicino pago in urbem tranſportauit; artificemque clauſtrarium, ſuum ſacciperium ferentem, per duo milliaria geſſit ſcapulis ſuis impoſitum. Haec et alia plura ad aetatis ſuae annum ſexageſimum peregit, a quo tempore ſobrie et ordinate vixit, ac emaciato corpore aetatis anno ſeptuageſimo nono mortuus.

In eius cadauere multa obſeruauit Cl. Auctor. En primaria! In utraque maxilla nullum adparuit dentium veſtigium; omentum vere paruum, corrugatum, omnique oleo deſtitutum; hepar margine anteriori ſiniſtrorſum lienem attingens, omnemque ventriculum tegens; ventriculum praeternaturaliter conſtitutum, a cardia ſcilicet ad pylorum uſque eadem erat diameter et craſſities, et haec quidem inſignis, capacitas autem cum coli inteſtini magnitudine conueniebat, in interna vero ſuperficie ubique eleuatas oſtendebat partes, iugis valuuloſis inteſtinorum ſimiles, aſt non circulares, ſed ad longitudinem directas, in curuatura magna in primis copioſas. Hinc inde inteſtinorum aderat anguſtia, et colon in primis in dextro hypochondrio peritonaeo firmiſſime accretum anguſtumque, in zona ampliatum, et in ſiniſtro latere inſigniter contractum, dein rurſus ampliatum,

pliatum, denuoque ad minimam fere diametrum contractum apparebat. Contractum ita colon ſupra pſoas muſculum et lumbarem deſcendebat, et recta via cauitatem peluis intrabat, ita, ut eius gyri, qui extenſi fere trium ſpithamarum longitudinem aequabant, in eadem continerentur. Rectum inteſtinum non ſacro oſſi incumbebat, ſed hoc nudum ſolo peritonaeo tectum erat et ſiniſtro eius margini meſorectum agglutinatum. In inteſtinis et ventriculo lumbrici haerebant. Veſica urinaria cum recto non cohaerebat, a naturali figura recedebat, eamque triangularem oſtendebat; eadem diſſecta carnoſam ſubſtantiam, digitum minorem fere craſſam, internam vero tunicam corrugatam, iugis valuuloſis trabibusque ornatam, monſtrabat. Prope eius collum in poſteriori latere amplum conſpiciebatur triangulare cauum, margine calloſo cinctum, ichoroſa ſanie repletum, variisque eminentiis et ſinubus praeditum, qui ad illum locum tendebant, ubi veſiculae ſeminales ſe inuicem attingunt. In proſtata, maxima ex parte ulceroſa et exeſa, aliud ichore repletum calloſumque erat cauum, ſinubus eius ad caput gallinaginis, in vas deferens et veſiculas ſeminales directis. Veſiculae ipſae denſae erant et ſcirrhoſae. Ex teſticulis materia puri ſimilis effluebat, membranis, vaginali et albuginea concretis et quaſi cartilagineis. Glandulae abdominales magnae et induratae; pleura undique cum ſterno et pulmonibus firmiſſime cohaerens, conſpiciebatur, praeter ea pulmones inter ſe, cum pericardio et diaphragmate arcte cohaerebant. Diaphragma, ubi inferioribus coſtis accreſcit, cartilaginoſum, et cartilagines laryngis immobiles oſſeaeque inueniebantur. Poſterior cordis ventriculus in media parte per carneas fibras cum pericardio coalitus adparebat; in cauis cordis haerebant polypi, quorum unus et aortam deſcendentem occupabat; aorta, ſubclauia, ſplenica, iliacae internae arteriae oſſeam ſtructu-

ram

ram habebant. Struma etiam laborabat et thyroidea quidem glandula in dextro latere inſigniter tumefacta, manu non comprehendenda, in ſiniſtro vero latere duae erant diſtinctae, durae, lapidoſae glandulae, magnitudinem nucis perſicae mali referentes. Priori dextra diſſecta inuolucrum craſſum, ex multis laminis confectum cellulisque pertuſum, inque eodem ſubſtantiam aliam albicantem, tendinoſam homogeneam, aliamque gelatinoſam, cohaerentem quidem, aſt in plura quaſi corpora diſtinctam. Minores ſiniſtrorſum ſitae glandulae durae vel calcariam vel lapidoſam materiam continebant. Os hyoideum cum proceſſu ſtyloideo in dextro latere erat plenarie concretum, in ſiniſtro autem oſſi hyoideo quidem oſſiculum adhaerebat, aſt tenuius et ſua longitudine proceſſum oſſis temporum non attingens. In lumborum vertebris plures exoſtoſes anchyloſesque, et ſterni cartilagines non modo oſſea cruſta tectae, ſed et in harum ſubſtantia oſſificationis veſtigia inueniebantur. Haec ſunt praecipua, ex capite *primo* annotanda.

In *ſecundo* multa Cl. Auctor recenſet exempla eorum, qui ex mala conſuetudine, vel aliena et naturae animali contraria, vel idonea alimenta, nimia in copia adſumſerunt, ſimulque in cauſas huius rei ſtudioſe inquiſiuit. Haec vero omnia nunc omittimus, ſaltimque adhuc monemus, cauſam voracitatis in hoc ſubiecto accurate determinari haud potuiſſe, cum illud decrepitum, et ab illo eſuriendi more remotum diſſecuerit; mirum vero omnino videri, hominem contra omnes diaetae regulas in ciborum potulentorumque quantitate et qualitate peccantem, hominem tot morbos in ſe fouentem, labores omnes feliciter ſubiiſſe, ultimamque ſenectutem ſanum fere vegetumque acquiſiuiſſe.*

VIII.

* Recuſa eodem anno fuit Wittebergae haec diſputatio, non aucta quidem, ſed modo germanica inſcriptione,

VIII.

Traité des arbres et arbuſtes, qui ſe cultivent en France en pleine terre. Par Mr. DV HAMEL DV MONCEAV, Inſpecteur général de la marine; de l'Academie royale des ſciences, de la Société royale de Londres, honoraire de la Société d'Edimbourg et de l'Academie de Marine. à Paris, chez H. L. Guerin et L. F. de la tour. MDCCLV. 4. Tom. I alph. 2. tab. lign. inciſ. 139. praefat. plag. 8. Tom. II. alph. 2. plag. 3. tab. lign. inciſ. 111. h. e.

Tractatus de arboribus et fruticibus, quae libero coluntur in aere in Galliis. Auctore Cl. DV HAMEL DV MONCEAV. Tom. I et II.

Tam multa, tamque celebria ſunt Cl. DV HAMEL in variam eruditionem merita, ut tardius licet mentionem huius faciamus libri, eum tamen praetermittere non poſſimus ſilentio. In primis, quod in eo plantarum, recentius detectarum icones aliquas atque deſcriptiones inuenimus, quas alibi fruſtra quaeſiuerimus. Primum quidem arborum diſquirendarum incitamentum nauium conſtructioni inſeruientes arbores ſuppeditarant Cl. Auctori, qui deinde, quod latius patere uſum poſſe perſpiceret, ſi paullo curatius in arborum, libero ſub aere quae coli poſſent, peruestigatione occuparetur, mutauit conſilium, eas ſimul complexurus. Bene tamen intelligens opus eſſe aliquo ordine, quem quidem recte eruditi in methodo optime quaerendum eſſe iudicant, quo

ſcriptione, *vom Wittenbergiſchen Vielfraß* inſignita. Id vero inſcio Auctore factum fuiſſe, vel ex eo facile cognoſcitur, quia germanicus titulus latino minime reſpondet.

quo cunctis utilis euadat, litterarum ſequutus eſt ſucceſſionem, ſeu quem vocant, ordinem alphabeticum. Propoſitus itaque in eleganti epitome, quae cuicunque deſcriptioni aeri inciſae praemittitur, notis, quae genus definiunt, quales fere in TOVRNEFORTII iconibus inuenimus, floris fructusque characteres offerentibus, addidit unum vel plura latina, uſitatiſſima nomina, nec non gallica. Porro accedit deſcriptio uberior generis, ſpecierum deinde, inter quas vero non raro varietates relatas fuiſſe adnotamus, poſt culturae ratio exponitur, quae ut magni momenti eſt, in primis in exoticis plantis ſtudioſe deſcribitur, et tandem uſus explicatur, vel copioſe, ſi plantae id requirant, vel conciſe magis et breuiter. Ne autem ſuperſit aliqua de plantis ipſis dubitatio, ligno inciſae icones, vel una vel plures, ad idem genus pertinentes, hic reperiuntur. De his vero notandum eſt, duplicis generis eſſe, aliae iam antiquiores ſunt, et olim in edendo MATTHIOLO per VALGRISIOS adhibitae, aliae recentius excuſae, nouas ſcilicet plantas proponentes, tales etiam, quarum in aliis botanicorum operibus vel nullae, vel non accuratae ſatis figurae extant. In denominandis plantis, ut plerumque fit, ob auctorum diuerſas ſententias atque methodos, etiam hic Noſter difficultatem aliquam ſenſit, ex qua ſe optime expedire poſſe inuenit, dum plerisque cognita nomina Tournefortiana adhiberet. Non ita tamen his ſolis ſeſe adſtrinxit, quin, ſi recte ad genus quoddam planta relata non fuerit, aliorum etiam, praecipue Cl. LINNAEI, adoptaret, vel noua ab illo deſcripta genera eorumque nomina retineret. Hinc ſpecierum etiam determinatio eiusmodi requirebat notas, quae dubitationem non relinquerent, quare, ſi multum eae differunt, ſigillatim foliorum magnitudinem naturalem, ambitus ſeu peripheriae conditiones, ſimilesque delineare curauit, ut in *Aceris, Meſpili, Populique* exemplis patet.

tet. Retinuit etiam non nunquam ſpecierum denominationes, quales in TOVRNEFORTIO, aliisque antiquioribus ſcriptoribus occurrunt, ne eos, qui botanices ſtudio ſatis gnari non ſunt, confundat. Et hanc etiam ob rationem condonandum eſt Cl. Auctori, quod tamen botanicum non decet, quod varietates ſpecierum numero addiderit, quum in illis aliquando ſingularis decoris et ornamenti ratio inueniatur, cultoribus arborum grata et proficua. De cultura plantarum, quarum propagatio in his arboribus per ſemina, turiones, gemmasque ſit, breuiter agit, et terrae conuenientes ſimul conditiones indicat. In eo quoque nos conſentientes habet, cum experientia veritatem commonſtrarit, quod arbores in nouum locum, quod in hortis botanicis quandoque quaerunt, non ſint reponendae, quoniam quaecunque fere ſolum ſibi requirit idoneum, ſed potius, quo ſeruentur, in locum, natali ſolo reſpondentem, diſponi debere. Quare non unus Galliae locus, ſed omnes eius prouinciae, colendis vel propagandis his deſcriptis arboribus aptae iudicantur. Vltimo tandem loco de utilitate ſingulae plantae deſcriptae diſſeritur, aliarum copioſior uſus explicatur, aliarum vero conciſus magis. Sic v. c. in picis, et therebinthinae confectione et praeparatione, in olei oliuarum expreſſione fuſior exſiſtit Noſter, ac in aliis, non tamen praetermiſit reliquas etiam oeconomicas utilitates, quarundam alio loco uberiorem daturus deſcriptionem. Poterat autem eam quoque ob rationem de omnibus vix uno exponere modo, quod non nullas addiderit arbores, quae iam non coluntur, cum quibus factae experientiae non inutiliter eae ſuſceptas fuiſſe demonſtrant, et quarum aliquae in poſterum, ſi nullius euidentioris eſſent uſus, ornamenta tamen varia hortorum, ſyluarumque poſſint exiſtere. In primis, quod omnibus anni temporibus flores, fructus, frondisque varietas egregie delectare

ſtare et ſingulis his anni temporibus deſtinata atque conuenientia efformare poſſint ambulacra. Sed, quo illis quoque, qui artis vocabula ignorant, ſatis fiat, tertium, quod ſequetur, huius operis volumen introductionem in rem herbariam proponet.

Immenſa vegetabilium, arborum tantum et fruticum quantitas, ſeminum ex diſſitis regionibus allatorum copia, perpetua promittit huic labori ſuſcipiendo incrementa, quare in poſterum, ſi quae nouae arbores ſint addendae, eas etiam ſupplementi loco ſe additurum eſſe promittit Cl. Auctor, cum in hoc opere genera tantum centum et nonaginta unum, ſpecies vero mille circiter deſcripſerit. Noluit autem Idem ſimpliciter diſſerere de deſcriptis arboribus atque fruticibus, ſed earum quoque ſtudioſos breuiter docere, quo modo in ſuos uſus adhibere poſſint methodicam, ex variorum quidem botanicorum mente aſſumtam, diſpoſitionem, et quidem ſingulari aliqua ratione laetabamur, quod praecipuis methodis adaptatas aliquas diſſertatiunculas adiunxerit, quae et amatores iam poſſint conuincere, eam, quam ſibi non ſatis conſtantem fingunt, methodorum certitudinem eſſe facilemque declarationem. Hinc primo proponit diſtinctionem methodicam ex ſexu, et tres arborum ſuarum claſſes recenſet, nempe earum, quarum flores alii maſculini, alii feminini, ſed diſtincti habentur, porro, quarum flores hermaphroditi ſunt et monopetali, deinde quarum flores hermaphroditi et polypetali inueniuntur. Haec diſpoſitio cum Cl. LINNAEO conuenit. Altera diſpoſitio arbores, ex fructus ratione definit, in eorum addita gratiam, qui priorem difficilem iudicant; in hac ad ſeptem familias arbores reduxit: *prima* continet fructus ſiccos, in cono ſquamoſo, vel ſimili apparatu, *ſecunda* fructus carnoſos, coriaceo inuolucro cinctos, *tertia* fructus nuce dura foetos, *quarta* baccas, ſeu fructus ſucculentos minores, *quinta* capſulas mem-

branaceas, uni- vel multiloculares, *ſexta* ſiliquas, *ſeptima* ſemina nuda, calyce vel petalo obuoluta. Tertia diſpoſitio demonſtrat, foliorum quoque formam et ſitum momenta indicare, ex quibus poſſit quaedam cognitio hauriri, quam tamen inſufficientem ipſe declarat Noſter, eo demum tempore aliquando utilem futuram, ſi floribus fructibusque deſtituantur arbores. Pleniorem talis methodi expoſitionem dedit olim Cl. SAVVAGES. Hic tantum quatuor claſſes recenſentur. Sunt ſcilicet folia vel ſimplicia, et integra, aut inciſa, vel compoſita, quo pertinent pinnata, aut palmata. Quo deinde inſeruiat iis, qui exoptant omni anni tempore florentia arbuſta, ad numerum menſium plantae diſpoſitae adiiciuntur, ſiquidem earum coordinatione peculiares poſſint hortuli conſtrui, et umbracula, in quibus ferae non nullae habitent, neque noxam inferant, efformari.

Excipit haec omnia tandem, quarum cauſſa haec praemittebantur, recenſio arborum, in hoc opere deſcriptarum et, ut indicauimus, ad numerum litterarum facta relatio. Sed nos, quod non botanicis utilem, ſed variis oeconomiae ſtudioſis et cultoribus opus eſſe arbitramur, non inanem aliquem laborem ſuſcepturos eſſe putamus, ſi genera hic denominemus, quorum facta eſt mentio, deſcriptio et delineatio, quum a ſcopo noſtro utique ſit alienum, cuncta repetere.

Continetur itaque in *primo* Tomo: *Abies*, *Abrotanum*, *Abſinthium*, *Acacia*, *Acer*, *Alaternus*, *Alnus*, *Amorpha*, *Amygdalus*, *Anagyris*, *Androſoemum*, *Anona*, *Anonis*, *Aquifolium*, *Aralia*, *Arbutus*, *Armeniaca*, *Arundo*, *Aſcyrum*, *Aſparagus*, *Atriplex*, *Azalea*, *Azedarach*, *Baccharis*, *Barba Iouis*, *Belladonna*, *Berberis*, *Betula*, *Bignonia*, *Bonduc*, *Bupleurum*, *Burcardia*, *Butneria*, *Buxus*, *Capparis*, *Caprifolium*, *Carpinus*, *Caſia*, *Caſtanea*, *Ceanothus*

nothus, *Cedrus*, *Celtis*, *Cephalanthus*, *Ceraſus*, *Chamaeceraſus*, *Chamaedrys*, *Chamaelea*, *Chamaerhododendros*, *Chenopodium*, *Chionanthus*, *Ciſtus*, *Clematitis*, *Clethra*, *Colutea*, *Coriaria*, *Cornus*, *Coronilla*, *Corylus*, *Cotinus*, *Crataegus*, *Cupreſſus*, *Cydonia*, *Cytiſo-geniſta*, *Cytiſus*, *Dieruilla*, *Dirca*, *Elaeagnus*, *Emerus*, *Empetrum*, *Ephedra*, *Erica*, *Euonymoides*, *Euonymus*, *Fagara*, *Fagus*, *Ficus*, *Frangula*, *Fraxinus*, *Gale*, *Geniſta*, *Geniſta-ſpartium*, *Gleditſia*, *Globularia*, *Granadilla*, *Grewia*, *Groſſularia*, *Guaiacana*, *Gualteria*, *Hamamelis*, *Hedera*, *Hippocaſtanum*, *Hydrangea*, *Hypericum*, *Hyſſopus*, *Iaſminoides*, *Iaſminum*, *Ilex*, *Itea*, *Iuniperus*, *Kalmia*, *Ketmia*, *Larix*, *Lauandula*, *Lauroceraſus*, *Laurus*, *Lentiſcus*, *Liguſtrum*, *Lilac*, *Liquidambar*.

Sequentes explicat *alter* tomus plantas: *Magnolia*, *Malus*, *Meniſpermum*, *Meſpilus*, *Molle*, *Morus*, *Myrtus*, *Nerion*, *Nux*, *Olea*, *Opulus*, *Othonna*, *Paliurus*, *Pauia*, *Pentaphylloides*, *Periclymenum*, *Periploca*, *Perſica*, *Peruinca*, *Phaſeoloides*, *Phyllirea*, *Phlomis*, *Pinus*, *Platanus*, *Polygonum*, *Populus*, *Prunus*, *Pſeudoacacia*, *Ptelea*, *Punica*, *Pyrus*, *Quercus*, *Rhamnoides*, *Rhamnus*, *Rhus*, *Roſa*, *Roſmarinus*, *Rubus*, *Ruſcus*, *Ruta*, *Sabina*, *Salix*, *Saluia*, *Sambucus*, *Santolina*, *Sideroxylon*, *Siliqua*, *Siliquaſtrum*, *Smilax*, *Solanum*, *Sorbus*, *Spartium*, *Spiraea*, *Staphylodendron*, *Stewartia*, *Stoechas*, *Styrax*, *Suber*, *Symphoricarpos*, *Syringa*, *Tamariſcus*, *Taxus*, *Terebinthus*, *Teucrium*, *Thuya*, *Thymelaea*, *Thymus*, *Tilia*, *Tinus*, *Tithymalus*, *Toxicodendron*, *Tragacantha*, *Tulipifera*, *Viburnum*, *Viſcum*, *Vitex*, *Vitis*, *Vitis idaea*, *Vlmus*, *Vua urſi*, *Xyloſteum*, *Yucca*, *Ziziphus*.

Inter haec genera *Azaleam* et *Kalmiam* LINN. p. 85. optime ad *Chamaerhododendron* pertinere ſcribit, a quo prior ſtaminum ſolo numero, poſterior nectariis ad petali lacinias adnexis, diſcrepat. *Butneriae* ge- p. 113.

nus nouum eſt, quod duas petalorum ſeries habet, quorum exteriora videntur ad calycem referri poſſe, quod immediate ex maſſa receptaculi procedunt, licet cum interioribus eundem violaceum colorem habent, ſtamina plura ad viginti inſunt, piſtilla quoque plura thalamo inhaerentia. Imperfecta tamen eſt deſcriptio, a CATESBEIO vocatur *frutex corni foliis, coniugatis floribus inſtar anemones ſtellatae, petalis cruſſis rigidis, colore ſordide rubente, cortice aromatico.*

p. 131. *Caſia* nondum coli in hortis ſe paſſa eſt, etiamſi illa in Languedocia ſponte creſcat; itidem ad hortorum

p. 145. ornamenta nondum potuit adhiberi *Cephalanthus.* Siquidem plures ſint inter hic deſcriptas plantas, nec

p. 165. climati Galliae ſatis accommodandae. *Chionanthi* delineatio hic exhibetur, eiusque corollam diantheram eſſe aſſeritur, pariter *Clethrae et Dircae* icon datur. *Zanthoxylo* LINN. nomen *Fagarae* hic adſcriptum

p. 239. fuiſſe legimus, et plantae feminae figura additur. In ficubus maturandis caprificationem, quam vocant, a non nullis adhiberi notiſſimum eſt, huius loco ſuperiori fructus orificio ſeu umbilico parum olei oliuarum fuiſſe applicatum eodem cum ſucceſſu experientia Noſtrum edocuit. Qui ob ſingularem ſuam amaritiem hucuſque habebantur pene inutiles fructus

p. 295. Hippocaſtani, eos tamen a Cl. BON, praeſide Montepeſſulano, nutritioni volatilium aptos redditos fuiſſe refertur. Nucleos nempe in lixiuio calcis viuae et cinerum macerauit, et aqua dein ſimplici abluit, poſt ea vero in paſtam coctione reduxit, dulcem et nu-

p. 336. tritiam. *Laricis* therebinthina, clara et limpida, in interſtitiis interiorum ligni ſtratorum deprehenditur, copioſa admodum, ſi ad certam arbor deuenerit aetatem, hanc terebratione praegreſſa eliciunt, intra ſeptem annorum ſpatium octo libras obtinent, illaque collectio ad quadrageſimum vel quinquageſimum aetatis annum in una eademque arbore fieri poteſt; quae fluida quoque ſemper manet. Speciem eius

facit

facit Cedrum de Libano Cl. Auctor, quae eſt *Larix orientalis fructu rotundiore obtuſo* TOVRNEFORTII. Cum aqua ex *Lauroceraſi* foliis deſtillata inſtituta ex- p. 347.
perimenta, verum eam eſſe venenum declararunt, quod protinus illa maiorem canem interfecit. In hoc nullum inflammationis veſtigium inuentum eſt, ex diſſecto autem ventriculo adeo vehemens vapor, amygdalas amaras referens, exiit, ut ſuffocationis periculum inferret, paucae autem guttulae cani datae, eius appetitum auxerunt cum optimi nutrimenti indiciis, quare neruos vehementes affectos fuiſſe credit Noſter.

De oleae eiusque fructuum utilitate fuſa inſtitui To. II.
tur diſceptatio, et a cultura harum arborum ſollici- p. 63.
te ſuſcepta, bonum prouenire profectum adſeritur, hinc pendet potiſſimum, quod et optimum poſſit oleum inde exprimi et ad varios uſus oeconomicos fructus ipſi adhiberi. Quod, qua ratione effici poſſit, dilucide hic explicatur, additis etiam iconibus, preli, quibus oleum exprimatur, et fornacum, quibus lixiuium, ſaponibus inde conficiendis aptum, praeparetur. Eadem vero cum induſtria, in ciuium utilitatem directa, omnia hic operoſe exponuntur, ut in primo Tomo, reſinae atque picis praeparatio p. 8.
ex *Abiete*, vel in hoc paullo inferius ex *Pinu* deſcribitur. Prius de illa praeparandi ratione vero quam p. 131.
diſſerit Cl. Auctor, non inutilem aliquam de charactere generis botanico adducit animaduerſionem. Quum enim Cl. LINNAEVS Abietis, Pini et Laricis genus ſub uno Pini nomine comprehendat, arbores, quae conſueto loquendi more a ſe inuicem diſtinguuntur, ex foliis optime diſcrimen earum repetendum eſſe iudicat Noſter, ita quidem, ut Abies habeat folia ad exortum libera vel nuda, Pinus autem folia duo, tria, quatuor, nunquam plura quam quinque vel ſex, vagina membranacea ſicca comprehenſa, et Larix ſemper plus quam ſex, papillae emi-

nenti impoſita, ad baſin ſquamis non nullis inueſtita. Nec non ad characteres externos pertinere putat, Laricis flores ad ramorum longitudinem hinc inde, Abietis vero ac Pini ad eorum extremitatem poſitos conſpici. Ex ante adducta autem differentia patet, quare Cl. Auctor tres inferiores quaſi Pini generis claſſes conſtituat, ſcilicet Pini bifoliae, trifoliae, et quinquefoliae, in uno enim eodemque ſubiecto ratione foliorum numeri diuerſitatem obuenire poſſe non eſt, cur notemus. Notatu tamen dignum eſt, pini ſemina in terram ſata, quae variis excreſcentibus herbis tegitur, tertio demum aut quarto ſubſequente poſt ſationem anno comparere, nec ſolum quidem admodum cultum exigere. In primis culturae ratio harum arborum ita exponitur, rationibus additis confirmata, ut Cl. Auctoris propriae induſtriae documentum exhibeat; ſiquidem de iis ſimul hic retulerit differentiis, quae in conis, floribus aliisque circumſtantiis occurrunt, earum nempe ſpecierum vel varietatum, quae nondum ſufficienter ſunt determinatae. Tacemus tamen exactam et amplam deſcriptionem methodi, quae in praeparanda reſina, terebinthinaque adhibetur, quae ad collectionem fauillae et
p. 204. fuliginis pertinet, variis iconibus illuſtratae. *Quercus* cultura, arboris licet admodum vulgaris, meretur tamen ſingularem aliquam attentionem, quare, quae in colligendis, ſerendisque glandibus ſint obſeruanda, exponuntur ampliori ſermone, ex quibus tantum notamus, efficiendum eſſe, ne radix praecipua nimis profunda deſcendat, quippe, quae lateralibus ramis deſtituta, promte iterum, ex uno in alium lo-
p. 292. cum delata arbore, creſcere recuſet. Sic etiam in *Suberis* cultura adhibenda eſt cura, et corticis ſeparatio, in varias utilitates facta, certis tamen ſtatisque temporibus eſt ſuſcipienda; a decimo nempe ad decimum quintum aetatis annum prima vice cortex deglubitur, id, quod omni octennio iteratur, quo annoſioris

noſioris vero arboris cortex detrahitur, eo melior eſſe deprehenditur, ſiquidem arbor, vario tempore decorticata, ad centum et ultra annos durare ſoleat. Cauendum autem, ne, ut Cl. Auctor putat, liber laedatur. Ex *Terebintho* reſina quaedam deſtillat, ſi p. 308. cortex exterior huius arboris fuerit laeſa, quae quidem ex natali loco *Chia* appellatur. Huius vero parua admodum copia eſt, et in loco natali iamiam cum terebinthina Veneta miſcetur, quae ipſi liquidam conciliat formam. Confirmat hanc ſententiam teſtimonium Cl. COVSINERI, quod ex litteris, ad Cl. Auctorem datis, hic fuſe ſatis adducitur, et lectu dignum eſt. De *Viſci* baccis communis eſt opinio, p. 355. non vegetare easdem, prius auibus quam deglutitae fuerint iterumque excluſae, falſam tamen eam eſſe ſaepe inſtituta experientia Noſtrum edocuit, qui in multis viſcum educauit arboribus. Singularem praeter ea addit obſeruationem de radice, ex bacca huius plantae vegetante, quae procedit. Quum enim reliquorum ſeminum radiculae ſoleant promte omnes deorſum ferri et deſcendere, huius radiculae quamcunque directionem ſequuntur, ita quidem, ut ſi in ſuperiori facie ramuli haereat bacca rami procedentes adſcendant, ſi in inferiori deſcendant et in continuata quidem vegetatione ſic pergant.

Sufficiant pauca haec ex praecipuis adducta momenta, quae ſatis demonſtrant, non meram recenſionem arborum, ſed neceſſarias variaeque utilitatis animaduerſiones ſimul additas fuiſſe, quae nos ulteriorem continuationem et promiſſam partem auide expectare iubeant.

IX.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, année MDCCLII. avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique pour la même année tirés des regiſtres de cette Academie, A Paris de l'Imprimerie Royale. MDCCLVI. in 4 mai. Hiſt. pl. 22½. Comment. alph. 3. pl. 11. Tabulae aeri inciſae 20.

i. e.

Hiſtoria et Commentarii Academiae Scientiarum Pariſinae ad annum MDCCLII.

Initium relationis noſtrae more noſtro faciemus ab obſeruationibus ad *phyſicam generalem* ſpectantibus, quas Hiſtoriographus Academiae Pariſinae collegit.

p. 16. 1) Mentio fit dendritarum in lapicidina prope *Villamnouam* reperiundorum, de quibus obſeruatum eſt, quod materia colorem illis inducens ſeſe inſinuet per interſtitia ſtratorum lapideorum.

2) Terrae motus deſcribuntur, qui menſe nouembri anni 1751 *Hiſpaniolae* et *Iamaicae* multum damni attulerunt.

3) Narratur, *Ricomagi* quoque, *Claramontii* et in vicinis locis, menſe ſeptembri 1752 terram, ſed ſine damno, tremuiſſe.

p. 71. Obſeruationes *anatomicae* hic leguntur quinque:

1) Iuuenis, 28 annos natus, numum 6 librarum * deglutiuerat. Is in oeſophago ſic haerebat, ut, licet alimentis et fluidis et ſolidis tranſitum concederet, ipſe tamen neque adſcenderet, neque deſcenderet. Poſtquam fruſtra tentauerat Cl. LIEVTAVD hunc numum ope fortioris emetici in os repellere, tandem in oeſophagum, oleo amygdalino prius bene illitum,

* *Vn écu de ſix livres.*

illitum, introducto cereo numum in ventriculum depreſſit, et iuuenem iuſſit multum cibi aſſumere, corpus ſtrenue exercere, in dorſo vel latere dextro cubare, et aliquoties oleum amygdalarum dulcium bibere. Qua diaeta effectum eſt, ut poſt quinque dies numus per aluum excerneretur, nigrefactus paullum, cetera non mutatus. Hac occaſione Cl. LIEVTAVD monſtratus eſt aliquis homo, qui eius modi numos, quotquot ipſi dati erant, ſine noxa deglutire conſueuerat.

2) Virgo, viginti circiter annos nata, ob triſtitiam p. 73.
febri affecta fuerat, cui cephalalgia et torpor lethargicus iunctus erat. Ex quo quidem morbo cum perfecte iam conualuiſſe videretur, ſubito inſultibus epilepticis infeſtabatur, qui paſſionibus hyſtericis ſimiles erant, deficientibus tamen iis accidentibus, quae paſſiones iſtas praenuntiare ſolent. Conuulſiones ſemper excipiebat torpor, et cephalalgia cum delirio. Neque ſanguinis ex arteria temporali miſſio, neque remedia varia antepileptica, neque antihyſterica hoc malum ſic pellere poterant, quin idem poſt breuia interualla recurreret. Tandem, re prorſus deſperata, aliquis conſilium capit tentandi, num malum a triſtitia ortum per terrorem vinci poſſit, et cum aegra ſenſus ſub finem alicuius paroxyſmi recuperaſſet, ad lectum aegrae clam diſplodit bombardam. Quod auſum, etiamſi male ceſſiſſe initio videbatur, aegra ob terrorem in paroxyſmum relapſa, qui omnibus praecedentibus longe erat vehementior, tamen poſt tres horas adeo ſalutarem in animo et corpore aegrae mutationem effecit, ut ſibimet ipſa, ſenſu interno perſuaſa, ſanitatem praedicaret. Neque vana fuit haec praedictio, ſed vere ceſſarunt ſingula ſiniſtra ſymptomata, et virgo perfecte conualuit.

3) Deſcribitur uterus mulieris, quae plures in- p. 75.
fantes in lucem ediderat, compoſitus e duobus uteris perfectis et recte conformatis. Vteri totalis figura

talis erat, qualem pictores cordi tribuunt. Tubae autem FALLOPII, et ligamenta tam lata, quam rotunda, duplicia non aderant. In orificium exterius uteri totalis orificia uterorum ſingulorum oblique hiabant. Et indicia deprehendebantur conceptionis in utroque utero factae. Quoniam in eius modi utero ſuperfoetatio facile admitti debet, haec hiſtoria Auctori narrationis in memoriam reuocauit caſum feminae illuſtris, quae ſeptima poſt partum hebdomade iterum peperit foetum quinque circiter menſium, viuum quidem, ſed tam debilis conſtitutionis, ut mox viuere deſineret.

p. 76. 4) Monſtroſa narratur conformatio penis, per quem faeces alui excernebantur. Inteſtinum rectum non recta verſus anum deſcendebat, ſed ſub veſica ſeſe incuruabat, et in urethram inſerebatur. Haec inſertio quartum pollicis partem diſtabat ab orificio urethrae in veſicam hiante, et inter utramque urethrae aperturam medium erat aliquid valuulae ſimile, quo et urinae in inteſtina refluxus, et faecum in veſicam ingreſſus impediebatur. Penis tam longitudo, quam diameter, nec non diameter urethrae maior erat, quam in ſtatu naturali. Huic puero, qui per tres fere annos vixerat, tandem faba, quam integram deglutiuerat, mortem conciliauit. Namque iſta faba in urethram delata, per quam deſcendere non poterat, et faecibus alui tranſitum praecludebat, et quum ſimul oblique contra valuulam modo commemoratam niteretur, urinae quoque exitum negabat. Hinc tenſio et inflammatio veſicae et inteſtini, febris, tandemque mors.

p. 78. 5) Iuuenis quidam in dextro latere abdominis verſus regionem iliacam hernia laborabat, quae facile quidem introrſum reponi poterat, ſed reducta maiorem dolorem iuueni afferebat. Poſtquam is febri hectica erat mortuus, diſſectio cadaueris docuit, herniam illam formatam fuiſſe e portione coeci valde dilata-

dilatata, quae peritonaeum perruperat, et in ſe continebat maſſam, ex oſſibus pedum ſuillorum et nucleis ceraſorum compoſitam, atque inuolutam ſubſtantia molli villoſa.

Chemica claſſis unicam obſeruationem ſuppeditat. p. 85. Cl. HELLOT ſub titulo minerae Cobalti acceperat mineram, in qua plurimae erant cryſtalli, valde pellucidae, et nullo colore tinctae. Cupidus videndi, num vapores ſulphurei et arſenicales cryſtallis iſtis colorem inducere poſſint, integram illam maſſam teſtudini docimaſticae incluſit, eamque per duas horas in igni modico tenuit, a quo teſtudo tantum obſcure rubebat. Cum omnia refrixiſſent, exemit maſſam ex teſtudine, et vidit cryſtallos ſine ulla laeſione transmutatas in ſapphiros, topaſios, rubinos, ſmaragdos, amethyſtos, aliorumque colorum gemmas. Vnde nunc per experimentum conſtat, quod hactenus fere tantum per ratiocinia conſtitit, gemmas colores ſuos vaporibus mineralibus debere.

Sub finem hiſtoriae huius anni elogia leguntur Cll. Vir. GEOFFROY, et CHICOYNEAV.

CLAVDIVS IOSEPHVS GEOFFROY natus fuit Pariſiis, anno ſeculi ſuperioris octuageſimo quinto, patre MATHEO FRANCISCO pharmacopoeo celebri. Optimus hic pater Noſtrum in puerili et iuuenili aetate egregie inſtruxit et ſtudio medico excolendo deſtinauit, hic vero ſtudium pharmaceuticum praecipue elegit. Non neglecta igitur phyſica generali, anatome, et re herbaria, quam in primis duce TOVRNEFORTIO didicit, et poſtea in itinere per Galliam meridionalem inſtituto excoluit, ad labores inpoſterum cum fructa ſuſcipiendos ſe praeparauit. Anno huius ſeculi ſeptimo Academiae ſcientiarum adſcriptus, anno undecimo in locum Cl. BOVRDELIN ad chemiam excolendam electus, anno vigeſimo tertio

tio poſt obitum Cl. BOVLDVC ſtipendio ornatus, et anno vigeſimo quinto in numerum ſociorum academiae ſcientiarum anglicae receptus fuit. In ſtudio chemico pharmaceutico excolendo egregiam ſemper adhibuit induſtriam, et fructus laborum ſuorum in ſexaginta circiter commentariis, qui in ſcriptis academiae reperiuntur, exhibuit; quos cum ſingulos recenſere nequeamus, monemus tantum, eum in examine oleorum eſſentialium plantarum, tuberum terrae, ſalis ammoniaci, ſalis SEIGNETTE, boracis, terrae aluminoſae, cum cura verſatum fuiſſe. Anno quinquageſimo ſecundo huius ſeculi, die nono martii, breui morbo colica ſpaſmodica agitatus obiit annum agens ſexageſimum ſextum*.

FRANCISCVS CHICOYNEAV Monſpelii anno ſeculi ſuperioris ſeptuageſimo ſecundo natus fuit patre MICHAELE, Cancellario patriae uniuerſitatis et Anatomiae et Botanices Profeſſore. In hoc munere fratres Noſtri CHICOYNEAV, et natu maior et minor, viuenti patri ſucceſſerant, utroque autem praematura morte abrepto, pater ipſe illud iterum ſuſcipiebat et Noſtrum, qui rei militari ſe conſecrauerat, eo diſpoſuit, ut ad medicinam excolendam animum conuerteret. Fecit hoc tanta aſſiduitate, ut vigeſimo quinto aetatis anno Doctoris medici titulos et iura ex merito caperet, et paulo poſt patris munus ſubiret, eique indefeſſo ſtudio et dexteritate non ſolum praeeſſet, ſed etiam in medicina cum laude facienda ſe exerceret. Peſtis tunc temporis inter ciues maſſilienſes magnam ſtragem effecerat, iuſſu itaque Ducis Aurelianenſis eo miſſus fuit Noſter, quo medicorum collegio, ad morbum contagioſum refrenandum et exſtinguendum conſtituto, praeeſſet, qua in re praeſtanda ita ſe geſſit, ut in indolem peſtiferi mali perſectiones cadauerum peſte demortuorum et obſeruationes

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. III. p. 530.

tiones ſymptomatum in peſte affectis inquireret ipſe, et ideo conſiliis praeſtantiſſimis ſuccurrere poſſet. Poſtquam itaque per annum Maſſiliae commoratus erat, Aquis ſextiis morbum ſimilem imminentem conſiliis ſuis ſuppreſſit. Monſpelium reuerſus ibique ſummo cum applauſu omnium exceptus, otio tamen litterario diu frui non potuit, anno enim huius ſeculi trigeſimo primo cura ſanitatis familiae regiae ipſi concredita fuit; huic tamen officio vix per nouem menſes praefuit, quoniam poſt obitum Cl. CHIRAC Conſiliarius regis et primus medicus conſtituebatur. Et licet vires aetate iam fractae eſſent, Regem tamen ubique et in expeditionibus bellicis ſequutus eſt. Obiit tandem octogenarius, non niſi aetate confectus, anno 1752. die decimo tertio aprilis,* ſcripta nulla exarauit praeter aliquas diſſertationes, nec commentariis Academiae ſcientiarum traditis inclaruit, indicati enim labores eum in muneribus ſuis ſemper occupatum tenebant.

Tranſimus ad commentarios, quorum titulos eo, quo ſe inuicem excipiunt, ordine huc transſcribemus, et de his, qui ad noſtrum inſtitutum pertinent, paullo fuſius ad lectores noſtros referemus.

1) Cl. BOVGVER agit *de operationibus gubernatorum, quas vocant correctiones*, et varia adnotat in Matheſi practica uſum habitura. p. 1.

2) Cl. GVETTARD *de quibusdam Galliae montibus* exponit, *qui olim arſerunt.*** Hi montes ſunt in *Aluernia*, numero tres, quorum primus eſt prope pagum *Voluicum* duas Leucas a *Ricomago* diſtans, ſecundus vulgo dictus *Puy-de-Domme* prope *Claramontium*, tertius, qui vulgo *mons aureus* vocatur. p. 27.

De

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 531.
** Lecta 10 maii 1752.

De eorum incendiis, nulla quidem exſtant hiſtoriae documenta, multa tamen ſigna naturalia teſtantur, quae Cl. Auctor praeſens contemplatus eſt diligenter, figura conica, pumicis copia ad radices montium, ſuper hoc ſaxorum ingentium, ſcoriis ſimillimorum, cumuli, prope verticem crater. Praeterea per totam altitudinem montis Voluici et ultra radices eius ſatis longe extenſa inuenit ſtrata lapidea, pedem unum craſſa, nulla marga, argilla, aliisue materiis diſſimilibus, ut alibi fieri ſolet, interſtincta, ſed continua, quorum maſſa maſſam illam fuſilem, quam Veſuuius euomuit, perfecte referebat. Et terra hos montes circumiacens multas in ſe continet materias alimentum igni praebentes, petroleum, lithanthraces, bitumen. Neque prorſus conſumtum iam eſt ignem, qui olim incendii horum montium cauſſa fuit, thermae in *monte aureo*, et terrae motus, qui ante aliquot annos Ricomagenſes terruit, perſuadere nobis poſſunt.

p. 60. 3) Cl. MACQVER *analyſin ſuam chemicam coerulei Berolinenſis* deſcribit.* Hanc maſſam calcinatam a magnete trahi omnem, obſeruauit, et inter calcinandum exhalare vapores, alcali volatilis odorem ſpargentes, imo iniectam nitro fuſo aliquam detonationem efficere. Vnde intelligitur, cum ferrum, tum materiam pinguem et inflammabilem ineſſe huic pigmento. Deinde Cl. Auctor acidorum vim in coeruleum Berolinenſe tentauit; ſed ea, etiam calore haud modico adiuta, non agere in hanc materiem expertus eſt. Contra ea liquore nitri per tartarum fixi affuſo huic materiae in puluerem redactae, color coeruleus diſparuit. Pulueris huius bene abluti aqua pura partem calcinauit Cl. Auctor, parti reliquae aquam fortem affudit; viditque illam partem calcinatam a magnete omnem attrahi, hanc autem in aqua forti

* Lecta d. 15 nouembr. 1752.

forti cum ingenti efferueſcentia diſſolui, ſolutione luteum colorem trahente. Poſtquam ſic intellexit, praedictum liquorem alcalicum omne id, quod in coeruleo Berolinenſi ineſt a ferro diuerſum, ſoluiſſe, liquorem illum cum aqua forti confudit, et animaduertit 1) pauciorem aquae fortis copiam ad ſaturationem ſufficere, quam ſi liquor ille coeruleo non fuiſſet affuſus, 2) liquorem miſtum, finita efferueſcentia, viridem colorem nactum eſſe, et elapſo aliquo tempore praecipitari aliquid coloris cyanei, et liquori luteum colorem reddi. Haec duo phaenomena Cl. Auctoris progreſſum in hac analyſi direxerunt, ex qua tandem ipſi enata eſt ſequens theoria. Coeruleum Berolinenſe conſtat ex ferro et materia quadam inflammabili, cui colorem ſuum debet. Haec materia per lixiuia alcalina, coeruleo illi affuſa, ex ipſo extrahitur, et non differt ab ea, qua grauidum reddi ſolet alcali cum ſanguine bouino calcinatum, neque ullo acido poteſt ſeparari ab alcali, quod illam ſoluit, niſi acidum illud cum metallo quodam coniunctum ſit; hoc enim in caſu acidum ſolutionis metalli miſſas facit particulas metallicas, et ſibi adiungit alcali, quo ipſo materia, coeruleum colorem efficiens, ſeparatur ab alcali illo, et coniungitur cum particulis metalli, quod, ſi fuerit ferrum, in coeruleum Berolinenſe conuertit. Quae res nouum ac memorabile exemplum ſuppeditat legis illius *duplicis affinitatis*, quam Cl. Auctor in commentariis ſuis de arſenico expoſuit, et ſecundum quam materia, quae duas alias a ſe inuicem ſeparare, ob ſufficientis affinitatis cum alterutra earum defectum, ſola non poteſt, apta redditur ad ſeparationem efficiendam, dum iungitur quartae cuidam materiae, quae cum altera materiarum ſeparandarum tantam habet affinitatem, ut defectus affinitatis inter reliquas duas inde compenſetur. Iam in praeparatione coerulei Berolinenſis per ſolutionem vitrioli viridis atque aluminis, accidit

ut,

ut, dum acidum ſolutionis vitrioli, quod terrae ferrugineae iunctum eſt, agens in partem lixiuii materia praedicta colorante impraegnatam, hanc materiam una cum particulis martialibus in forma pulueris coerulei praecipitat, ſimul praecipitetur pars terrae ferrugineae in forma pulueris lutei, quia haec pars dimittitur ab acido, partem lixiuii materia colorante non grauidatam inuadente; Et ſic totum praecipitatum, non coeruleum, ſed viridem colorem haberet, niſi ſolutio aluminis id impediret. Namque acidum vitriolicum in hac ſolutione obuium ſeſe coniungit cum parte lixiuii, nihil materiae colorantis continente, eoque fit, ut parum tantum terrae ferrugineae praecipitetur, cuius color coeruleo colori officit; et quanquam ſic, pro terra ferruginea, terra alia non metallica, quae alumini ineſt, praecipitatur, tamen haec, cum alba ſit, non poteſt mutare colorem coeruleum in viridem, ſed eum duntaxat dilutiorem reddit. Ceterum cuius generis ſit iſta materia, cui coeruleum Berolinenſe colorem ſuum debet, Cl. MACQVER nondum definit, ſed in aliis commentariis hanc quaeſtionem tractare pollicetur.

p. 78. 4) Cl. DE LA LANDE *commentatio prima de parallaxi lunae, eiusque a tellure diſtantia, in qua nouae obſeruationes Regis iuſſu annis* 1751 *et* 1752 *Berolini atque in Promontorio Bonae Spei habitae, ad figuram terrae ſphaeroidis ſub polis depreſſae applicatur, ut inde parallaxes pro diuerſis in terra punctis deducantur.*

p. 115. 5) *Appulſus ſtellae fixae in chela cancri orientali ad limbum ſeptentrionalem lunae, cum aliis non nullis appulſibus, obſeruatus a Cl.* LE MONNIER filio.

p. 117. 6) *Hiſtoria morborum epidemicorum Pariſiis an.* 1752 *una cum aeris temperie obſeruatorum* a Cl. MALOVIN. Huic hiſtoriae praemittit Cl. Auctor obſeruatio-

ſeruationes quasdam generales de origine, natura, et efficacia ventorum, ex quibus hoc tantum excerpemus, quod diuturna experientia ſeſe edoctum profitetur, auſtrum capiti et neruis infeſtum, eurum atra bile abundantibus et ſicci temperamenti hominibus valde inimicum, fauonium autem ſanitati maxime amicum eſſe, ob humiditatem, boream contra, ob ſiccitatem, perniciosiſſimum. Ianuario anni 1752 tempeſtas fuit valde humida et parum frigida, fauonio et libanoto ſpirantibus; morbi epidemici fuerunt morbi pectoris, rheumatiſmi, pleuritides, febres catarrhales; mortui ſunt Lutetiae 1449, nempe 773 mares et 676 feminae, nati autem 1090 pueri et 998 puellae. Februario, qui humidus et mediocriter frigidus fuit, ſpirantibus auſtro et libanoto, morbi fere iidem, qui praecedenti menſe, et praeterea morbus cutaneus, qui ſigna variolarum, ſed valde mitia, anxietatem nempe praecordiorum, et dolores renum, per quatuor dies habebat, quibus elapſis prodibant puſtulae, in quarum ſummitate ſeroſitas quaedam inerat, et quae poſt 24 horas rumpebantur, quo facto puſtulae exſiccabantur, et remanebant maculae rubrae, quae, uti maculae a variolis relictae, diſſipabantur. Mortui ſunt hoc menſe 761 mares, 720 feminae, nati 1034 pueri, et 1051 puellae. Martio tempeſtas ſiccior, quam ſuperioribus menſibus, multi fluxionibus in altero oculo vel aure alterutra laborabant, mortui 918 mares, 765 feminae, nati 1130 pueri, 1092 puellae. Aprilis praeter morem ſiccus fuit, ſpirantibus plerumque borea et euro-aquilone, morbi graſſantes fuerunt catarrhi, morbi faucium, pleuritides; mortui 1059 mares, 827 feminae, nati 1049 pueri, 999 puellae. Maio aeris temperies, qualis hoc menſe eſſe ſolet; epidemicus morbus febris intermittens haud maligna, quae cum frigore incipiebat, ſed cuius paroxyſmi quotidie a meridie redeuntes eam frigore non incipiebant, et p. 126.

poſt quartum diem ceſſabant, die ſecundo, tertio vel quarto puſtulis in ore erumpentibus; diaeta cum potu largiore et diluente, et poſthaec purgatio hanc febrim tollebant, venae autem ſectio non conducebat; mortui 996 mares, 749 feminae, nati 1098 pueri, et 1051 puellae. Iunio aer fuit temperatus, ſiccus magis, quam humidus, etſi multum pluit, et fauonius plerumque ſpirauit. Nam humiditatem aeris non a ſola pluuia, ſed maxime a ventis, ſole, et exhalatione terrae pendere affirmat Cl. Auctor; quae ſententia facile concedi poſſet, modo docuiſſet Auctor, qua ratione humiditatem aeris menſurauerit vel aeſtimauerit, quum de hygrometro altum in hac hiſtoria ſilentium ſit. Morbi huius menſis ſpatio frequentes, fuerunt eryſipelae, morbillique; notata etiam fuit febris maligna cum dolore lateris, ſed quam, non inſtar pleuritidis, per ſanguinis miſſionem, ſed per purgationem primarum viarum curari oportuit. Praeterea refert Auctor, a Cl. FERREIN in Facultate medica narratum fuiſſe, quod e vena in brachio viri, de repletione vaſorum antea conqueſti, ſecta, multo plus liquoris lacti ſimillimi, quam ſanguinis, prouenerit, et quum plures poſt horas vena rurſus caſu aperta fuerit, iterum emanauerit eius modi liquor, qui ſeſe coagulando ſeparauerit a ſanguine, cuius aliqua, ſed longe minor, copia ſimul effluerat; venae ſectio undecima poſt coenam hora inſtituta erat, neque poſtea aſſumta fuerant alimenta. Hac occaſione alius medicus, MVRRY, affirmauit, tale quid ſaepius a ſe obſeruatum eſſe in eis, qui aſſidue equis vehantur. Mortui hoc menſe ſunt 1410, mares 796, feminae 624, nati 1927, pueri 969,
p. 131. puellae 958. Iulio menſe humidus ſupra modum aer; morbus epidemicus nullus praeter febrim ephemeram, et ſpeciem variolarum, quae aegros per quindecim dies detinebant; denati 1194, mares 609, feminae 585, nati 1816, pueri 919, puellae 897.

Auguſto

Auguſto aeris temperies, qualis in Iulio, coelum ſemper fere caliginoſum; fluxiones, et febres catarrhales frequentes, morbilli ac variolae in urbe quidem rariores, ſed in agris, qui circumiacent, graſſantes (unde Cl. Auctor colligit, exhalationes terrae magnam vim habere inter alia ad hos morbos efficiendos); numerus mortuorum 1137, mares 601, feminae 536, natorum 2013, inter quos 1085 pueri, et 928 puellae. Ceterum memorat Cl. Auctor febrem malignam cum delirio, quae per purgationes et ſanguinis detractiones nequicquam tractata, tandem nutriente victu curata eſt. September ſerenitatem et ſiccitatem inſolitam attulit, fauonio maxime flante; graſſatae ſunt variolae, et febres putridae cum eruptione puſtularum aut macularum rubrarum in cute, quibus maxime infeſtabantur puerperae. Nati ſunt hoc menſe 1985, pueri quidem 990, puellae 995, denati autem 1181, mares 636, feminae 545. Obiter p. 134. occaſione virginis, quae ſuppreſſum menſtruorum fluxum reſtituit uſu lactis, in quod vitrum, diu aeris iniurias paſſum, candens intinctum fuerat, Cl. Auctor, uſum lactis cum alcalinis in medicina frequentiorem optat. October ſiccior fuit Septembri, eurus vel euro-aquilo maximam menſis partem ſpirauit, nec gutta pluuiae decidit; rheumatiſmi et fluxiones in capite, oculis, dentibus, et faucibus multos afflixerunt. Homines 1331, mares quidem 688, feminas vero 643 mors abſtulit, contra 2065, inter quos 1050 pueri, et 1015 puellae, in lucem editi ſunt. Nouembri aer temperatus, venti varii, morbi epidemici nulli, diem obierunt 1394, nempe 731 mares, et 663 feminae, nati autem ſunt 1917, pueri 935, puellae 982. Decembri aer humidus fuit, nec frigidior, quam ſuperiori menſe; morbi communes fuerunt dolores faucium, fluxiones, et febres putridae; mortui 1636, ſexus maſculini 912, feminini 724, nati 1935, pueri 964, puellae 971. Fuit ergo nume-

rus infantium hoc anno Lutetiae ſacro baptiſmate ablutorum 24250, puerorum nimirum 12313, cum 11937 puellis, ſed defuncti ſunt ibidem 17761, ſexus maſculini 9583, feminini 8179. Multitudo puerorum natorum in Europa puellarum multitudinem, obſeruante Cl. MALOVIN, quotannis ſuperat, quemadmodum etiam plures mares, quam feminae quotannis moriuntur. Maximum frigus hoc anno incidit in 16 Ianuarii, ac 30 Decembris, et fuit 5 graduum ſub puncto gelationis in thermometro Reaumuriano. Maxima barometri altitudo fuit $28\frac{5}{12}$ pollicum, decimo et undecimo Martii, minima 27 pollicum, 10 Ianuarii.

p. 142. 7) Cl. CLAIRAVT *conſtructionem tabularum parallaxis horizontalis Lunae iuxta theoriam Lunae a ſe editam docet, et monita quaedam addit de aliis elementis calculo in hac theoria ſubiectis.* Sequitur

p. 161. 8) Cl. DE LA SONE *ſecundus commentarius de organica oſſium ſtructura.** Hoc in commentario Vir doctus 1) ſingularia quaedam oſſium capitis, et praecipue dentium, conſiderat, 2) ſtructuram cartilaginis, quae oſſa adultorum pleraque inueſtit, eisque intime adhaerere videtur, ſingularem deſcribit, 3) ligamentorum, tendinum in ſubſtantiam oſſeam inſertionem, et 4) modum, quo partes hae molles tam duris partibus adeo firmiter iunctae ſunt, exponit. Cranii ſtructura hoc habet ſingulare, quod in foetu quidem cranium conſtet ex pluribus partibus oſſeis, non contiguis, et per membranam tantum modo iunctis, creſcente autem homine nato, hae partes ſic creſcant, ut ad contactum mutuum perueniant per dentes ſpongioſae ſubſtantiae, e lamina ſuperiori cuiusque partis

* Lecta d. 15 Ianuar. 1752. Primus commentarius exſtat in Memoir. de l' Acad. Roy. d. Scienc. an. 1751 p. 98. vid. Comment. noſtr. Vol. VI. Pars I. p. 44.

partis prominentes, qui inter dentes vicinae partis recipiuntur. Quod dum fit, partes uniuntur et iunguntur ſibi mutuo ſine ulla dentium inflexione vel replicatione; ſed partim quatenus multis dentibus ea eſt figura, quam fabri *caudam hirundinis* vocant, et ob quam in cauitatibus, quas occupant, firmiter retinentur, partim quod laminae inferiores partium cranii creſcendo ſuper ſe inuicem parumper extenduntur, fit tandem ex quatuor oſſibus unum ſolidum hemiſphaerium, tantae fere firmitatis, ac ſi ex unico oſſe conſtaret, et ſimul idoneum praebens transitum vaſis fibrisque ex pericranio in duram matrem et viciſſim. Elucet ergo ex hac fabrica cranii ſingulari adoranda auctoris naturae ſapientia, quae tali arte effecit, ut caput quidem foetus ad partum iuuandum figuram ſuam mutare, et oblongius euadere poſſet, adulti autem hominis cerebrum fornice ſolido perquam firmo contegeretur.

Dentes ſunt ſingulare oſſium genus, et longa p. 165.
alia ratione, quam cetera corporis humani oſſa, creſcunt. Conſtat inter omnes, dentes haud naſci ex cartilagine, ſed ex tuberculis mucoſis, quod iamiam ſeculo XVI ab Anatomico Germano, VOLCHERO COITER obſeruatum eſſe Auctor notat. Initio formationis foetus materia illa mucoſa folliculo membranaceo incluſa eſt, et nullum radicis veſtigium apparet. Creſcente foetu, tuberculum mucoſum conſiſtentiam et colorem cryſtallinae lentis oculi nanciſcitur. Circa ſeptimum menſem germen illud dentis mucoſum tegi incipit ſuperne et circumcirca lamina oſſea alba et compacta, ſub qua germen naturam ſuam mucoſam ſemper ſeruat, adeo, ut oſſificatio eius non gradatim perfici videatur, ſaltim a Cl. Auctore nunquam inuentum ſit in ſtatu indurationis medio inter mucoſam et oſſeam naturam. Oſſificatio autem dentis non ſolum a circumferentia verſus centrum, ſed etiam a centro verſus peripheriam pro-

cedat, neceſſe eſt, quia dens ſemper alueolum ſuum creſcentem replet, et cruſta vitrea extenſionis capax non eſt. Quia haec cruſta ob eandem rationem incrementum rudimenti mucoſi ubique, inferioribus partibus exceptis, impedit: mucor ille verſus fundum alueoli ſeſe extendere cogitur, et ibi obuias cauitates explere: quae eſt radicum dentis origo. Expletis his cauernulis, germen, dum creſcere pergit, protrudit corpus dentis, ut hoc tandem, gingiua perforata, in lucem exeat. Ad firmandum in alueolo ſuo dentem, praeter radices eius, facit praecipue cartilago, quam Vir Cl. inter dentem et alueolum detexit, et quae multas fibras tum in radicem dentis, tum in parietem interiorem alueoli immittit. Eam putat eſſe partem perioſtei, preſſione, quam inter utrumque os paſſa eſt, conſpiſſatam.

p. 170. Pergimus ad ſecundum huius commentarii partem, in qua Cl. Auctor eas cartilagines conſiderat, quae laminis oſſeis tam intime adhaerent, ut partem earum conſtituere videantur, quales ſunt in capitibus et cauitatibus articularibus oſſium, articulatione mobili iunctorum, atque in ſulcis, qui tendines recipiunt. Earum ſtructuram Cl. Auctor ab aliarum cartilaginum ſtructura multum diſcrepantem vidit nudis oculis, poſtquam caput oſſis femoris, verticali ſectione in duas partes diuiſum, in aqua coxit. Animaduertit enim, cartilaginem, quae caput huius oſſis incruſtat, compoſitam eſſe ex ingenti copia filorum iuxta ſe inuicem plano oſſis perpendiculariter poſitorum et inter ſe arcte iunctorum, ut ergo perfecte ſimilis ſit ſubſtantiae vitreae dentium. Sed eandem rem etiam luculentius oculis uſurpari poſſe monet, ſi caput oſſis, eiusmodi cartilagine veſtitum, calcinetur, et deinde diffringatur. Extrema illorum filamentorum ab oſſe remotiora minus dura magisque flexilia obſeruauit extremitatibus oſſi continuis, quae ipſae oſſeae naturae apparent. Vtrum hae cartilagi-

nes

nes ſint fibrae oſſeae productae ſeu continuatae, an ſecundum Cl. DV HAMEL ſententiam ex perioſteo enaſcantur, Cl. Auctor in dubio relinquit, et ſatis habet, hac fabrica obſeruata, melius explicari poſſe uſum harum cartilaginum in articulationibus, qui, praeter frictionis diminutionem, in hoc conſiſtit, ut fortius et diutius reſiſtant perpetuae preſſioni et frictioni partium contiguarum, ſine propriae figurae atque elaſticitatis damno.

Tertio de inſertione tendinum et ligamentorum p. 173.
non nullorum in quaedam oſſa, praecipue in oſſa extremitatum, notat eorum extrema ſic tranſire per perioſteum, ut continuitatem fibrarum eiusdem interrumpere videantur, et deinceps inſeri in ipſam ſubſtantiam oſſis ad quartam ſaepe partem pollicis, immo in extremis oſſium longiorum penetrare ad ſubſtantiam ſpongioſam, et laminis contextus ſpongioſi adhaereſcere, mutatis ſubinde directionibus, quos ante inſertionem habebant, adeo, ut tale os cum ſuis ligamentis et tendinibus perfecte ſimile ſit trunco arboris, ramis ſuis ornatae. Attamen de non nullis tantum ligamentis et tendinibus haec intelligenda eſſe, monet Vir doctiſſimus, et concedit plurimos faſciculos tendineos, ligamentoſos et cartilaginoſos oſſibus ſine profundiori inſertione adhaerere.

Quarto ad quaeſtionem, qui fieri poſſit, ut molles tendinum ac ligamentorum fibrae durae oſſis ſubſtantiae tam firmiter adhaereant, reſpondet, id ea ratione fieri, ut extrema illarum fibrarum ipſa fiant oſſea, idque non uniformiter, ſed ſenſim ac per gradus; ſic enim haud tolli cohaeſionem inter contigua puncta fibrarum, cum eorum homogeneitas duntaxat infinite parum mutetur.

9) Cl. DE THVRY continuatio commentationis p. 178
anno 1748 in Academia lectae, de *variationibus altitudinum ſolſtitialium ſolis.*

p. 189. 10) Cl. GVETTARD *comparatio inter Canadam et Heluetiam reſpectu habito ad mineralia.* In hac prima parte huius commentationis Cl. Auctor recenſet foſſilia Canadenſia, a ſe examinata. Inter terras memorat terram viridem e regione *Illinenſi*, quae autem nihil cupri continet, ſpeciem ochrae ex eadem regione, et ſabulum, quod magnes attrahit. Lapidum plures recenſet ſpecies, inter quas eſt marmor atrum *Quebecenſe*. In eo ſunt venae albae anguſtae, quae conſtant ex cryſtallis minutis, ſatis pellucidis, figurae irregularis, et non nunquam in ſtratis huius marmoris reperiuntur ſimiles cryſtalli, ſed multo maiores et hexagonae, quas quidem pro adamantibus habuerunt, licet his multo ſint molliores. Porro ex hac claſſe notabimus lapidem foetidum, qui ex parte a ſpiritu nitri vel ſalis, non autem a ſpiritu vitrioli, diſſoluitur, et in igne calcinatur, ex eo cotes pro nouaculis parant. Minerae tandem, de quibus hic agitur, ſunt minerae ferri et plumbi praecipue, quippe quibus metallis Canada abundat. Aquarum etiam quarundam mineralium, partim ferrugine-arum, partim ſulphurearum ſub finem huius Commentarii breuiter fit mentio.

p. 221. 11) Cl. CASSINI DE THVRY *obſeruatio eclipſis lunae* d. 2 *Decembris* 1751 *in obſeruatorio regio.*

p. 223. 12) Cl. LIEVTAVD *relatio de raro ventriculi morbo, una cum quibusdam obſeruationibus de mechaniſmo vomitus, et uſu lienis.** Vir, 65 annos natus, de plenitudine ac grauitate ventriculi et conatu perpetuo vomendi, tametſi vomitus nunquam, arte etiam adhibita, conſequeretur, queſtus, tandem hydrope uniuerſali moriebatur. Ventriculus eius reperiebatur ſummopere tenſus et repletus, etſi per plures dies perparum alimenti aſſumſerat, canalis contra inteſtinorum

* Lecta. d. 23 Iunii 1752.

norum tam arctus erat, ut totius volumen vix ventriculi volumen aequaret. Pylorus, in quem primum Cl. Auctor culpam morbi coniecerat, liber erat, et optime conſtitutus. Quam ob rem non aliam cauſſam morbi ſubfuiſſe iudicat, niſi paralyſin ventriculi, qui vim ſeſe contrahendi, et forſan quoque ſenſum, perdiderit, quale quid ſaepius obſeruatum eſt veſicae accidere. Verum quia haec hypotheſis, aſſumta vulgari theoria vomitus, impotentiam vomendi haud explicat: haec theoria ab Auctore ſub examen vocatur. Primo negat muſculis abdominis facultatem vomitum efficiendi; tum quia in corporibus valde macilentis, quorum abdomen cauum eſt, et in quibus tamen vomitus locum habet, contractio illorum muſculorum magis auget, quam minuit ventris cauitatem, tum quia manus muſculis illis impoſita, quando aeger vomit, nunquam eam horum tenſionem ſentit, quam percipit in tuſſi, aut cum nares emunguntur. Et ſe vidiſſe teſtatur Cl. Auctor hominem, in quo muſculi abdominis inflammati erant, et qui tuſſiens maximum dolorem, vomens autem nullum ſentiebat. Secundo diaphragma non plus valere ad vomitum ciendum, quam abdominis muſculos, demonſtrat ex eo, quod vomitus non fiat, quando diaphragma ſeſe contrahit; nam, diaphragmate contracto, oeſophagus conſtringitur, et materiae exitum ex ventriculo haud permittit, praeterea materia, per oeſophagum expulſa, in tracheam, eleuata epiglottide, intrare deberet; niſi exſpiratio, quae nunquam fit diaphragmate contracto, illud impediret. Remotis autem hisce cauſſis vomitus, nil relinquitur, niſi hoc, quod conuulſio ventriculi ſit vera vomitus cauſſa; ex quo intelligitur, cur in caſu huius aegri, de quo agitur, vomitus locum habere non potuerit. Ad uſum lienis quod attinet, vidit Cl. Auctor in hoc cadauere confirmationem ſententiae ſuae de liene, quam iam olim Hiſtoriographus Academiae

miae anno 1738 expoſuit, ſcilicet lienis hunc eſſe uſum, ut ſemper expleat ſpatium inter ventriculum et inteſtina, adeo, ut vacuo ventriculo intumeſcat, repleto autem in arctum ſe cogat. Nam lien in hoc cadauere, ceteroquin bene conſtitutus, tam paruus reperiebatur, ut vix duarum unciarum pondus haberet.

p. 233. 13) Cl. LE MONNIER, medici, *obſeruationes de aeris electricitate.* FRANKLINI experimentum repetens Cl. Auctor certior factus eſt, materiam electricam fere ſemper obſeruabilem eſſe inſtante tempeſtate, praeſertim cum aeris tranquillitas et ingens calor praeceſſit, et in maxima copia adeſſe, quando nubes in pluuiam ſoluuntur, licet nullum tonitru audiatur; ſimul ac materia electrica ſeſe prodat, aerem hactenus tranquillum inquietum reddi, et ventum fieri tanto violentiorem, quanto magis abundet materia electrica; denique ubi aer ſatis humectatus fuerit, electricitatem eius ceſſare. Sed praeterea reperit, aerem ſaepe ſatis electricum eſſe, etiamſi nullae nubes adſint, quae ſuam cum illo electricitatem communicare poſſint; atque obſeruauit, hanc aeris vim electricam poſt ſolis occaſum minui, ſenſimque euaneſcere, nocturno humore deſtructam, et demum hora octaua vel nona matutina iterum ſenſibilem fieri. Vnde autem hanc aer electricitatem habeat, nondum liquet; a tellure tamen eam venire, Auctor contra Cl. WATSONVM, negat, quoniam machina electrica, cum omni eius apparatu, ipſisque illis, qui globum fricabant, e reſtibus ſericeis ſuſpenſis ita, ut omnia in aere libera penderent, globum electricum reddi obſeruauit.

p. 244. 14) *Obſeruationes anatomicae de corde:* Commentarius I. Auctore Cl. LIEVTAVD. * Cum in examinando

* Lectus d. 8 mart. 1752.

nando corde Anatomici tantum non omnes ad ſolam fibrarum texturam et poſitionem animum attenderint: Cl. Auctor praecipue ad actionem eius, et relationem inter ipſum ac ceteras corporis partes reſpicere conſilium cepit. Primo autem exponit de pericardio, quod huius commentarii argumentum eſt. Ex pericardii ſitu iudicandum eſt de ſitu cordis in animali viuo: quum illius cauitas a corde exacte impleatur. Quod enim multi affirmauerint, capacitatem pericardii duplo maiorem eſſe volumine cordis, fraudi ipſis fuit diminutio voluminis, quam cor a morte patitur. Neque verendum eſt, ne pericardium, ſi eius capacitas volumini cordis aequalis tantum ſit, cordis dilatationem impediat: quoniam cordis volumen in diaſtole non augetur, quippe in qua tantum minuitur volumen auricularum, quantum ventriculorum volumen augetur. His praemiſſis, Cl. Auctor deſcribit duas membranas, ex quibus cum interiecta tela celluloſa compoſitum eſt pericardium. De exteriore tendinea, inter alia, notat, eam ſic iungi cum diaphragmate, ut utriusque fibrae ſint prorſus continuae, et quomodo haec continuitas etiam in externo huius membranae plano obſeruari poſſit, docet; praeterea ſtructuram earum eius partium, per quas arteriae et venae traiiciunt, exponit, eamque obſeruat pro arteriis aliam eſſe, quam pro venis. Interiorem membranam quod attinet, Auctor vaginas praecipue deſcribit, quas ipſa vaſis e corde eductis praebet. Deinde de uſu pericardii exponens, notat, admirabilem conſenſionem motuum pulmonum et glottidis, coſtarum et diaphragmatis, quam multi ex conſenſu neruorum, inuita anatome, explicare volunt, melius ex arcta coniunctione pericardii cum pleura et vaſis pulmonalibus repeti poſſe; et ſtatum pericardii plurimum habere momenti ad motum cordis et reſpirationis immutandum, id, quod in primis ex ſpaſmis pericardii, qui maximam partem

tem paſſionis hyſtericae et hypochondriacae abſoluunt, manifeſtum fit. De aqua pericardii non ſentit cum illis, qui in ſtatu naturali pericardium ſemper aliquam humoris copiam continere putant, ſed ſtatuit, parum aquae, quod ſaepe in pericardio reperitur, aut eſſe a morbo quodam, aut in cadaueribus, paullo ſerius a morte ſectis, illam paullatim exſudaſſe ex poris membranae interioris pericardii, diſſolutioni ſuae putridae proximi. Colophonem huic primo Commentario imponit Cl. Auctor obſeruatione copioſae ſuppurationis membranae interioris pericardii ſingulari.

p. 266. 15) *De auium digeſtione, Commentarius primus, continens experimenta pro cognoſcendo modo, quo digeſtio fit in auibus, quae maxime granis et herbis veſcuntur, et ventriculum habent craſſiorem carnoſum.* Auctore Cl. DE REAVMVR. Vtrum digeſtio alimentorum in ventriculo per diſſoluentium liquidorum actionem, an per triturationem, an utraque ratione ſimul fiat, inter Phyſiologos nondum conuenit. Quam litem ut dirimeret Ill. Auctor, in auibus experimenta capere inſtituit, quarum aliae carnoſo et craſſo ventriculo, aliae tenuiori et membranoſo praeditae ſunt. De experimentis in prima illa auium claſſe captis hoc loco exponit. Primo gallis Indicis iunioribus et anatibus deglutiendas dedit ſphaerulas vitreas cauas, ex quibus margaritas ſic dictas ſpurias conficiunt, et poſt quatuor et viginti horas diſſectis gallis, ita illas in puluerem redactas et digeſtas comperit, ut ne minimum quidem vitri fruſtulum neque in ingluuie, neque in ventriculo, neque in canali intermedio, neque in inteſtinis reperiri poſſet; perquiſito etiam ſollicite harum auium, quas in cauea clauſas interea ſeruauerat, ſtercore, nihil vitri apparuit; quid quod, neque ullum laeſionis a vitro veſtigium in partibus internis auium potuit conſpici.

conſpici. Poſtea aliis hoc genus auibus ingeſſit portiones tubi vitrei admodum craſſi, quarum quaedam acumina habebant a diffractione tubi, et poſt 48 horas vidit hos tubulos iuxta longitudinem ruptos, et eorum extremitates laeuigatas et politas, ſine ulla ventriculi laeſione. Hinc conſtitit, ventriculi actione frangi et comminui ingeſta. Sed quia tubulorum vitreorum diffractio per lapillos, quos hae aues in ventriculo gerere ſolent, et qui per modum cuneorum agere potuerant, multum adiuuari potuerat: poſthaec ſatius duxit, Ill. DE REAVMVR ad aeſtimandam vim, qua cum ventriculus ingeſta comprimere queat, uti tubulis ex laminis ferreis ſtanno obductis, utrinque perfecte clauſis; hoſce vero etiam vidit ſemper vi ventriculi gallorum Indicorum aut ruptos, aut complanatos, et plerumque ſic ab utroque latere compreſſos, ut ſulcus quaſi utrinque impreſſus videretur, per totam longitudinem tubuli. Quanta vis ad hunc effectum requireretur, explorauit ſingulari ratione in tubulis, qui ingeſtis ſimiles erant, et eam vim non nunquam 500 et amplius, librarum pondus aequare fuit edoctus. Tubuli tantum plumbei, quorum diameter plus quam tertiae parti pollicis aequalis erat, luminis autem diameter duodecimam tantum pollicis partem aequabat, horum animalium ventriculo reſtiterunt, et non niſi exterius paullum adraſi ſunt reperti. Porro autem non ſolum vim triturationis in ventriculo eius modi experiri, ſed etiam menſtrui, quod Cl. VALLISNIERI aliique in ventriculo ſupponunt, actionem cognoſcere conſtitutum habens, hisce tubulis plumbeis immiſit granum hordei, cauitatem tubuli replens; et poſt duos dies ſecto ventriculo, haec grana omnino illaeſa et integra inuenit, ſiue ea grana cruda erant, ſiue cocta, ſiue pellicula ſua orbata. Idem expertus eſt, cum portiunculas carnis crudae vitulinae, illis tubulis plumbeis inſertas, anati dedi-

diſſet

diſſet deuorandas. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, triturationis in harum auium digeſtione maximas et praecipuas eſſe partes, et liquoris diſſoluentis in ingeſta nullam eſſe vim ad ea diuidenda et mutanda, niſi accedat trituratio. Attamen propterea Ill. Auctor pro ſua perſpicacia neque negat, adeſſe iſtius modi liquorem, neque nullas omnino ipſius in digeſtione partes eſſe ſtatuit; quin potius pro veriſimillimo habet, eo liquore, cuius magnam copiam glandulae ingluuiei, ventriculi, et canalis intermedii praebeant, cibum trituratione et frictione comminutum verti in ſuccum, animalis nutritioni conuenientem.

p. 308. 16) *Obſeruationes anatomicae de corde. Commentarius ſecundus, continens deſcriptionem cordis generalem. Auctore Cl.* LIEVTAVD. * In hoc Commentario Cl. Auctor primo exquiſite deſcribit figuram tam cordis humani, quam auricularum. Dein quaeſtionem mouet, num cor pluribus tunicis ſit inuolutum, ad quam reſpondet negando; plures enim illas tunicas, quae a cordis ſuperficie ſectione ſeparari poſſint, ad telam celluloſam pertinere, membranam autem interiorem pericardii unicum verum inuolucrum ſeu tunicam cordis efficere monet. Pergit ad ſitum ventriculorum deſcribendum, quo loco idoneas affert rationes, quam ob rem vulgares appellationes ventriculorum dextri et ſiniſtri, item anterioris et poſterioris, ceu minus conſentientes cum vera ventriculorum poſitione reiiciendae ſint. Mauult ergo *ventriculorum* alterum, qui ad arteriam pulmonarem pertinet, *primum*, alterum, qui aortae reſpondet, *ſecundum* dici; cum ille, qui arteriam pulmonarem praecedit, primus ſe oculis offerat in ordinaria cadaueris ſectione, hic autem et propter ea ſecundus dici mereatur, quia ſanguinem recipit poſt primum, ſeu quia

* Lectus d. 19 april. 1752.

quia ſanguis, ex primo ventriculo eiectus, ad hunc poſtea defertur. Porro de ſtructura cordis copioſe exponit. Sed quia hic Auctorem per omnia ſequi non poſſumus, annotabimus tantum, ea, quae de hoc argumento profert, eo redire, ut oſtendat, cor ſpectandum eſſe ceu compoſitum e duobus ſaccis diuerſae capacitatis, quorum minor totus ſit contentus in maiori, ita, ut plus quam dimidium capacitatis maioris ſacci expleat; et ventriculum quidem ſecundum eſſe minorem horum ſaccorum, primi autem ventriculi cauitatem terminari magna parte ſuperficiei conuexae ſecundi ventriculi, ſeu ſacci interioris, et dimidio circiter ſacci exterioris. Poſthaec de columnis carneis, quarum tres claſſes a ſe inuicem diſtinguit: Primam conſtituunt, quas *parietules* vocat, et quae parieti interno cordis applicatae ſunt; ſecundam *transuerſales* dictae, quae per cauum ventriculi transuerſim ſe extendunt; tertiam, quae Auctori *liberae* dicuntur, et ſuis tantum baſibus parieti innituntur, oppoſitis autem extremitatibus tendineis ſuper marginem liberum valuulae orificii auricularis ſeſe expandunt. Sequitur deſcriptio annuli, qui hoc orificium auriculare occupat, et quem veteres Anatomici tanquam ex tribus valuulis compoſitum deſcripſerunt. Sed Cl. Auctor alio tempore hanc ſententiam diſcuſſurus, in praeſenti monet, conformationem huius annuli in diuerſis ſubiectis ad modum diuerſam deprehendi, et unam tantum partem huius valuulae annularis in omnibus eandem adhuc a ſe repertam eſſe, nempe appendicem quandam ex annulo auriculae verſus imum ventriculi deſcendentem. Annotat autem tanquam rem, a ſuperioribus Anatomicis aut non animaduerſam, aut ſilentio praetermiſſam, iſtam appendicem, in ima ſui parte columnis aliquot carneis fixam, totum ventriculum dividere in duas cauitates aequales, ſepti in modum, ita, ut altera cauitas orificium auriculae, altera arteriae reſpiciat;

reſpiciat; et hanc notabilem ſtructuram monet facillime poſſe oculos effugere, ſi conſueta ratione cor incidatur, quum tunc ventriculi fundus introrſum flexus ad ſeptum illud ſeſe applicare cogatur, ut cauitas inferior ventriculi diſpareat, quapropter viam ac rationem eos diſſecandi, ut in utroque ventriculo ambae cauitates conſpicuae fiant, ſub finem huius commentarii perſpicue tradit.

p. 323. 17) *Commentarii, in quo Canada cum Heluetia foſſilium reſpectu comparatus, Pars altera.* Auctore Cl. GVETTARD. Quae hic de *Heluetia* ſubterranea leguntur, Auctor ex SCHEVCHZERI, BOVRGVETI, et CAPPELERI relationibus ſe hauſiſſe profitetur.

p. 361. 18) Cl. DV HAMEL *Obſeruationes botanico-meteorologicae* anni 1751.

p. 392. 19) Cl. DAVBENTON *Obſeruatio de liquore allantoidis.* Hippomanes, quod hactenus in pullis equarum tantum fuit obſeruatum, Auctor etiam in liquore allantoidis plurium animalium, ſcilicet aſinae, ceruae, caprae, ouis, vaccae reperit, non niſi colore diuerſum.

p. 399. 20) *Tentamen Geographiae phyſicae, in quo proponuntur generales conſiderationes ſtructurae globi terreſtris ex continuis montibus, per maria et terras protenſis, additis ſpecialibus conſiderationibus differentiae maris fundorum, et conformationis eius internae.* Auctore Cl. BVACHE.

p. 417. 21) *Obſeruatio anatomica de organis digeſtionis Cuculi*, Auctore Cl. HERISSANT. Haec auis ab Auctore huius Commentarii deprehenſa eſt habere ventriculum ſuum ibi, ubi aliarum auium inteſtina locantur,

locantur, et inteſtina ſua in regione inferiore dorſi; ventriculus autem oui gallinacei habens magnitudinem, omnibus circumiacentibus abdominis partibus per telam celluloſam annexus eſt. Ex qua ſingulari prorſus abdominis conformatione Hiſtoriographus Academiae rationem repetit ſingularis et valde mirabilis moris cuculorum, ponendi oua ſua in curruca-rum, aliarumque minorum auium, nidos, hisque pullos ſuos excludendos et alendos relinquendi. Nam ſi ipſae matres ouis incubare deberent, ventriculi compreſſione multum moleſtiae et doloris ipſis creatum iri veriſimile eſt.

22) *Obſeruationes aſtronomicae, in Obſeruatorio regio Grenouicenſi habitae, quae illis, quas Cl. Abbas* DE LA CAILLE *in promontorio Bonae Spei parallaxes Lunae, Martis et Veneris determinandi gratia habuit, reſpondent; ex Anglica epiſtola* Cl. BRADLEII *ad Cl.* DELISLE *Grenouici* 1752. *Aug.* 22. *v. ſt. data extractae.* p. 424.

23) *Diſſertatio de diametro apparente Solis, et de cautelis, quibus vulgo in eo contuendo utuntur.* Auctore Cl. LE GENTIL. p. 440.

24) *De digeſtione auium, alter Commentarius* RE-AVMVRII, *de auium carniuorarum digeſtione tractans.* Aues, quibus ventriculus, non muſculoſus, ſed membranaceus eſt, non eodem modo, ac ceteras aues, cibos ſuos digerere, Vir poſt fata etiam omnibus hiſtoriae et ſcientiae naturalis cultoribus non ſine veneratione nominandus, hic docet per experimenta capta in buteone ope tubulorum e laminis ferreis, quibus carnis et oſſium portiunculae ſic incluſae erant, ut liquor ventriculi ad eas peruenire poſſet: ſcilicet hoc genus auium alimenta ſua digerit praecipue ope liquoris gaſtrici, ſeu menſtrui, in ventriculo p. 461.

triculo obuii, quod carnem et ossa intra 24 horas in pultem redigit, partes autem vegetabilium illaesas relinquit. Similiter in canibus etiam digestionem sine ulla notabili trituratione absolui per liquoris cuiusdam actionem, illustris Auctor per experimenta didicit. Quae de modo, huius liquoris naturam et in diuersis animalibus diuersam indolem explorandi, affert, et quae ulteriori physicorum indagationi in hoc argumento proponit, digna sunt, quae in hoc ipso Commentario legantur.

p. 496. 25) *Obseruationes astronomicae in aedibus Collegii Mazariniani habitae per annum* 1749 *et partem anni* 1750 *a Dn. Abbate* DE LA CAILLE.*

p. 503. 26) *Dn. Equitis* D' ARCY *Responsio ad Commentarium Dn.* DE MAVPERTVIS *de Principio minimae actionis, Commentariis Academiae Scientiarum Regiae Berolinensis ad annum* 1752 *insertum.*

p. 520. 27) *De elementis theoriae Solis Commentarius, in supplementum eorum, qui de eodem argumento inter Commentarios ad annum* 1750 *leguntur; scriptus a Dn. Abbate* DE LA CAILLE.**

p. 524. 28) Cl. GVETTARD *Additamenta ad Commentarium de comparatione Canadae cum Heluetia respectu habito ad mineralia.*

p. 539. 29) *Tabula ascensionum rectarum et declinationum apparentium fixarum, quae inter polum australem et tropicum Capricorni conspiciuntur, in Promontorio Bonae Spei a* 6 *Aug.* 1751 *ad* 18 *Iulii* 1752 *obseruatarum a Cl. Abbate* DE LA CAILLE.

30) Con-

* Lectae d. 25 maii 1755.

** Lectus d. 29 ian. 1755.

30) *Conſtructio Tabularum motus horarii Lunae.* Auctore Cl. CLAIRAVLT.* p. 593.

31) *Obſeruationes meteorologicae in Obſeruatorio regio per annum 1752 inſtitutae a* Cl. DE FOVCHY. p. 623.

32) *Obſeruationes de aquis Balarucenſibus.* Auctore Cl. LE ROY, Medico. ** Haec commentatio hoc habet ſingulare, ut Cl. Auctor contra vulgarem opinionem oſtendere ſtudeat, thermis illis, quae ob ſuam virtutem apoplexiae, paralyſi et rheumatiſmis medendi celebres ſunt, in caſu neceſſitatis ſubſtitui poſſe alias aquas minerales, quarum contenta ab illarum thermarum contentis plurimum differant, ſiue calidas ſiue frigidas, immo balnea, ex aqua pura et ſale marino parata, modo debitus caloris gradus ipſis concilietur, et cetera, quae in illarum thermarum uſu obſeruantur, non negligantur. p. 625.

X.

Acta Heluetica, phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica, figuris non nullis aeneis illuſtrata, et in uſus publicos exarata. Volumen II. Baſileae, typis et ſumptibus Ioh. Rudolphi Im-Hof, 1755. 4. 1 alph. 12 plag. 12 tab. aen.

Actorum Helueticorum volumen primum alio tempore nos recenſuiſſe *** recordamur, in praeſens ſecundi, quod ad noſtras manus paullo tardius peruenerit, expoſitionem tradere properamus, proxime tertium quoque, cuius copia nobis iam facta eſt, indicaturi.

* Lect. d. 30 april. 1755.
** Lectae. d. 22 nouembr. 1753.
*** vid. Comment. noſtr. Vol. I. Part. III. p. 448 ſeqq.

p. 1. 1) *Schediaſma botanicum de Monſtris plantarum, quo analogiam regno vegetabili cum animali intercedentem, in producendis iisdem, adſtruit et figuris illuſtrat* PHIL. IAC. SCHLOTTERBECCIVS. Triplicem vero hanc eſſe analogiam monſtrorum animalium et vegetabilium Cl. Auctor pluribus exemplis oſtendit, quae ab ipſo curioſius obſeruata hic deſcripſit et delineauit. Atque primo quidem coalitionis exempla dederunt pruna damaſcena, cucumis, ceraſa acida et flos cyani, gemelli omnes; partium organicarum numerum formamue mutatam obtulerunt folia, cheiri trifidum, et lilac bifidum, flos balſaminae calcare triplici, baccae iuniperi tuberculis et inciſuris conſpicuae, poma lycoperſici anguloſa, et irregularis figurae; tandem foetus puerperae exemplum praebuit
p. 11. caryophyllus prolifer. Cauſſas vero eius modi monſtroſitatis quod attinet, multum quidem imaginationi maternae in animalibus tribuit Noſter, et in vegetabilibus quoque principium aliquod actiuum ſtatuit, quod eorum vitam et incrementum perficiat, minime tamen animae rationali ſit analogum, ſed dum alias adſerit in iis eſſe monſtroſitatis cauſſas, nimirum *luxuriationem* ſeu ſucci nutritii, in hanc illamue partem largius vel parcius affluentis, abundantiam, et *diſpoſitionem fibrarum*, quae alio loco flexiliores, alio rigidiores ſucci nutritii appoſitioni magis minusque faueant.

p. 14. 2) IOHANNIS HOFERI, Ioh. Fil. *Obſeruationes botanicae* numero ſeptem, quas ſigillatim recenſere nimis diffuſum eſſet: hinc notamus modo, Cl. HOFERVM animaduerſiones circa varia genera plantarum, quae Cl. LINNAEVS vel in viuis plantis non examinaſſe, vel minus accurate definiiſſe Noſtro viſus eſt, in primis *Theligoni* et *Amaranthi ſpicati ſiculi, radice perenni*, ex propria obſeruatione expoſuiſſe et addidiſſe tandem deſcriptionem accuratiorem plantu-

lae

lae minus adhuc cognitae, quam Cl. MICHELIVS p. 19.
in Nou. Plant. Gen. 50. *ſcirpi ſetacei, capitulo ſingulari turbinato*, nomine exhibuit; ex qua iam adnotaſſe iuuat, radicem eſſe *capillatam fibris valde tenuibus, atro fuſcis*; folia *radicalia unciam plerumque longa, vix ſemi-lineam latitudine ſua attingentia, ceſpitem ſatis denſum efformare, ex quo exſurgant, plurimi* culmi *teretes, vagina in folium abeunte ad quatuor vel quinque linearum altitudinem veſtiti*; culmorum *altitudinem raro duas exſuperare uncias, ad duas circiter tertias altitudinis ſuae partes culmum quaſi fiſſum dare exitum* ſpicae *ouatae turbinatae, nullo folio ſuſtentatae, lineam latitudine, longitudine duas lineas exaequanti.* Cl. ZVINGERVS, qui eandem plantulam in Landgrafiatu Sauſenbergenſi inuenit, habuit ipſam pro *ſcirpo omnium minimo, capitulo breuiori* TOVRN. et Noſter quaerit adhuc, an ſit *Iuncellus omnium minimus* Moriſ.?

3) FRIDERICI ZVINGERI *Obſeruatio de fe-* p. 20.
bri miliari ſiue purpura alba et rubra. Curioſa ſatis eſt haec febris miliaris hiſtoria, quam in femina tenerioris habitus et viginti circiter duorum annorum obſeruauit Cl. Auctor, quae eandem nona poſt partum felicem hebdomade inuaſit, et quae ſuum decurſum, quamuis haemorrhagia narium, et diarrhoea, immo diureſis ſuperuenirent, perfecte tamen abſoluit ita, ut aegra ſanitati reſtituta grauiditatis ſigna daret, feliciter etiam partum enixa, qui vero, bene quidem valens, breui tamen poſt mortuus eſt. Suas Cl. ZVINGER addit de miro hoc febris decurſu animaduerſiones, et in cauſſas phaenomenorum, in primis quod ab accedentibus ſymptomatibus illis diriſſimis neque grauiditas neque exanthemata perturbata fuerint, inquirit, ſed dubias atque obſcuras eas pronunciat.

p. 25. 4) IOH. RODOLPHI STEHELIN *Obſeruatio botanica de floribus Peloriae naſcentibus in Elatine foliis ſubrotundis* C. E. In primis Cl. LINNAEO, qui primus Peloriam deſcripſerat eiusque originem e linariae ab alia peregrina planta impraegnatione deduxerat, * ſuas attentius factas et repetitas obſeruationes opponit Cl. STEHELIN, et ipſam Peloriam et alias Elatines florum aberrationes, quae veluti mediae inter peloriam et elatinen ipſi viſae ſunt, plures accurate deſcribit, additis etiam iconibus, eiusque degenerationem ex ipſo linariae flore mutato facilius omnino et rectius explicat.

p. 33. 5) *Schediaſma chirurgicum de labro ophthalmico emendato, eruditorum diiudicationi propoſitum et figuris illuſtratum a* PHIL. IACOBO SCHLOTTERBECCIO. Machinam, quae iam apud Cl. FABRICIVM *ab* AQVAPENDENTE *cucurbitae ocularis*, et apud Cl. GARENGEOT *peluis ocularis* nomine nota eſt, et cuius ope in variis oculorum morbis liquores medicati applicari poſſunt, et potiſſimum, quae in eadem emendanda praeſtiterit, fuſius exponit et figuris additis illuſtrat; ſine quibus intelligi ſatis fabrica inſtrumenti quum non poſſit, tradenda hic eius deſcriptione ſuperſedemus. Omnis vero res eo redit, ut Noſter tubulum ampliorem antrorſum magis applicaret, aliamque aperturam cum epiſtomio adderet, quo et facilius infundi, et poſt balneum effundi rurſus liquor poſſet.

p. 47. 6) IOHANNIS HOFERI, Ioh. Fil. *Obſeruationes practicae duae.* Prior ſiſtit admirandos fructuum cynosbatos in calculo effectus. Nephriticis enim doloribus et iſchuria a calculo, quam in veſica immiſſus ſaepe catheter detexerat, tres annos vexatus vir quidam

* in Diſſ. de Peloria Vpſal. 1744. 4. quae dein inſerta fuit Amoenit. acad. Vol. I. p. 65.

dam ſat validus, et praeter alia medicamenta, in primis lithontriptico illo ſapone STEPHENS et balneo ex decocto raparum diu ſine fructu uſus, tandem a decocto dilutiori fructuum cynosbatos per tres dies poto, magnam copiam gelatinoſi liquoris inodori, urinae loco, per ſedecim dies reddidit, et ceſſantibus ſenſim ſymptomatibus reliquis, iterum conualuit; urina etiam rediit naturalis, catheter autem iterum immiſſus calculum adhuc praeſentem detexit. Cl. HOFERVS quaerit, utrum ab ſapone anglico, an a decocto fructuum cynosbatos expulſa ſit gelatina illa, et an tumor aliquis circa calculum natus eandem generauerit?

Poſterior exhibet hiſtoriam inflammationis veſi- p. 50.
cae in ſphacelum iam abeuntis cum febre inflammatoria vehementiſſima, qua vir quidam mediae aetatis, ex hypochondriis alias aegrotans, poſt commiſſos diaetae errores plurimos, ſubito correptus fuit, et quam inter diriſſima ſymptomata, inciſione inteſtini recti facta emiſſoque ichore foetidiſſimo, ac adhibitis aliis medicamentis opportunis, tandem Noſter feliciter debellauit. Haec quidem poſt ſemeſtre ſpatium rediit, clyſmatibus tamen aliisque applicatis remediis facile diſſipata fuit: Noua vero altero anno poſt reuertitur abſceſſum iam formans profundiorem, quem tamen ſtatim Cl. HOFERVS ex methodo Cl. FAGET paullum mutata, inteſtino recto inciſo aperuit, atque aeger poſt integrae ſanitati reſtitutus fuit.

7) A. GAGNEBIN *Animaduerſiones in ſyſtemata* p. 57.
varia Botanicorum et in primis de Ophride minima C. B. gallico idiomate conſcriptae. Primo quidem non nulla de Cl. TOVRNEFORT monet Cl. GAGNEBIN, et varia plantarum genera, quorum nomina adfert, ut Alhagi, Rhamnoides, Caſia, Ephedra, alia, in ſyſtemate ipſius rite diſpoſita non eſſe adnotat: deinde vero ſpeciatim claſſem illam plantarum, quae

orchides, helleborinem ophridem cet. comprehendit, examinat, et quae de eadem alii botanici celebriores C. BAVHINVS, HERMANNVS, RAIVS, MORISSONVS, RIVINVS, KNAVTIVS, BOERHAAVE, LINNAEVS, ROYENVS, HALLERVS, GVETTARDVS docuerunt, exponit; atque ipſam illam plantulam, *Ophridem minimam*, quam deſiderat in Cll. SCHEVCHZERI et HALLERI operibus, fuſe ſatis deſcribit, additis aliorum botanicorum ſynonymis et ſuis de loco eius natali, varietatibusque obſeruationibus, ac nitidis quoque iconibus.

p. 75. 8) IACOBI D'APPLES *Obſeruatio phyſico-medica de metaſtaſi ab inferioribus ad ſuperiora.* Senex podagricus febre eryſipelatode cum tibiarum tumore inflammatorio correptus, ab applicata herba dulcamarae contrita ſubito quidem leuamen experitur, ſed ſequenti die inſigni tumore capitis et faciei, ad ſphacelum iam vergente, et dyſpnoea tentatur: Quae tamen ſymptomata iterum ceſſarunt, poſt adhibitam ſtatim venaeſectionem et applicata ſuris veſicatoria et epiſpaſtica, dolores podagrici leniores redierunt, et morbus abſceſſu poplitis ſolutus fuit.

p. 76. 9) *Commentatio de febribus purpuraceis malignis, quae in principatu Monſpellicardenſi ab anno* 1712 *adhuc epidemice graſſatae fuerunt, excerpta ex Obſeruationibus MStis b* L. E. BINNINGER *a* L. E. BERDOT, gallico idiomate conſcripta. Paucos quidem fatetur Cl. Auctor praeterire annos, quo non morbi epidemici, iique varii generis in ducatu Monſpellicardenſi obſeruentur, ex iis tamen accuratiori attentione dignae Noſtro viſae ſunt iſtae febres exanthematicae, quae ab anno 1712 primum obſeruatae, adhuc plerumque vere et auctumno, diuerſo ſymptomatum gradu graſſari ſolitae fuere: atque earum hiſtoriam pertractat Noſter, neque curationis rationem negligit;

gligit; ex his vero tandem paullo plenius demonſtra- p. 84.
tis colligit idem fuiſſe eas febres malignas, complica
tas cum purpura et granis miliaribus, a coagulo ſpe-
cifico lymphae ortas, cuius generandi occaſionem
dederit acidum aliquod ſingulare, craſin ſanguinis et
inde pendentes ſecretiones perturbans; de ipſa natu-
ra huius contagii nihil certi affirmat.

10) IOANNIS GEORGII ZIMMERMANNI p. 94.
hiſtoria vitii deglutitionis quinque annorum ſanati. Ex-
poſitis variis deglutitionis laeſionum modis, quos e
Cl. DE HAEN libello * allegat, ſuas de alio nouo
deglutitionis vitio, in hyſtericis factas, obſeruatio-
nes recenſet Cl. ZIMMERMANN. Virgo chloroſi
decem fere annos affecta, hyſtericoque ſimul tenta-
ta malo, deglutitionis vitium iam quinque annos ex-
perta fuit, nullo extus apparente laeſionis ſigno.
Noſter applicato cataplaſmate, ex theriaca, herbis et
ſeminibus aromaticis, oleo macis et ſpiritu campho-
rato parato, tandem malum illud debellauit; quod
quidem ab animi affectu vehementiore poſt aliquod
tempus rediit, eadem tamen adhibita medendi me-
thodo iterum ſublatum fuit. Aliud hyſterici mali p. 100.
ſymptoma cum Cl. SYDENHAMO obſeruatum a No-
ſtro fuit in virgine mediae aetatis, nimirum tumor
inſignis poſt inſultus hyſtericos in pectore ſub clavi-
cula natus, ab emollientibus applicatis non matu-
randus, cui acceſſit alius in collo durus, deglutitio-
nem impediens, cum facie rubra, immo liuida iam
facta; venae ſectio vero in brachio inſtituta et lauda-
tum cataplaſma per dies aliquot applicatum, tumo-
rem ſenſim diſſipauit, malumque omne ſuſtulit.

11) DANIELIS BERNOVLLI *Commentarius* p. 101.
alter complectens varias ad phyſicam generalem ſpectan-

 tes

* De deglutitione ſeu deglutitorum in cauum ventricu-
li deſcenſu impedito. Hagae Comit. 1750. 8.

tes cogitationes, gallico ſermone conſcriptus. Vnde inſignis illa eleuationis barometrorum in locis altioribus obſeruata variatio pendeat, fuſe ſatis atque egregie explicat Cl. Auctor.

p. 113. 12) IO. HENRICI A BRVNN *Experimenta quaedam circa ligaturas neruorum in viuis animalibus inſtituta*, ex diſſertatione Gottingae habita * hic repetita, et a nobis quoque iam recenſita.**

p. 123. 13) DANIELIS LANGHANSII *hiſtoria polypi cordis.* Iuuenem vegetum et robuſtum inuadit febris catarrhalis leuior, ſed aucta haec in dies, cum aucta reſpirandi difficultate, pulſu duro, inaequali ac intermittente, tandem decimo die ipſum interfecit. Sectio exhibuit pulmones diſtentos mucoque refartos, cor ita expanſum, ut naturalis deeſſet forma, auriculam ſiniſtram ruptam et ventriculum ſiniſtrum grumo cruoris et polypo fibroſo, oui gallinacei magnitudine, obſeſſum, qui vero in aqua ſolutus fuit in lamellas et flocculos. Vnde in hoc iuuene polypus iſte natus fuerit, Noſter non definit, plura de cognoſcendi curandique polypos ratione generatim diſputans. Illud omnino admirationem meretur, ſororem laudati iuuenis in eundem incidiſſe morbum, quem anxietas continua, pulſus irregularis, rubor faciei et palpitatio cordis comitabantur, quem vero Noſter facta venae ſectione et ſolutione ſalina, ex nitri et ſalis ammoniaci aa unc. ſem. ſacchari unc. quatuor, pulueris coccinellae gr. quindecim et rad. ſerpentariae virgin. unc. ſem. in Infuſi Hb. trifolii fibrini libr.

* Diſſertatio inauguralis medica, ſiſtens experimenta quaedam circa ligaturas neruorum in viuis animalibus inſtituta auctore IO. HENR. A BRVNN. Götting. 1753. 4 mai.

** vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. III. p. 432.

libr. ij diu adhibita, cum interpoſito laxantis uſu, et roborantibus additis, feliciter diſſipauit, ut ipſa reſtituta ſanitati fuerit. Laudat in primis ſerpentariam virginianam in eius modi affectibus ob vim eius reſoluentem et attenuantem egregiam, inque aliis etiam morbis largius adhibendam commendat.

14) IOHANNIS HOFERI, filii, *tentamen catalogi graminum in Heluetia ſponte naſcentium.* Plura omnino Noſter recenſet graminum genera eorumque ſpecies, ut ſequi eum in hisce recenſendis iam non poſſimus; illud modo notandum eſt, Cl. Auctorem ad methodum LINNAEI cuilibet generi ſuas, quibus ab aliis ſe diſtinguit, notas characteriſticas praefixiſſe, dein ſpecies omnes ſynonymis Cll. Virorum SCHEVCHZERI, HALLERI, LINNAEI ac propriis obſeruationibus additis ſubiunxiſſe, non nullis ſub finem de eorum variis, quas crebro patiuntur, et quas a mutato ſolo vel coelo Noſter deriuat, mutationibus egregie expoſitis. Accedunt non nullae obſeruationes botanici et clinici argumenti, e quibus unicam excitaſſe ſufficiat: nimirum puella variolis confluentibus tentata, accedentibus ſpirandi difficultate et tumore colli inſigni atque in dies auctis, tandem decimo die mortua fuit; ſectio vero cadaueris cauſſam ſtupendi iſtius tumoris monſtrauit eſſe aerem, e puſtula varioloſa, inter ſeptimum et octauum tracheae circulum poſita, inter cutem et muſculos prorumpentem. p. 131. p. 159.

15) IOH. RVDOLPHI ZVINGERI *Hernia umbilicalis incarcerata, ileo ſuperueniente ſphacelata et exulcerata.* Virgo ſexaginta ſex annorum, vegeta ſatis et valida contraxit ſibi inter nixus varios corporis herniam umbilicalem, quae diu negligentius tractata, ſenſim in pugni molem increuit, tandem incarcerata febrem ingentem, ileum aliaque dira ſecum traxit ſymptoma- p. 160.

ſymptomata, nullisque cedens medicamentis, ſed inualeſcens potius iam in ſphacelum abiit, noctu vero ſponte rupta pars tumoris hernioſi, pluribus oſculis effudit ichorem, et leuata inde aegra, adhibitis aliis medicamentis, ſenſim priſtinam recuperauit ſanitatem. Hanc hiſtoriam illuſtrat Noſter pluribus obſeruationibus Cll. Auctorum adductis, et problema therapeuticum addit: utrum in hernia incarcerata, ubi repoſitio locum non habet et iam inflammatio in gangraenam vergit, ſatius ſit, clyſmatibus, fomentis internisque remediis acquieſcere, et reliquum opus naturae relinquere? an vero corruptam inteſtini partem aperire, et materiae immobili exitum conciliare?

p. 166. 16) EIVSDEM *curationes electricae Hemiplecticorum duorum.* Quam multi iam noſtra aetate comprobauerunt Cll. viri, electricitatis in paralyſi in primis tollenda efficaciam, eam ſuis etiam confirmat Noſter factis in duobus hemiplecticis tentaminibus electricis.

p. 172. 17) IOH. HENRICI LAMBERTI *tentamen de vi caloris, qua corpora dilatat, eiusque dimenſione.* Argumentum hoc Cl. Auctor copioſe ſatis et egregie pertractauit, adhibito ubique calculo algebraico factisque cum thermometro experimentis ac obſeruationibus, illud etiam promittens ſe explicaturum alio tempore uberius.

p. 242. 18) *De balanis foſſilibus, praeſertim agri Baſileenſis*, exponit I. IAC. D'ANNONE. Deſcribit eos primum dicitque eſſe teſtacea foſſilia, vaſculoſa, glandiformia, ex multis teſtis compoſita, ore vel vertice aperto, baſi conchis aliisque inſidentia corporibus, et ex animali in minerale regnum translatos; dein diſquirit Noſter, ad quem conchyliorum ordinem iſti

iſti pertineant, eosque cum pluribus auctoribus noſtri aeui ad multiualuia refert. Porro ſpecies eorum ex auctoribus excitat, ſed duas modo foſſilium detectas eſſe affirmat; tandem ſuos accurate deſcribit Noſter balanos et notat conſtare eos quidem e pluribus lamellis, e baſi lata verſus anguſtius orificium decreſcentibus, proprias tamen ipſis eſſe modo quatuor, et accedere alias lamellas natas ex prioribus, quae firmare eos videantur; magnitudinem variare pergit idem, et maximam diametrum 4 lin. os vero 2½ lin. eſſe; adhaerere eos plerumque conchis aliis, raro ſolitarios; materiam, ex qua conſtant, eſſe terreſtrem, et locum, ubi effodiuntur, margam ſubcoeruleam, quo ad agros fertiliores reddendos utuntur coloni, haud procul a Baſilea diſſitos binos pagos *Botmingam* et *Binningam*; rariores denique eos eſſe addit Cl. D'ANNONE et de uſu eorum nihil affirmat, aliis eius inueſtigationem relinquens. Icones additae iam deſcriptos balanos magis illuſtrant.

19) EMANVELIS WEISSII *Obſeruationes de notopeda ſeu ſcarabaeo elaſtico*, gallico ſermone conſcriptae et tabula aenea illuſtratae. Quum vulgaris admodum ſit hic ſcarabaeus et pueris notus, qui cum eo ludunt, eius deſcriptione iam miſſa, in motum potius ſaltatorium ipſius curioſius inquiſiuit Cl. WEISSIVS, oſtenditque thoracem inſtructum eſſe proceſſu elongato ſquamoſo, qui reſpondeat exacte cauo ventris imi, eundem gliſcere ſubito ex cauo iſto, dum animal dorſo impoſitum vi quadam ſe plicare nitatur, atque ciere hac ratione motum illum mirabilem. p. 250.

20) *Obſeruatio eleuationis poli Baſileenſis* inſtituta ALVDOVICO WENTZIO. Inuenit vero Cl. Auctor eam non excedere 47°34′. p. 254.

21) IA-

p. 257. 21) IACOBI D' APPLES *Obſeruatio medico-chirurgica de inſertione ſeu inoculatione variolarum.* Cl. Auctor enarrat, quae fuerint Lauſannae inoculationis variolarum initia et ſucceſſus. Primus autem fuit mercator e Britannia redux, qui 1754 liberos ſuos inoculari curauit; atqui hi ipſi etiam rite ante praeparati, operationem morbumque ipſum cum exoptato euentu ſuperarunt. Quod exemplum dein plures ſecuti fuerunt. Generatim de iis notari meretur, leuiora ſymptomata eruptionem puſtularum octauo circiter die praenunciare, has vero puſtulas ſtatim ſiccari ſine febre ſecunda, ſine relicta fouea vel cicatrice, neque etiam confluere. Illud quidem adhuc addit Noſter ingenue confeſſus ex quatuordecim infantibus, qui inſitionem variolarum experti ſint, tres febre miliari eryſipelatode cum ingenti ardore ac tumore faciei correptos fuiſſe: hoc tamen potius ſtrictiori eorum cutis habitui, qui eruptionem puſtularum paullum impediuerit, tribuendum eſſe affirmat.

p. 260. 22) DANIELIS LANGHANSII *breuis delineatio morbi, qui anno* 1752 *in* Valle Simmia *epidemice graſſatus eſt.** Contagioſus fuit et intra viginti quatuor horas plerumque lethalis, nulli morbo, praeter luem veneream, ſimilis viſus. Inuadit nempe dolor leuis mox fauces cum horrore et nauſea, ſine calore; pulſus debilis eſt; collum tumet; intus occupant fauces puſtulae plures, ichore flauo foetido plenae, et in inguine, in digitis, in labiis aliae ſimiles erumpunt. Die altero vel tertio collabuntur puſtulae, tumor colli diſparet, in abſceſſum abit, et aegrum ſuffocat; alios vero ſine praegreſſa ſuppuratione interficit

* Vberior deſcriptio legitur in libello: *Beſchreibung verſchiedner Merkwürdigkeiten des Siementhals, eines Theiles des Berner Gebiethes, nebſt einem genauen Bericht, über eine neue anſteckende Krankheit, die in dieſem Lande entſtanden. Zürich*, 1753. 8.

terficit retropulſa materies. Soluitur autem morbus, ſi materia externas corporis ſedes, in primis glandulas conglobatas, colli, vel digitos petit. Cauſſae morbi Noſtro videntur eſſe nebulae ſub finem hyemis dictam regionem copioſe infeſtantes, et diſpoſitio incolarum ex potus ſpirituoſi et acrioris caſei abuſu inducta. Curationem, ſi qua locum habet, abſoluunt venae ſectio larga et repetita, veſicatoria et cataplaſmata collo applicata, et interne adhibita diaphoretica reſoluentia. Sudor etiam morbum ſoluit. Tardius vocatus Noſter, emollire tumorem et gargariſmate ulcera faucium abſtergere tentauit.

23) *Adnotationes de magnetibus artificialibus Baſileenſibus.* Auctor anonymus gallico idiomate deſcribit magnetes, quos Baſileae, forma ferri equini, parat artifex dexterrimus, *Dietrich*, modum eos adhibendi conſeruandique fortes oſtendit, vim eorum cum Cl. DAN. BERNOVLLI non ex ponderis, ſed ex voluminis ratione definit, pretium quoque addit, quo venduntur magnetes iſti a *Dietrich*; tandem ex iis quoque optimas acus parari affirmat magneticas, a meridiano prorſus non declinantes. p. 264.

24) IOANNIS HENRICI RESPINGERI *Obſeruatio practico-anatomica intumeſcentiae abdominis ex ouariorum, ſiniſtri in primis, mole praeternaturaliter valde aucta.** Virgo viginti trium annorum, pauper, a menſtruis ſuppreſſis dolorem in hypochondrio ſiniſtro paſſa acutum, ventris inde natum tumorem diu ſine moleſtia fert, ſed aucto eodem et dolore tandem febre lenta exſtinguitur. Sectio cadaueris in cauo ventris liquorem flauum foetidum, et inter perito- p. 267.

* Vberiorem deſcriptionem dedit IO. FRANCISCVS FONTAINE in Specim. inaug. *de tumore abdominis ex ſcirrho ouariorum, praeſertim ſiniſtri, inſigni. Baſil.* 1753. 4.

peritonaeum eroſum hydatides pellucidas, omentum corruptum et cum peritonaeo concretum; inteſtina utrinque ad latera compreſſa; et cauſſam mali ouarium ſiniſtrum magnitudine capitis humani, pondere decem librarum, durum ac protuberantiis multis praeditum, in quarum aliis materies alba pinguis, in aliis flaua cum albicante mixta reperiebatur; ouarium dextrum etiam durum, album ſimilique materie plenum offerebat. Icon addita plenius rem illuſtrat.

XI.

An Eſſay on the dropſy and its different ſpecies. By DONALD MONRO, M. D. The ſecond edition. London printed for D. Wilſon and T. Durham. MDCCLVI. 12 mai. pl. 10.

i. e.

De hydrope eiusque diuerſis generibus ſpecimen. Editio altera. Auctore Cl. DONALD MONRO.

Artis quidem adhuc tironem, cum amicorum intereſſet ſocietati, qui praeclaro ſane exemplo ſaepius conueniebant, ut ſua de diuerſis corporis humani morbis cogitata inter ſe communicarent, tractatum hunc de hydrope ſe conſcripſiſſe ait Cl. Auctor, patre ALEXANDRO, inter medicos celeberrimo, digniſſimus filius, eumque deinde, quum Doctoris medici honores in patria academia Edimburgenſi peteret, magis magisque exaratum et latine verſum, ſub academici ſpeciminis titulo edidiſſe, nunc-que patrio ſermone altera vice prodeuntem, iterumque perpolitum auctumque cum orbe erudito ſe communicare fatetur: eum tamen perlegentes talem omnino deprehendimus, quem doctis inque arte ſun

ſua ſatis iam verſatis medicis commendemus. Quamuis enim haud magni voluminis liber ſit; egregium tamen induſtriae acquiſitaeque ab Auctore ſcientiae medicae praebet documentum, adeo, ut non ſolum iam multae eum eſſe lectionis, cui modo pauci, quos non conſuluerit, obſeruationum medicarum collectores atque iudices, incogniti manſiſſe videntur; ſed eum quoque ipſum aegros ſibi obuios rite obſeruaſſe et ipſum de argumento ſuo recte cogitaſſe, intelligamus.

In *duas partes* ſummas totum hunc librum ille diſpeſcuit, quarum *una* generalem de hydrope doctrinam, eius ſymptomata, cauſſas, prognoſin praeſtandaeque curationis indicationes continet: *altera* vero diuerſa morbi huius genera recenſet atque exponit. Omnis enim hydrops vel *diffuſus*, vel *cyſti* p. 78. *cus* dici poterit ille, ubi aqua contrahitur in cauitates, quae liberam cum aliis habent communicationem; hic vero, ubi ſimilis communio non habet locum, nec aliquis naturalis datur aquarum egreſſus. *Diffuſi* itaque *hydropis* nomine veniunt: uniuerſalis anaſarca, anaſarca ſcorti, hydrocephalum ſubcutaneum, atque funiculi ſpermatici, meſenterii pulmonumque hydrops diffuſus. *Cyſtis* autem *hydropica* vel aquam p. 117. ſolam, vel alia ſimul corpora in ſe habet recluſa, unde aliae *ſimplices*, aliae *compoſitae* appellari poterunt. Illae *ſimplices* vel naturalem ſuam ſtructuram fere retinent, hinc *naturales ſimplices* dicendae, quae ſunt hydrops uteri tubarumque FALLOPII vel ab ipſo morbo ita mutantur, ut primo aſpectu ab hoc tantum ſuam habere videantur originem, ideoque *praeternaturales ſimplices* nominandae, quae ſunt hydrogloſſum, alii βατραχον, vel ranam, dicunt, funiculi ſpermatici hydrocele, omnis cyſtis hydropica inter partes abdomen continentes reperiunda, cyſticus hydrops abdominis, ouarii atque pectoris, tandemque ſpuria hydrophthalmia. Ad *compoſitas* autem p. 158.

pro variis *ſaccis naturalibus* ſeu compoſitis a natura iam efformatis cauitatibus, referuntur hydrops articulorum, quippe quorum ligamenta capſularia glandulas complectuntur mucilaginoſas, hydrops porro inter tunicam vaginalem propriam ipſumque teſtem reperiundus, aſcites cum hydromphalo, hydrops thoracis, pericardii, vera hydrophthalmia, hydrocephala interna et, quod horum genus eſt, ubi aqua in ipſos cerebri ventriculos contracta eſt, ſpurium hydrocephalum et denique hydrops medullae ſpinalis, ſpina bifida aliis nuncupata.

Quum omnia, quae ad hoc argumentum pertinere videbantur, Cl. Auctor colligeret, facile patet, plurima ab ipſo prolata prorſus noua eſſe non poſſe. Interim praeter varias cum a ſemet ipſo, tum a patre aliisque medicis, quorum utitur conſuetudine, annotatas obſeruationes utiles ſuoque loco recenſitas, affert quoque non nullas ſententias, ipſi proprias ad ipſam morbi doctrinam pertinentes dignasque, quae
p. 20. ulterius inueſtigentur: v. c. Inter cauſſas hydropis a multis auctoribus referuntur vaſorum lymphaticorum vel ruptura, vel ad minimum iuſto maior aliqua facta dilatatio: id quidem prorſus fieri non poſſe Noſter aſſerere non vult; iſtos tamen caſus rariſſimos, nec umquam a medicis corpora diſſecantibus huc uſque annotatos eſſe putat, quin potius illa vaſa tantum turgida et plena, haud vero diſrupta, reperta fuiſſe EX LOWERO notat; hydatides vero aliaſque multas ſimiles veſicas hydropicas, quas illius ſententiae auctores in ipſius confirmationem adducunt, lymphaticorum vaſorum partes tantum eſſe dilatatas prorſus negat; quum horum directionem cognitam curſumque non ſequantur; neque de ullo alio ſimili vaſe, quod tam vehementer diſtendi poſſit, conſtet; hydatides porro in ipſis hydropicorum aquis fluctuantes, ſaepius quoque plures minores in aliis maioribus contentae deprehenſae fuerint; ipſaeque

que tandem facile ſeparari poſſint, id, quod fieri non poſſet, ſi vaſculorum eſſent partes nimis tantum diſtentae. Quo autem modo hydatides iſtas formari poſſe vero ſimilius ſit, alio deinde loco docet. Quem p. 78.
ad modum enim diffuſi hydropis, niſi unicam, certe tamen principem, ſedem eſſe putat illum contextum celluloſum, ſub cute, inter muſculos, vaſa ſanguifera, neruos, inteſtina et ubiuis fere reperiundum, ceu uniuerſale illud omnium corporis partium vinculum: ita eundem etiam hydatidibus dare originem, p. 125.
easque ideo nihil aliud eſſe, quam facculos ex eodem contextu celluloſo efformatos, exiſtimat. Libero enim contenti liquoris ex una cellula in alteram tranſitu cohibito, latera eius, quae ſunt adiacentium cellularum lamellae vel membranulae, propius ad ſe inuicem accedunt et comprimuntur, ita, ut denſus aliquis ſaccus membranaceus inde fiat, cuius craſſities eo maior firmiorque fit, quo diutius iſta perdurat compreſſio. Eorum deinde facculorum ab incluſo liquore ſemper diſtentorum vaſcula ſuam abſorbendi vim amittunt, ita, ut, ſi quoque pars aliqua ab ipſis recipiatur, ea tantum ſit limpidiſſima, viſcidiore et craſſiore relicta, inde ganglium, bronchocele, et qui ſimiles ſunt tumores.



XII.

A Treatiſe on the Hydrocele; by IOHN DOVGLAS. Surgeon. London, printed for D. Wilſon and T. Durham, in the Strand. MDCCLV. 8. mai. pl. 15.

h. e.

Tractatus de hydrocele; Auctore Cl. IOANNE DOVGLAS, Chirurgo.

Quum artem ſuam ante aliquot annos in Americae inſula, Barbados dicta, Cl. Auctor coleret, et inter incolas eius hydrocelen ſatis frequentem deprehenderet: aliqua etiam eius morbi genera, in quibus aqua nimirum propria membrana incluſa erat tumorque, uti reliqui cyſtici omnes, poterat excidi, obſeruabat. In Angliam deinde redux et in morbi huius indolem penitius eruendam inquirens, nouos aliquot caſus annotabat, eandem modo dictam cum tumoribus cyſticis ſimilitudinem ſimilemque curationem comprobantes. Varios porro, qui de hydrocele ſcripſerunt, auctores conſulens, diuerſasque eorum ſententias, nec omnia eius morbi genera ſatis explicantes animaduertens, in primum tandem actorum, quae Pariſienſis chirurgorum Academia edidit, tomum incidebat, in quo eandem, quam ipſe cum ſucceſſu tentauerat, curationem a Cl. MEDALON iam commendatam inueniebat. Accipiebat inſuper a Cl. LVDOVICO, (*Louis*) Pariſienſi Chirurgiae Profeſſore, eandem methodum in uſu quoque habere Cl. BERTRANDI, Ser. Sardiniae Regis Chirurgum, eiusque de hoc argumento ſcriptum commentarium tertio Actorum Pariſienſis Academiae Chirurgiae volumini inſertum iri. Qua re Noſter commotus omnes, quas de hydrocele habebat annotatas, obſeruationes colligebat, iisque ſuam de omnis iſtius morbi

morbi indole, natura atque generibus, ſuperſtruens ſententiam, praeſentem, quem indicamus, librum conficiebat, cuius ſummam lectoribus noſtris nunc tradituri ſumus.

Totidem ipſius eſſe voluit capita, quot morbi, quem pertractat, opinatur eſſe genera, numero nimirum ſeptem. *Primum* itaque *caput* exponit *de anaſarca*, quam is dicit, *ſeroti; ſecundum de altero verae hydrocelis genere, anaſarca* nimirum *funiculi ſpermatici* ſeu ſpermatica vaſa et vas deferens includentis; *tertium* porro *de tertio verae hydrocelis genere, ſiue vaginalis tunicae hydrocele cyſtica*; *quartum* deinde *de quarto hydrocelis verae genere, ſiue ſpermatici funis hydrocele cyſtica; quintum* denique *de quinto verae hydrocelis genere, ſiue hydrope teſticuli ſtricte ſic dicto.* His quinque verae hydrocelis dictae generibus in *ſexto ſeptimoque capite* duo alia adiungit *ſpuria* ab ipſo appellata, quando ſcilicet in aliqua occurrente hernia in *ipſius ſaccum una cum inteſtino vel omento aqua contracta eſt*, vel quando ſine iis *aqua ſola in ſacco illo hernioſo reperitur.* Sub finem denique *octo* leguntur ſic dicti *caſus* in eorum, quae antea de morbi huius natura et curatione propoſuerat Cl. Auctor, illuſtrationem confirmationemque ab ipſo conſcripti ſedulo que et multa, uti videtur, cum fide exarati, quibus appendicis loco additae ſunt literae Cl. POTT, Chirurgi in noſodochio Londinenſi a *Bartholomaeo* dicto publice conſtituti, ad Auctorem datae, in quibus unam eandemque tertii hydrocelis generis curandi methodum, cyſtis nimirum exſcindendae, a ſemet adhiberi refert. In ipſo autem omnium capitum explicando argumento ea Noſter utitur diſſerendi ratione, ut cuncta morbi ſigna ſecundum obſeruationes ſuas accurate et diſtincte enarret, cauſſas eius eruat, omnium fere ceterorum auctorum de eo latas ſententias ſatis copioſe recenſeat et bene moderateque examinet, tandemque ſuam de optimo generi

ſingulo medendi modo addat. Quum vix ullum, qui ambitu verborum contracto breuique, uti de omnibus chirurgiae partibus, ſic et de hydrocele b. noſtro PLATNERO ſcripſerit rectius, huc uſque legere meminerimus, facere non poſſumus, quia nos ab initio miratos eſſe confiteamur, eum a Cl. Auctore ne ſemel quidem adductum fuiſſe; attamen in nota deinde aliqua praefamini ſubiecta illius diſſertationem *de hydrocele* anno 1745 editam poſtque mortem optimi viri *opuſculis* ipſius inſertam, cum laude citatam deprehendebamus, quam vero, typis iam fere toto expreſſo libro, ad manus ſuas demum peruenisſe, in eo autem plura ſententiae ſuae conuenientia inueniſſe dicit: nihilo tamen minus praeſtantiſſimum b. PLATNERI opus, *inſtitutiones* puta *chirurgiae*, haud vidiſſe videtur.

p. 1. Hydrocelen plurimi quidem auctores teſticulorum tantum eorumque tunicarum tumorem aquoſum appellant; Noſter autem quamcunque collectionem aquae in ſcroto nomine illo comprehendit. Hydropem ſcroti, quem *anaſarcam* eius appellat Cl. Auctor, una alteraque vice ab hydrocele cyſtica ortum et is ipſe vidit et unus aliquis ex ipſius amicis, Cl. BAKER, a quo multas accepit per totum librum interſperſas obſeruationes. Tunica enim vaginalis valde huc uſque diſtenta, nunc vero disrupta, aquam emiſerat per omnem tunicae cellularis, quae ſcroto intertexta eſt, ambitum, accedente ſimul inſigni ecchymoſi: utrique autem ſymptomati citam ſatis medelam attulerunt fotus, cataplaſmata tandemque acus triquetra; attamen in uno caſu poſt aliquod tempus acceſſit inflammatio in abſceſſum abiens, quo autem aperto, integrae ſanitati reſtitutus fuit aeger.

p. 7.

p. 14. Datur interdum ſimile aliquod hydropis huius genus, ſi liberum urinae profluuium a calculo, caruncula alioue in urethra obuio obſtaculo fuerit prohibitum, urina tum canalem iſtum perrumpente ſeque

que in ſcroti partiumque vicinarum contextum cellu-
loſum effundente, peſſimis ſaepe fiſtulis ſubſequen-
tibus. Si ſcrotum vehementer nimisque diſtentum p. 18.
gangraenae metum faciat, inciſiones quidem, ſed
paucae et pollicem modo longae, neceſſariae ſunt;
eae enim, ſi nimis amplae ſint, quales Cl. SHARP
commendat, gangraenam potius accelerare obſerua-
tae fuerunt.

Multus eſt Cl. Auctor in recenſendis et exami- p. 28.
nandis veterum medicorum opinionibus de tunica
dartos dicta et hydrocele ibi reperiunda. Quam
maxime illae ſunt diuerſae nec facile inter ſe conci-
liandae, licet plurimae de hoc hydropis genere id de-
notent, quod anaſarca ſcroti ſubintelligenda ſit.
Cum doctrina enim de panniculo carnoſo exiſtentia
etiam tunicae dartos, quae illius partem eſſe autuma-
bant plures, euanuit; etſi numeroſus vaſorum ſan-
guiferorum plexus in ſcroti cellulis conſpicuus, pri-
mo intuitu facile fallere poſſit rei anatomicae non ſa-
tis peritum; uti iam obſeruauit LIEVTAVD.

Anaſarca funis ſpermatici dicitur eius tumor oede- p. 41.
matoſus, ſecundum ipſius directionem ab inguine ad
teſticulos uſque extenſus. Vaſa in illo contenta ſoli-
to magis a ſe inuicem diſtant facileque a tangentibus
digitis percipiuntur. Haec quoque optimam exhi-
bent morbi diſtinctionem a varicocele, in qua nimi-
rum illa tumefacta et nodoſa reperiuntur. Quum
etiam in hoc anaſarcae genere aqua per omnem cel-
luloſum funis contextum diffuſa ſit, tumor magis eſt
aequalis, mollis digitoque prementi cedens, quam
in iſta hernia varicoſa, quae inſuper doloribus ut plu-
rimum ſtipata eſt, a quibus vero anaſarca vix non
ſemper libera eſt. Praeter generales hydropis cauſ- p. 44.
ſas aut violentam vim externam contundentem aut
comprimentem aliasque plures, ipſius muſculi cre-
maſteris debilitas aut paralyſis huic morbo anſam da-
re poteſt. Praeter officium enim teſticulos eleuandi

aut comprimendi, quod ipſi tribuere ſolent anatomici, ille quoque ſuſtinendis inſeruit vaſis ſpermaticis ſuique contractione ſanguinis motum qui difficulter per illa fit, iuuat. Tortuoſa enim eorum directio; leue porro ſuſtentaculum, quum contextui tantum celluloſo inhaereant, longitudo pondusque columna ſanguinis per illa transiiciundi; valuularumque abſentia, tale aliquod adiumentum quam maxime requirunt. Valuulas enim, a non nullis anatomicis in illis venis reperiri creditas, numquam inuenire potuit Noſter, ſed facillimo modo eas ſaepe repleuit materie ceracea, iniectione facta per truncum venae cauae; hic tamen immediate infra dextrae ſpermaticae venae inſertionem ligandus eſt ante, quam fiat iniectio; alias enim minoris huius venae orificium a maiore nimis diſtenta comprimitur parumque admittit iniiciendae materiae. Mirum quoque eſſe debet nemini, quod funiculi tantum cellulae aqua repleri poſſint, illis, quae in ſcroto obuiae ſunt, ſaepe adhuc liberis, quum utraeque certo aliquo modo a ſe inuicem ſeparatae ſint; id, quod aer inflatus comprobat. Infantes ſaepe naſcuntur cum hoc anaſarca, et in genere rarius ea obſeruatur in adultis, quam iunioribus, aliis tamen hydropis generibus, in primis aſciti ſaepe accedit. Cl. MONRO primus fuiſſe dicitur, qui diſtincte eam deſcripſerit in tentaminibus Edimburgenſibus.

p. 51. Inter ſigna, quae *cyſticam hydrocelen in tunica vaginali* declarant, illud quoque refertur, quod in illa fere eadem ratione, ac in aſcite, undulatio quaedam digitis percipi poſſit, uno tumoris latere leniter percuſſo, alteri vero digitis manuue impoſitis; dummodo nempe ſcrotum haud nimis diſtentum ſit aut inflammatio ſuperuenerit: Ipſa quoque cyſtis tangi poſſe aſſeritur, dum cutis fricando plicatur ſuperque firmum denſumque aliquod corpus volui ſentitur: Pellociditas ſaepe quidem, ſed non ſemper dat aliquod

ſignum

ſignum, quum aqua interdum facta fuerit turbida, ipſeque ſaccus in malo inueterato craſſus ideoque opacus. Ab hydrocele funis ſpermatici cyſtica, cum p. 53. qua ſaepe confunditur, in eo diſcerni poterit, quod in ea teſticulus infra tumorem, in hac vero noſtra plane non deprehenditur, quum ille totus in ipſo tumore quaſi ſepultus haereat. A vera hernia facile diſtinguitur ſuis ſignis; ab hernia autem veſicae hoc ſignum dat certum aliquod diſcrimen, quod in hac, ſi comprimitur ſcrotum, magnam urinae mittendae cupidinem aeger ſentiat, et quo maior tum eius copia effluit, tumor ipſe fiat eo minor.

Tunicam vaginalem, intra quam hoc hydrocelis p. 61. genus reperitur, ab ipſa albuginea ad epididymidem reflexa oriri, plures ex recentioribus anatomicis docuerunt; id, quod Noſter quidem haud prorſus negat: nihilo tamen minus is quoque aſſerit, cellulosum ſpermatici funis muſculique cremaſteris contextum in epididymidis parte, ubi vaſa eam intrant, ſimul adhuc continuari, ipſamque tunicae vaginalis texturam efformare, ita, ut iſtae cellulae arcte inter ſe compreſſae membranam referant, ideoque ſtructura huius tunicae dici poſſit continuata cellularis ſubſtanſtia funiculi. Ex ipſa etiam ratione, qua teſticulum includit haec membrana, patere dicit, ipſum teſticulum in inferiore et poſteriore tumoris huius parte latere, ideoque LE DRAN defendi poſſe, qui dixerat, aquoſam hanc veſiculam ſupra teſticulum eſſe poſitam illique adhaerere, quam vero ſententiam Cl. SHARP impugnauit. Quo magis porro increſcit iſte tumor, eo quoque maior fit tunicae vaginalis dilatatio, quae ut plurimum ſurſum extenditur, ita, ut anteriori funiculi parti firmiter illa adhaereat; interdum tamen antrorſum magis, quam ſurſum, porrigitur tumor tumque funi ipſi parum modo adhaeret.

Praeter cauſſas morbi huius ſaepius externas con- p. 63. tundentes vel comprimentes, laxus quoque corporis

habitus multum omnino ad eum generandum confert: teſticuli quidem ſcirrhus vel etiam ſarcocele a multis auctoribus eo refertur; hic vero morbus effectus potius, quam cauſſa, eſſe videtur, quum teſticuli a circumfuſa aqua compreſſi minorisque voluminis vix non ſemper inueniantur a chirurgis, adeo, ut naturalem ſuam magnitudinem ſaepius recuperent, peracta operatione.

p. 72. Vt tollatur hicce morbus, duplex omnino datur indicatio; una, quo ſtagnans aqua emittatur; altera, quo noua eius auertatur collectio. Priori quidem fini ſatisfacere puncturam, minime vero alteri, conſtat. Vt tamen et hunc conſequerentur chirurgi, variae ab ipſis propoſitae fuerunt methodi, quarum plurimae eo redeunt, ut excitetur ſuppuratio ideoque noua et firma vaginali tunicae ad teſticulum fiat adhaeſio, quo minus aqua in illum locum denuo poſſit contrahi.

p. 81. Prius vero, quam illas omnes ſub examen Noſter reuocat ſuamque proponit, ante omnia ſimilitudinem demonſtrare annititur, quam hoc hydrocelis genus aliosque tumores cyſticos dictos intercedere exiſtimat. Omnis nimirum tunicatus tumor, ex ipſius ſententia, eſt liquoris alicuius magis vel minus ſpiſſi intra aliquem ſaccum collectio; et noſtra hydrocele eſt tunicae vaginalis ab humore contento facta dilatatio. Contextus porro cellularis eſt ut plurimum ſedes vix non cuiuslibet tumoris cyſtici; vaginalis autem tunicae ſtructuram cellularem eſſe, iam ſupra dictum fuit. In utroque deinde caſu tumor ſenſim ſenſimque increſcit, absque febre, dolore aliisque ſymptomatibus. Tumor inſuper cyſticus, quo diutius haeſit maiusque cepit incrementum, eo craſſior fit, cellulis, quae in eius ambitu ſunt, magis magisque tenſis, ipſi cyſti adhaerentibus inque partem eius ſubſtantiae abeuntibus, in hydrocele autem inueterata, quam craſſae fiant cingentes membranae,

ita

ita, ut interdum fere cartilagineae indolis fuerint deprehenſae, per experientiam conſtat. Inſignem denique analogiam ea docet obſeruatio, qua ſimiles tumores, a ſui initio aquoſi dicendi, per temporis longinquitatem in naturam meliceridis aliorumque tumorum cyſticorum degeneraſſe deprehenſi fuerunt. Ex tanta igitur inter utrumque hunc morbum detecta conuenientia id nunc ſequi putat Cl. Auctor, ut curatio quoque una eademque eſſe debeat. Ad tollendum itaque tumorem tunicatum omnis indicatio curatiua id requirit, ut, contento humore emiſſo, ea laeſis partibus concilietur adhaeſio atque reſtituatur unitas, quo noua praeuertatur humoris effuſio. Cyſtis itaque, ſi recens eſt, vel denuo ut cohaereat cum partibus adiacentibus, vel, id ſi fieri nequeat, per ſuppurationem aut exciſionem deſtruatur, neceſſe eſt. In malo nondum inueterato, ſed ſatis adhuc recenti, priores effectus chirurgum facile ſaepius aſſequi poſſe, notum eſt: quodſi vero tumor iam diu ſteterit, tunicaeque craſſae atque compactae factae fuerint, ne inflammatio quidem et ſubſecutura ſuppuratio ei auferendo par eſſe poterit, ſed vel ſcirrhus, vel gangraena facilius ſequentur; ferro itaque vel tota exſcindenda erit cyſtis, vel maximam certe partem, reliqua dein facilius ſuo modo ſeparanda. His igitur omnibus, quae de natura tumorum cyſticorum valent in genere, ad hanc cyſticam Cl. Auctori dictam hydrocelem applicatis, variisque ab optimis chirurgis huc uſque commendatis medendi methodis probe examinatis, ſuam is deinde exponit ſententiam:

Exp. 84.

p. 90.

In recenti valde malo ſimplex tantum inciſio ſcroti tunicaeque vaginalis ſufficiet, ea tantum obſeruata regula, ut pars aliqua cutis oblonge exſcindatur antea, quam diſſecetur ipſa cyſtis, eo in caſu, ubi integumenta ſcroti multum iam ſuae naturalis contractilitatis amiſiſſe videntur, ut curatio non ſolum citius faciliusque ſubſequatur, ſed ipſe quoque teſticulus,

p. 131.

lus, mediante cicatrice, commodius ſuſtineri queat. Quodſi vero diu iam durauerit morbus, qualis vix non ſemper obuenire ſolet chirurgis, optimum in excisionis operatione reperitur auxilium, quam hac ra-
p. 134. tione inſtituere iubet Cl. Auctor, ut, aegro menſae iuſtae altitudinis eum in modum impoſito, quo ſcrotum eius marginem attingat, feminibus dependentibus, plaga ouali, vel ſi cum CELSO loqui velis, *ad ſimilitudinem myrti folii* fiat in cute, ab una eius eaque ſuperiore parte ad alteram uſque inferiorem. Haec cutis particula ita excidi debet, ne cyſtis ipſa laedatur, cui tum vero exiguum infligitur vulnuſculum et in hac dum aqua effluit, una incuruata forficis * lamina introducitur, qua cyſtis a cute, cui laxius adhaerere ſolet, et a teſticulo atque fune ſpermatico dextra manu quam cautiſſime ſeparatur atque abſcinditur, ipſa cyſte a ſiniſtrae manus pollice digitoque indice prehenſa atque eleuata, teſticulo autem ab obſtante aliquo chirurgi famulo ſtudioſe retracto. Eam vero in ſeparando regulam obſeruet chirurgus, ut lente procedat, nec una vice nimis magnam, ſed eam tantum, quam facile una ſciſſura praecidere poterit, cyſtis partem diſtendat eleuetque manu, ne aliqua eius particula forte remaneat. Quum cyſtis autem funiculo arctius adhaerere ſoleat, ſeparatio eius in hac parte nimis periculoſa foret, quare illam relinquere poterit chirurgus. Quo facto, teſticulus, omni cautione adhibita, in loco ſuo reponitur, labia vulneris prouide ad ſe attrahuntur, totumque vulnus ex artis lege deligatur. Cutis quaedam particula ideo excidi debet, ut vulnus ſatis amplum ſit atque chirurgus omnem praecidendae cyſtis ambitum circumſpicere poſſit. Faciliorem quoque ipſius vulneris curationem

* *Probe-ſciſſars* hanc forficem Cl. Auctor appellat, quo nomine, niſi fallimur, talem ſignificare videtur, cuius cuſpides obtuſae hebetesque ſunt.

onem ſequi, iam dictum fuit. Ex eadem hac ratione oui in figuram excidi debet cutis, ut aequalis ſit totius cutis ambitus elongatio verſus centrum, ideoque omnis vulneris ſuperficies bene denuo uniri poſſit.

Mirari tamen aliquis poſſet, cur forfice, non autem ſcalpello, uti iubeat Cl. Auctor? Hunc quidem aliis operationibus quam maxime conuenire ait, eam vero ob cauſſam in praeſenti caſu adhiberi non poſſe, quoniam, aquis profluentibus, cyſtis tunicae nimium collabantur, adeo, ut itinerario, ſuper quo duci debeat ſcalpellus, illae non ſatis eleuari diſtendique poſſint. p. 137.

In deligando vulnere cautus ſit chirurgus, ut ae quali modo illud comprimatur. Aliqua autem compreſſio ideo neceſſaria eſt, ut laeſae partes iam antea laxae teneraeque ſtructurae, nuncque per morbum magis diſtentae et laxiores factae, eo citius robur ſuum recuperent, ideoque peiora facile alias ſubſecutura ſymptomata auertantur, atque ſuppuratio eo laudabilior ſuccedat. E contrario tamen facile eſt etiam intellectu, haud nimiam eſſe debere adſtrictionem faſciae, ne alia aeque periculoſa ſuperueniant ſymptomata. Ex applicandis faſciis ſufficit reliquisque praeferri debet ſuſpenſorium ſcroti, dummodo in lecto rite compoſitus, quietem ſtudioſe obſeruet aeger. p. 141.

De venae ſectione, num in hoc caſu ſemper neceſſaria ſit, diſputans bene monet Cl. Auctor, eam quidem tertio circiter die adhiberi poſſe, quando pulſus plenus ſit atque durus fiat: interim circumſpectum eſſe iubet medicum, quando non affecta ſolum pars, ſed totus etiam aegri habitus laxior ſit: febrim enim opinione citius nimisque facile imminui ideoque vulneris ſuperficiem fieri alienam et cohiberi ſuppurationem: quare illud dat conſilium, ut, ſi quoque ſigna ſecandae venae adſint, parca modo ſanguinis copia emittatur una vice tumque expectentur effectus, num repetenda ſit venae ſectio? Ex eadem p. 149.

cauſſa,

cauſſa, ſi tantum in genere dicere velis de diaeta, hanc non nimis eſſe debere tenuem, et, quod medicinam attinet, corticem peruuianum a ſexto circiter die, interdum quoque citius, per quatuordecim forſan dies datum, ad iuuandam ſuppurationem, quam maxime conuenire talibus aegris, iudicet.

p. 156. Sub finem tandem huius capitis recenſet is commoda, quae ex hac operatione redundare dicit: Symptomatica nimirum, quae accedit, febris tam mitis eſt, ut ad eam augendam vini corticisque chinae uſus ſaepe requiratur: Deligatio deinde non multum habet negotii, adeo ut ſaepius nulla alia re, quam ſiccis modo linamentis carptis opus ſit: Ipſa porro curatio breui temporis ſpatio, ſaepe intra quatuor ſeptimanas abſoluitur: Cicatrix inſuper laeuis atque aequalis, lineaeque in modum fit: Illud denique maximum eſt, quod aeger tutus ſit, ne in eundem morbum relabatur.

p. 158. Ex iis, quae iam paulo copioſius de affecta tunica vaginali diximus, multa omnino ad cognoſcendam *ſpermatici funis hydrocelen cyſticam* applicari poterunt, quam *capite quarto* Cl. Auctor pertractat. Habita ratione diuerſi harum partium ſitus, plurima ceteroquin ſigna ibi allata et hunc quoque morbum declarant. Teſticulus autem in eo diſtincte percipi digitis poteſt infra tumorem, qui ut plurimum oblongus vel pyramidalis potius inter abdominis annulum teſtemque reperitur, et cuius baſis inferior pars eſt; magis tamen rotundus, ac in hydrocele vaginalis tunicae, uti penis quoque non ita retractus, eſſe ſolet: cyſtis etiam, quae duplex quandoque ſolet eſſe, a tangente digito cutemque plicante facile detegitur. Mirum quidem eſſe debet, qui fiat, ut aqua contineri queat in ſeparata aliqua tunica vel veſicula, nec cur in cellulas totius funiculi inter ſe communicantes diffundatur ideoque *anarſarcam* eius efficiat? Eadem vero quaeſtio moueri quidem, ſed difficulter etiam ſolui

ſolui poteſt, circa originem meliceridis ſimiliumque tumorum. Curationis regulae in hydrocele vaginalis tunicae iam expoſita et hic loci valent: ſcire tamen licet, ſi aquam tantum emittere velis, non inferiorem, ſed mediam tumoris huius partem perforandam eſſe, ne laedatur teſticulus. p. 166.

Hydropem teſticuli ſtricte ſic dictum, quem plures auctores, niſi teſtis ipſe ſimul corruptus ſit, adeſſe poſſe negant, quintum hydrocelis verae genus conſtituere Noſter opinatur: rarum quidem eſſe, nec a ſemet ipſo viſum, propter vaſcularem autem harum partium texturam, membranae cellularis praeſentiam et circulationis leges extrauaſationem ubique admittentes, uti ex hydatidibus in variis viſceribus ſaepe obuiis appareat, oriri omnino poſſe, putat. p. 169.

Spuria ab Auctore dicta hydrocelis genera, quando nimirum aqua in aliquam partem, quae non proprie ad ſcrotum pertinet, v. g. ſaccum hernioſum dictum, contrahitur, uti praegreſſam aliquam herniam ex ſuis ſignis cognoſcendam ſequuntur, inde quoque dignoſci, nec facile cum vera aliqua hydrocele confundi poterunt. Aliqua quidem humoris copia vix non ſemper in ſic dicto ſacco hernioſo reperitur, ideo valde utilis putanda, quod ipſam partium protruſarum coalitionem impediat: quodſi vero hernia diu ſteterit, ſolida magis magisque facta fuerint laxa, et inde oriatur contenti laticis vel benigni adhuc vel acrioris redditi redundantia, compreſſionem moleſtam vel alia mala efficiens, requiritur operatio talis fere, qualis fit in bubonocele, ut, inteſtinis nimirum remotis, ipſe ſaccus aperiatur et, cum valde craſſus ut plurimum ſit, eodem modo praecidatur, qui in vaginalis tunicae hydrocele iam ſupra commendatus fuit. Quodſi vero cum propter aetatem aegri nimis prouectum, tum propter alias cauſſas, operatio haec locum habere nequeat ad perfectam aliquam obtinendam curationem, altera certe, p. 177. p. 181.

qua

qua aquae emittuntur facta punctura, et utilis et ſae-
pe neceſſaria eſſe poterit.

p. 215. Quum in ſequiore quoque ſexu tumores aquoſi interdum in inguinibus labiisque pudendorum deprehendantur, quos non nulli chirurgi hydrocelis nomine comprehendunt, pauca Noſter de iis addit. Herniis obnoxiae ſunt feminae, uti mares: itaque in iis occurrere poterit ſimilis *hydrocele ſpuria* dicta, de qua iamiam diximus. Hydrocelis autem *verae* docendae tria enumerantur genera: anaſarca nimirum labiorum, inguinis, huiusque hydrocele cyſtica; et quibus primum iſtud genus cum anaſarca ſcroti, alterum ligamenta rotunda eorumque contextum cellulosum occupans, cum anaſarca funiculi ſpermatici, tertium vero ibidem obuium cum cyſtica funiculi eiusdem hydrocele conuenit et ratione cauſſarum, indolis atque curationis.

p. 221. Facere non poſſumus, quin ex additis litteris, quas Cl. POTT ad Auctorem dediſſe ab initio diximus, animaduerſionem repetamus attentione dignam. Simili quidem ratione, ac Noſtrum, ſe ſuſcipere hydrocelis in vaginali teſtis tunica ortae curationem, nihil autem ex ipſo ſcroto ſe excidere; quum id non ſolum haud neceſſarium ſit, ſed malos quoque illos habeat effectus, quos cauſticorum a non nullis applicari ſolitorum uſum ſequi experientia doceat, nimirum quod curationem difficulter recipiat vulnus, et quod recens quoque reſtituta cutis facile ex leui cauſa irritetur fiatque faucia.

XIII.

GEORGII MARTINI M. D. in BARTHOLOMAEI EVSTACHII tabulas anatomicas Commentaria. Edimburgi. Typis W. Sands. A Murray et I. Cochran. Impenſis. A. Millar. 1755. 8 mai. pagg. 420. plag. dimidiat.

Poſtquam diu latentes Cl. EVSTACHII tabulae, in lucem protractae, et communi eorum, qui corporis humani ſcientia anatomica flagrant, aſſenſu auidiſſime exceptae fuiſſent, nil a recentioribus diſſectoribus plus fuit praeſtitum, quam ut, BOERHAAVIO iudicante, cedro contra cariores illae, curatius ſemper diligentiusque explanarentur, ſiquidem ſingularis admodum peritiae ſui auctoris teſtimonia exhiberent, recentiſſimorum haud raro inuidiam excitantis. Hinc confidimus utique, Cl. MARTINII operam, poſt tanterum virorum labores, non inutilem viſuram eſſe, quod elegantia et talia continet momenta, quae reliquorum induſtriae virorum nihil detrahant, eam potius mirandam, ſuſtineant atque confirment. Breuem huius libri hiſtoriam praemittere liceat, quam beneuole expoſuit Cl. ALEXANDER MONRO, *ſenior*, qui in haec praefatus eſt commentaria. Ex hac enim eluceſcit, non properante manu eadem fuiſſe conſcripta, ſed ſollicita admodum cura diu in iis perpoliendis verſatum fuiſſe Cl. Auctorem. Inſtituit nempe diſquiſitionem tabularum Euſtachianarum, per LANCISIVM editarum, Noſter anno huius ſeculi viceſimo, quum Edimburgi anatomen coleret, et ab eo tempore ſemper, antiquiorum ſcripta conferens, nec non recentiorum inueſtigans, continuo nouas addens animaduerſiones, ita tandem opus perfecit, ut anno noſtri ſeculi vieeſimo nono ſpes editionis affulgeret. Nihil autem obſcurum relinquere quum vellet, Cl. Auctor retardauit eam, publici ta-

men iuris facere decreuerat, anno quadrageſimo, ni ſi expeditionem in Americam ſimul feciſſet, quae breui poſt, deſideratae eius vitae imponebat finem. Licet haec viri, variis ſcriptis clariſſimi, iactura multum metus deperditi libri ſimul incuteret, tradiderat tamen fratri ſuo abſolutum opus, qui anno quadrageſimo tertio illud certe euulgaſſet, niſi Cl. ALBINI editio tabularum Euſtachianarum eundem iterum retinuiſſet. Qua vero, aliam longe viam ingreſſo Cl. Editore, prodeunte tandem nunc haec comparet, de qua ita cenſet Cl. MONRO: *Eſt commentarius hicce criticus, appendix ad egregiam* ALBINI *explanationem, apprime utilis, ut rite intelligatur* EVSTACHII *ſcopus. Eſt et praeter ea Lancifianae explanationis neceſſarium ſupplementum. Eſt denique hiſtoricae anatomicae epitome accurata.*

Prolegomena, huic libro praemiſſa, tribus abſoluuntur capitibus, quorum *primum de anatomes ad medium ſeculi decimi ſexti inſtauratae: deque* EVSTACHII *praeſertim tabulis, noſtro tantum aeuo e tenebris in lucem vindicatis*, agit. Recenſet autem Cl. MARTINIVS, cum ſingulari hiſtoriae litterariae medicae peritia, quid a VESALIO, CAROLO STEPHANO, IACOBO SYLVIO, REALDO COLVMBO, IOANNE VALVERDA, GABRIELE FALLOPIO, tandemque BARTHOLOMAEO EVSTACHIO praeſtitum fuerit. Quem ultimum in primis defendit, atque adhibito in laborum ſocio PETRO MATTHAEO PINO, Vrbinate tabulas anatomicas an. 1552. conſtructas fuiſſe ſcribit, quarum tantum *editionem tempeſtiuus prohibuit auctoris ingraueſcens aetas, et vehementiſſimi articulorum dolores atque fortunarum imbecillitas.* Edidit poſt ille opuſcula ſua anatomica, omnium applauſu excepta, tabulis interim pro deperditis quaſi habitis, niſi papae Clementis undecimi, quum reſcire nemo aliquid de iis poſſet, conſilio, apud PAVLVM ANDREAM DE RVBEIS, ex affinitate EVSTACHII ſuper-

p. 19.

ſuperſtitem, fuiſſent anno huius ſeculi duodecimo repertae, et eiusdem anno decimo quarto primo ab Ill. LANCISIO editae. In earum vero explicatione multas ob rationes quum non poſſent non multa relinqui non ſatis accurata, ex frequenti lectione veterum auctorum Noſter inuenit, EVSTACHII ſcopum p. 26. fuiſſe, *ſtudioſam* GALENI *defenſionem, acerbam* VESALII *correctionem, veraeque Anatomes culturam atque perfectionem.* Sed propoſitarum ſententiarum in VESALIO, FALLOPIOque conuenientia, illum huius plagiarium aut compilatorem eſſe, minime declarat, quin potius, quod uterque in perficienda anatome occupabatur ſtudioſiſſime, errorum dignoſcendorum facilitatem veritatisque certitudinem potius demonſtrat, licet negandum non ſit, EVSTACHIVM in GALENO defendendo quandoque acrius fuiſſe verſatum.

Elegantem porro in *capite ſecundo* de EVSTACHII p. 32. *tabularum iconumque ordine* inuenimus diſſertationem, qua methodum anatomen exponendi ab EVSTACHIO, non quae a VESALIO adhibita eſt, ſyntheticam, ſed, quae docendo accommodata magis videtur, analyticam fuiſſe adſumtam demonſtratur, ſiquidem corpus in varias partes reſolutum exhibuerit, eo quidem ordine, qui ſectioni viſus eſt commodiſſimus. Suſpicionem autem fouet Noſter, forte non iniuria, caſu quodam perturbatas has tabulas, nec omnes ex voluntate EVSTACHII fuiſſe diſpoſitas, ſimulque ſchema proponit, ſecundum quod debuiſſent tabulae collocari, quod exſcribere hic loci non competit, cum ipſis autem EVSTACHII tabulis omnino conferri meretur.

Tertio tandem *capite de figurarum magnitudine et* p. 41. *ſymmetria* ſermo eſt. Magnitudinem totius corporis putat Cl. Auctor probatque EVSTACHIVM accurate quoad longitudinem ſextuplo minorem propoſuiſſe, ſuperficiem vero partem unam et triceſimam ſextam

ſuperficiei, ſoliditatemque ſtru molis corporis virilis.

p. 44. Sed propter picturae anguſtiam et delineationis difficultatem vaſa et neruos exiguos in maiori latitudine, ac natura requirit, expreſſiſſe, eamque rationem obſeruaſſe, quae adhibita fuerit ab AVDRANIO in libro de *proportione humani corporis*, atque ſtatua filii Lacoontis, adoleſcentis Antinoi, nec non ſtatua Lodicaea famoſi Pyrami.

His abſolutis nunc ipſa ſequuntur in EVSTACHII tabulas anatomicas commentaria, quae ab explicatione tabulae nonae ordiuntur, cum octo priores non ad hoc magnum, ſed ad minora eius pertineant opuſcula. In earum autem explicatione ubiuis eam obſeruat normam Noſter, quam iam adduximus. Liceat tantum hinc inde quaedam ad confirmandam Cl. Auctoris ſolertiam decerpere momenta.

p. 77. Tab. XII. fig. 1. viſcera proponuntur urinae et ſeminis ſecretioni famulantia, ſimulque vaſorum arterioſorum venoſorumque ramificationes ſupra veſicam delineantur, de quarum inter ſe anaſtomoſi ſolet multum inter anatomicos, etiam noſtros, adhuc diſputari. Eleganter eadem vaſa exhibuit EVSTACHIVS, et doctiſſime explicat Noſter, quid veteres aeque ac coaeui de iis ſenſerint diſſectores, deinde vero propriis obſeruationibus diligenter inſtitutis ſe animaduertiſſe ſcribit, veram inoſculationem non dari, quin potius arteriolas ſupra venarum tunicas decurrere. In Euſtachianis autem tabulis, ac ſi inter ſe confluerent vaſa, ea propter videri, quoniam amicientibus membranulis arcte inter ſe uniuntur.

p. 119. Mirum autem eſt, in accurata ſatis partium naturalium, ad ſequiorem ſexum ſpectantium, delineatione EVSTACHIVM nullibi hymenis veſtigia adnotaſſe, immo confirmante AVGENIO in Epiſt. medic. eius praeſentiam in totum negaſſe, quod ita excuſatum vult Noſter, ex auctoritate VESALII, quod

ille

ille ſe audiuiſſe ſcribat, hanc membranam puellulis a non nullis effringi.

Optima e contrario proponitur cordis figura eius p. 128.
que ſitus, qui a GALENO quidem talis obſeruatus non fuerat, ante EVSTACHIVM autem, ab HIPPOCRATE iamiam rite animaduerſiones factas fuiſſe Noſter probat atque confirmat, ex quibus eorum etiam in diſſectione hominum laborem verſatum fuiſſe conſtat. Eadem tabula decima quinta et figura p. 134.
tertia viſcera thoracis a poſtica facie ſiſtuntur, adminiſtratione quadam, a nullo anatomico antea ſuſcepta, exciſa ſcilicet ſpina dorſi et omni poſtica thoracis crate, ſimulque repraeſentantur bronchiis magnis adhaerentes conglobatae glandulae.

Eſt autem admiratione utique digniſſima tabula decima ſeptima et octaua, qua, notante iam LANCISIO et affirmante idem Noſtro, incredibilem ſuam ſolertiam declarauit EVSTACHIVS, peruestigans extricansque ſubtiles neruorum ramulos. In iis itaque, quae hic exponuntur, deſcribentis ſane cum tanta quoque ſollicitudine verſatum fuiſſe Cl. MARTINIVM reperimus, ut pene omnes, qui de neruis utile quidquam propoſuerunt, conſulerit auctores, atque docuerit, quantum ab iis diſtent vel cum iis conueniant Euſtachiani labores. Vnum quodque neruorum, ex cerebro prodeuntium, par ſeorſim expendit, nominibus uſus Veſalianis, quippe qui primus rerum earum ordinem propoſuit. In quinto potiſſimum neruorum pari longe meliora docuit EVSTACHIVS, cuius merita, ut par eſt, inter recentiſſimos quoque laudat Cl. MECKELIVS,* cuius inuenta nondum innotuerant Noſtro. Hinc etiam in du- p. 189.
bio relinquit, num ex EVSTACHII ſententia nerui intercoſtalis origo ſoli pari ſexto, num aliqua quinto

* vid. Eius tract. de quinto pari neruorum cerebri. Gotting. 1748. 4. c. f.

ſit concedenda. Cogeremur vero exſcribere Cl. Auctoris accuratas obſeruationes, ſi de omnibus neruis
p. 196. dicere iam deberemus, ſufficiant haec. Adnotat nempe *decimum* ſic dictum, neruorum cerebri par, ad illud referri non poſſe, quod, ut nuperi diſtinctius demonſtrarunt diſſectores, duplicem habet radicem. Sed eandem etiam ſolertiam in neruis medullae ſpinalis enucleandis et pingendis EVSTACHIVS, in iis exponendis Noſter, adhibuit, et cum aliorum deſcriptionibus contulit idem.

In vaſorum diſtributione anaſtomoſes ſummas praeſtant utilitates, hinc eas etiam optime ab EV-
p. 233. STACHIO notatas pictasque animaduertimus. Singulare autem recenſet Noſter, de vaſis cruralibus inter ſe connexis exemplum, ex quo vulnus arteriae magnae cruralis lethale non fuiſſe in cane confirmatur. *In inguine*, ſcribit, *transuerſim penitus diſciſſa arteria magna crurali, et effluxu ſanguinis vulgari ſpiritu vini cohibito, canis, cui tam foedum et atrox inflixiſmus vulnus, breui conualuit, ne vel minimum claudicans, crure in integrum reſtituto.* Porro quoque in vaſorum ſanguiferorum maiorum, arteriae ſcilicet aortae atque venae cauae, propaginibus proportio magnitudinis varia ſolet ab auctoribus diuerſis pro-
p. 237. poni, quam quidem fere aequalem ab EVSTACHIO notari deprehendimus, et monente Noſtro, recte quidem, quod in viuente animali fere nulla ſit diuerſitas. Occipitalis etiam vena cum ſinu laterali durae matris iam obſeruata fuit ab EVSTACHIO, ſed ita depicta, ac ſi eſſet arteria, quod non incuriae illius, quam inſolitae fabricae tribui debere voluit Cl. Auctor. Attamen non negat, in vaſorum hypogaſtricorum vulgo dictorum, delineatione EVSTACHIVM proportionem, naturali minorem, depinxiſſe. In
p. 255. venae azygae deſcriptione prout EVSTACHIVM ſcimus primum fuiſſe, qui paullo curatiorem eius dederit hiſtoriam, ita eundem quoque eius ac vaſorum abdomi-

abdominalium coniunctionis primam feciſſe mentionem certum eſt, cum etiam ille eius cum vaſis intercoſtalibus nexum nitide delineauerit. Mirari praeter ea conuenit, qui idem mirabilem plexum vaſorum veſicae extricauerit, cuius icones in tabula viceſima ſexta dedit, quam reticulatam eorum complicationem Noſter *plexum venae cauae haemorrhoidalem* vocat. In venae portarum delineatione tabulae viceſimae ſeptimae, eiusque figura prima aliqua dubia ſuperſunt, quae et Cl. MORGAGNIVS talia iudicauit, et Cl. ALBINVM reliquiſſe obſeruamus, neque Noſtrum certi quid aſſerere velle conſpicimus, non improbabilem de venae umbilicalis fine coniecturam tamen proponit, maiori vero cum certitudine ſinus ſic dicti venae portarum delineationem Gliſſonianam improbat. Ex innumeris quoque vaſorum inter ſe anaſtomoſibus, accurate ſaepiſſime ab EVSTACHIO adnotatis, celebris illa eſt mammariarum atque epigaſtricarum arteriarum coniunctio, ſtabilita et refutata frequenter, cuius veram naturam expreſſit EVSTACHIVS, et erudite de iis diſſeruit Noſter. Prout autem in vaſorum diſquiſitione nihil fere praetermiſerat EVSTACHIVS, quod aliquam meretur attentionem, ita muſculorum etiam pleniſſimam, exceptis paucis, tradidit ſuis iconiſmis hiſtoriam, licet ex tenerioribus iunioribusque ſubiectis ſuas deſumſiſſe videatur adumbrationes. Multis autem et innumeris exemplis confirmat Noſter, quantum EVSTACHIVS, ductus in primis GALENI deſcriptionibus, meliora docuerit VESALIO atque FALLOPIO. Primus ille occipitales muſculos recte definiuit, pennatorum quoque muſculorum genuinas dedit delineationes, ut alia taceamus, magno eruditionis apparatu hic ſtabilita. In muſculis certe auriculae CASSERIO, exmente VALSALVAE, inuentionis gloriam tribuendam non eſſe demonſtratur, atque deltoidei muſculi fabricam nitide ab EVSTACHIO in tabula triceſima

p. 257.

p. 262.

p. 276.

p. 283.

p. 301.

p. 312.

p. 336 quarta expreſſam. Varia fibrarum muſcularium faſciculi, qui ad omnem vertebrarum ſpinae longitudinem diſpoſiti inueniuntur, quorum deſcriptio adeo fatigauit diſſectores, quosque ſub *multifidi ſpinae* nomine complexus eſt Cl. ALBINVS, quum ex tribus quaſi partibus conſtet, et hinc ſacer, transuerſalis dorſi atque transuerſalis colli fuerit appellatus, cum commode uno nomine *transuerſarii ſpinae* exprimi poſſe credit Noſter, ſimulque, quantum in eo deſcribendo errauerint veteres, explicat. Itidem muſculi, palpebram ſuperiorem attollentis, in primis etiam, varia ex aliis facta relatione de inuentionis huius muſculi gloria, ad EVSTACHIVM pertinere primam deſcriptionem non incongrue concluditur.

p. 338

p. 345 De oculi tunica cornea dubitat Cl. MARTINIVS, num eam pro diſtincta a ſclerotica tunica haberi debeat, quin potius eam pro huius continuatione aſſumit: accuratius autem, ut ſcribit, menſurationibus inuenit illius, ut etiam lentis cryſtallinae, ſuperficiem haudquaquam eſſe perfecte ſphaericam. *Quum autem*, ſic pergit Noſter, *ordinaria oculi latitudo ſit, — quaſi unius digiti geometrici Londinenſis; ut radius eius ſphaeram generans ſit dig. $\frac{1}{2}$; ſemidiameter circuli, cum corneae ſectione fere coincidentis, obſeruata eſt ab* HVGENIO $\frac{3}{10}$ *digiti Leydenſis: a me vero, quam accurate potui menſurata, comperta fuit dig.* 0. 35. *Land.*

p. 359 Inter muſculos palpebrae ſuperioris, quem HEISTERVS, praeeunte VERHEYENO deſcripſerat, depreſſorem ſuo iam tempore indicauit EVSTACHIVS, quamuis nos adnotamus Cl. ALBINVM quoque, ut experientia confirmat, has fibras non ſemper inueniſſe: ſiquidem in faucium pariter abſconditis fibris EVSTACHIVS ſolertiſſimas dederit delineationes.

p. 372

Muſculorum pharyngis magna eſt copia, quos conſtrictorum nomine comprehendit Cl. ALBINVS, ſed Noſter ad duas coniugationes optime reduci eoſdem poſſe credit, ad *conſtrictorem* nempe muſculum,

p. 389

atque

atque ad *elevatorem* seu *dilatatorem*. Ad *priorem* itaque refert, glossopharyngaeum, chondropharyngaeum, hyoceratopharyngaeum, syndesmopharyngaeum, hyopharyngaeum, thyropharyngaeum et cricopharyngaeum: ad *posteriorem* vero cephalopharyngaeum, petropharyngaeum, pterygopharyngaeum, salpingopharyngeum, staphylopharyngaeum, stylo atque mylopharyngaeum. Nos etiam, si recte iudicamus, utrumque hoc musculorum genus differentem actionem exserere posse arbitramur, certas tamen, quoad punctum fixum, conditiones requiri. Ligamentum epiglottidis medium, a linguae radice proueniens, recte propositi EVSTACHIVS, ipsique fibras carneas non inesse defendit Noster. p. 391.

Arbitramur autem ex his patere satis, omnibus, qui anatomes sunt studiosi, quam accepta esse debeat haec a Cl. MARTINIO susceptа opera, qua non illustrantur modo veterum dissectorum scripta, sed recentiora quoque proponuntur inuenta, ita quidem, ut omnibus et iucunda et utilis haec sit euasura pertractatio.

XIV.

Noua physico-medica.

Parisiis virum quendam, artium incrementi studiosum, qui nomen tamen suum ignorari vult, quingentorum pondo gallicorum praemium ei constituisse legimus, qui ex iudicio Reg. Scient. Academiae Parisiensis et optima et facillima docturus sit adminicula, quibus vitra conficiendi ars summam adipisci queat perfectionem. Cuilibet artifici eruditoque, praeter ordinaria Academiae membra, de praemio certandi relinquitur facultas. Commentarii argumentum illud explicantes quocunque demum quidem sermone conscribi poterunt, latinus tamen vel

gallicus reliquis Academiae erit acceptior; ita tamen illi erunt describendi, ut facile possint legi. Symbolum cum auctoris nomine, uti consuetudinis esse solet, in separata aliqua addita schedula addi poterit, quae, nisi commentario ad illud pertinenti adiudicatur praemium, haud aperietur. Commentarii vel ad Academiae Secretarium mitti, eo, quod cursus publici nomine debetur, antea soluto, vel illi ipsi tradi poterunt, qui eos ad diem usque undecimum mensis nouembris proxime nunc subsecuturi anni 1759 accipiet: in primo autem ab Academia anno 1760 celebrando conuentu, ipsa de transmissis commentationibus suum feret iudicium, omnium optime merenti iam supra commemoratum praemium decretura.

Qui nuper Reg. Scient. Societati *Gottingensi*, missa ad illam dissertatione, doctrina et exemplis ex illius voluntate probauit, ex radicibus solani esculenti non farinam solum candoris nitidi eximiaeque bonitatis praeparari, sed panem quoque sanum et qui satis insuper diu conseruari possit incorruptus, inde coqui posse, Cl. IOANNES DANIEL TITIVS, mathematum in Academia Vitembergensi Professor P. Ord. alio tempore iam a nobis laudatus *, is quoque praemium huic quaestioni propositum ** in conuentu die primo mensis iulii huius anni a societate habito, reportauit.

Harlemensis quoque scientiarum societas, cuius prima vice editorum commentariorum nuperrime mentionem exhibuimus ***, in aliarum academiarum exemplum proposuerat quaestionem, cuius optime elaboratam

* vid. Comment. nostr. Vol. V. Part. II. p. 283. et P. III. p. 433.
** l. c. Vol. V. P. IV. p. 722.
*** l. c. Vol. huius VI. P. II. p. 309.

boratam ipſi viſam diſquiſitionem promiſſo praemio in conuentu publico, die maii viceſimo ſecundo habito, coronauit. Adiudicatum illud fuit Cl. IOANNI GRASHVIS, Med. D. Hornae in Hollandia ſeptentrionali artem ſumma cum laude facienti, viro, propter plures easque doctiſſimas iam editas commentationes inter medicos valde claro facto. Quaeſtiones, quas medicos inueſtigare iuſſerat illa nunc dicta ſocietas, hae erant: *Quaenam colicae pictonum ſit natura? Quibusnam ſignis et antecedentibus et concomitantibus ea dignoſci? Quibusnam remediis et anteuerti et, ſi iam praeſens ſit, tolli queat? Quaenam denique ſit cauſſa, cur in Hollandia hic morbus iam frequentior eſſe ſoleat, ac olim?* De eodem argumento ante tres iam annos ſingularem conſcripſiſſe librum Cl. GRASHVIS, ſatis conſtat.*

Eadem porro ſocietas aliam exhibuit quaeſtionem, ad futurum annum 1759 pertinentem: *Vnde nimirum morbi inter nautas Batauos, in Indiam occidentalem nauigantes, prae aliis obuii ſuam capiant originem? Quaenam optima dentur contra illos remedia et prophylactica et curatiua?* Vt commentarii ſuper hac re, vel gallico vel latino vel denique belgico ſermone conſcribendi, ante menſis martii initium anni modo dicti mittantur ad Cl. VAN DER AA, Societatis Secretarium, addita, uti conſuetudinis eſſe ſolet, ſchedula nomen domiciliumque Auctoris et inſcriptionem continente, ſimul ab illa poſtulatum fuit.

Holmiae iam ante duos hosce annos anatomiae et chirurgiae Profeſſorem P. conſtitutum eſſe legimus Cl. ROLAND MARTIN, quod etiam munus, die ſeptembris undecimo eius anni 1756 auſpicatus fuerit, habita oratione de limitibus veris, qui artem medicam atque chirurgicam ex ipſius utriuſque natura et indole intercedere videantur.

Verſo-

* l. c. Vol. IV. P. IV. p. 632.

Varſouiae a Ser. noſtro Rege Conſiliarii aulici et Archiatri titulo atque honoribus nuper cohoneſtatum fuiſſe laetamur virum Ill. CAROLVM PHILIPPVM GESNERVM * non ſolum in aula, ſed inter medicos etiam doctos celebrem factum cum diſſertatione ſua inaugurali *de diuino* HIPPOCRATIS iam inde ab undeuiginti annis Gottingae edita defenſaque, tum variis obſeruationibus, Academiae Naturae Curioſorum Actis inſperſis.

A Celſiſſima republica *Bernenſi* Perill. ALBERTVS DE HALLER Salinarum Director nuper conſtitutus fuit.

Genevae a ſupremo rei publicae collegio Conſiliarii ſtatus dicti honore exornatus fuit Cl. IALLABERT, Philoſophiae experimentalis atque mathematum in Academia Geneuenſi Profeſſor, Regg. Scientiarum Societatum Londinenſis et Monſpelienſis Inſtitutique Bononienſis Socius.

Erfordiae ab Electorali Moguntina utilium ſcientiarum Academia in ordinariorum Sociorum numerum receptus fuit Vir Cl. CAROLVS FRIDERICVS HVNDERTMARCK Med. D. et in Vniuerſitate noſtra Lipſienſi Prof. Publ. Ordinarius. Acadd. Naturae Curioſorum, Londinenſis, Holmienſis atque Bononienſis Sodalis.

Florentiae die menſis iunii primo huius anni diem ſuum obiit Cl. ANTONIVS COCCHIVS, Anatom. Prof. P. et Pot. Romanorum Imperatoris Antiquarius, Vir, ſicuti de arte ſalutari in genere, ita etiam de litteris potiſſimum graecis meritiſſimus; cuius rei documen-

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. Part. I. p. 163.

documentum ſatis inſigne ante breue tempus ad lectores noſtros retulimus.*

Imperialis Scientiarum Academia *Petropolitana* ſicuti etiam aula ciuitasque, magnam fecit nuperrime iacturam morte Viri Cl. ABRAHAMI KAAV BOERHAAVII. Magni illius HERMANNI BOERHAAVII ex ſorore nepotis, Med. Doct. Academ. iam nominatae Sodalis, Anatomiae et Phyſiologiae Prof. P. qui die decimo quarto, veteris ſtili, vel, ſi ſecundum nouum numeres, viceſimo quinto menſis iulii, a febre acuta, undecimo, quo correptus ea fuerat, die extinctus fuit, aetatis annum agens modo quadrageſimum tertium. Plura de eius vita atque ſcriptis cum lectoribus noſtris alio tempore ſumus communicaturi.

Petropoli porro quoque relatum habemus, Cl. IOANNEM DE GURTER Harderouicenſem olim Profeſſorem, ex paucorum autem annorum tempore Pot. Ruſſorum Imperatricis archiatrum ordine ſecundum ** propter aetatis valde proiectae moleſtias, (nonum enim et ſexageſimum iam agit annum,) in patriam redeundi petiiſſe veniam, haneque eo cum honoris documento accepiſſe, ut annui, quo huc uſque fructus erat, ſalarii, quinque nimirum millium Ruſſicorum Imperialium, vel nummorum uncialium, dimidiam partem per reliquos vitae annos reportandi ſpe ſecedat. Vnus filius, DAVIDES, Imperatricis archiater huc uſque tertius, huic ſuo muneri manet adhuc praefixus, alter vero, HERMANN BOERHAAVE cognominatus Med. D. qui patrem comitatus fuerat Petropolin, cum ipſo iam reuertitur Amſtelodamum. Num uterque autem hic loci aut alibi in poſterum perpetuum collocabit domicilium? nihil adhuc certi accepimus. Vt

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. III. p. 535.

** l. c. Vol. III. P. IV. p. 729. et Vol. IV. P. I. p. 162.

Vt sequentem, Nouis Actis Eruditorum Lipsiensibus mense martio huius anni iam insertam de nouo KLEINIANO opere proditurο notitiam in hisce quoque nostris repetamus, a Cl. TITIO, methodico Prof. Wittenbergensi dignissimo rogati eo lubentius id facimus, quo magis de utilitate operis ipsius conuicti, rerum naturalium cultoribus illud commendare possimus.

Inter animantia nullum prope genus est, neque Physicis ad comprobandam naturae varietatem, neque intuentibus ad oblectandos oculos adcommodatius, quam aues. At enim vero aues, ut difficulter colliguntur, ita repositae cum pennis aegre asseruntur, et pulcram illam luxuriantemque pennarum, ut ita dicamus, pompam uno saepe anno amittunt. Quapropter cuilibet gratum esse debet, et naturae scrutatoribus praesertim iucundissimum, cognoscere, quomodo collectionem auium instruere et pulcre habere in perpetuum, sine corruptionis metu, possint. Fuerunt autem, qui teda, qui corio, qui sulphure, variisque acerrimis odoribus uterentur ad arcendas blattas, teredines et id genus plura insecta, exsiccatis effarctisque auibus metuenda. Haec quantum valeant subsidia, illi dicent, qui, si quem auibus suis interitum viderint, eorum ope imminentem ipsi ruinam auertere confidentius putarunt. Celeberrimus KLEINIVS aliam iniit rationem; quippe singulari harum rerum cognitione et indefesso studio, ut solet, sumtibus item haud mediocribus, cum magna omnium voluptate et historiae naturalis insigni incremento, instruendae auium collectionis methodum, quod cogitauerat antea nemo, nouam, eamque utilissimam consequutus est. Pro eo nempe, quem his rebus assignauit, ordine crania et pedes ad genua usque truncatos, undiquaque collecta et linimento balsamico inuncta, ad methodum in *Prodromo Hist. auium nat.* propositam digessit, et in armarium, obiectis

iectis ſpecularibus, incluſit, ut eſſet, ubi conſpicerentur, quae contrectando ſaltim aliquid detrimenti caperent. Atque his, quae Auctoris eſt modeſtia, crepundiis rerum naturalium ſucceſſu temporis inſigniter auctis, et ſua amicorumque opera ad ſatietatem amplificatis, eruditorum precibus obſecuto voluntas inceſſit, hos auium characteres, quos ſtemmata vocat, ad traditum a ſe ordinem naturalem delineandi, delineatos deſcribendi, deſcriptos in publicos uſus conuertendi. Huius rei cauſſa, idiomate germanico et latino opus concinnauit tabulis comprehenſum, cui titulum praefigit: IAC. THEOD. KLEINII *ſtemmata auium quadraginta tabulis illuſtrata* acceſſerunt nomenclator Polono-latinus et Latino-polonus; I. TH. KLEINS *Geſchlechts-Tafeln der Vögel*, plagg. 8. in 4to mai. cum 40 tabb. aeneis. Etenim non ſatis dignum viro bono arbitratus, methodum, quam facilem nactus, et a ſe iterum iterumque adhibitam, rogatus non velle exponere, neque indicare; id quod in re praeſenti opus maxime eſt, quum utilitatem ab illa et percipere et ſperare ampliſſimam debeamus. Longi ſimus, ſi de omnibus referre ipſi velimus, quae in libro, qui emittendus eſt, continentur; id librum alium poſceret totum. Sin videmur aliquibus in eo peccare, erit tamen, noſtrae voluntati cur minus ſuccenſeant, ſi, quod alterius cuiusuis orationem recuſat, auctoris verbis, quam fieri poteſt, breuiſſime complectamur. *Noluimus*, inquit, *non ſignificare, in quantum utilitati communi ſeruire poſſint haec auium ſtemmata. Primo, quilibet, qui non funditus repudiare velit diſpoſitionem noſtram, ſtatim perſpicere valet, num genera a pedibus roſtrisque deducta ſpeciebus reſpondeant? Secundo, exhibita eas integra, ignota tamen, vel etiam carne aſſa, ſed capite pedibusque ſaluis, familia haud difficulter determinatur; quippe nemo non numerum digitorum, formamque pedum, protinus agnoſcit. Tertio ſedulo et curatius*

roſtrum

roſtrum conſideranti, genus proximum illico ſeſe offert. Quarto, quodſi cranii altitudo, firmitas et longitudo roſtri, aliaeque huius conditiones (integra licet corporis figura ad tempus ſepoſita) absque ullo negotio auis ſpecies extrema dignoſci poterit. Quinto, hunc in finem ſingula capita una cum pedibus, ea, quam natura habent, magnitudine, ope circini, accurate ſunt delineata —. Examen ſi quis inſtituere velit, circino menſuram ſiue cranii et roſtri, ſiue pedum cognitae auis explioret, et eandem noſtrae delineationi applicet. Hac modo apparebit ſimul, plurimos Auctores nimium aliquando temporis operaeque conſumſiſſe, ut auium figuras ipſas, coloresque, originalibus exaequarent, capitum autem pedumque formas plus iuſto neglexiſſe —. Haec KLEINIVS. Addimus, quod ad cognitionem auium hoc modo quis eſſe poſſit inſtructus, qui moleſtiam refugiat, integra earum corpora obſeruandi cum cute et pennis. Hoc itaque Ill. KLEINII opus praeclarum item et ſumtuoſum, proxime prodibit; lege nempe aequa, maximeque facili. Quilibet huius ſtudii amans, pro uno libri exemplo, duos Imperiales exſoluet, ut pro imprimendo libro, (charta enim magna, eaque albidiore imprimetur) excidendisque aere iconibus, ſit, unde ſumtus recuperari poſſint. Nomen qui in anteceſſum ſubſignauit ſuum, librum propediem foras dandum, ſine ullis impenſis Lipſiae accipere vel ipſe, vel delegato negotio per alium poteſt. Nomina eorum, qui collatis ſymbolis editionem iuuarint, operi praefigere aequum eſt; et cum pauca admodum exempla, ultra deſiderata, imprimentur, quoduis eorum quatuor Imperialibus deinceps venum dabitur. Exteri eruditi, et qui in diſſitis locis degunt, quisque in bibliopolis ſuis, aut ſi commodius videtur, apud Ad. Henr. Holle, Bibliopolam Lipſienſem, nomina profiteri ſua in anteceſſum poterunt, ſi quidem ſubſcriptionis legem ſibi prodeſſe velint.

Memoria

Memoria IOANNIS ERNESTI HEBENSTREIT, Philoſophiae et Medicinae Doctoris, in Vniuerſitate noſtra Lipſienſi Therapiae Profeſſoris Publici Ordinarii, Ordinis Medicorum Decani, Academiae Decemuiri, Maioris Principum dicti Collegii Collegae, Poliatri Lipſienſis, Imperialis Naturae Curioſorum et Reg. Maſſilienſis Scientiarum Academiarum Socii.

Recentiores medici num veteribus anteferendi, an poſtponendi ſint? quaeſtio ſaepius orta fuit. Primi artis ſalutaris conditores ipſius regulas ex ſola quidem hauriebant experientia, neque vix dum rerum cauſſas explicare valebant; attentione tamen, induſtria, ſtudio, morbosque cum eorum remediis bene obſeruandi peritia, omnium ſubſequentium ſeculorum medicis quam maxime egregium, quod imitarentur, dediſſe exemplum, iisque optima, quibus artis ſuae doctrinam in ſyſtematis modum redactam ſuperſtruerent, reliquiſſe fundamenta, vix non omnes conſentiunt, adeo, ut recentiores, licet naturae penetralia perſcrutati myſterium eius nexumque cauſſarum et effectuum promtius perſpicere feliciusque reuelare poſſe videantur ſibique certe perſuadeant, veterum tamen obſeruationibus tantum ſaepius inniti cogantur, quando uti omnem ſuam intelligendi vim, ſic et ſcientiarum iam conditarum ambitum multo interdum arctioribus, ac ipſi crederent, circumſcriptam eſſe limitibus intelligunt experiunturque. Iis tamen ſua perpetuo manebit laus atque honos, qui et veteris et recentioris aeui doctorum obſeruata, inuenta placitaque cognoſcere, inueſtigare veritatemque, ubicunque demum eam inuenerint, detegere ſatagunt.

Fuit omnino ex eorum numero b. HEBENSTREIT, qui pari ſtudio atque cura et veterum, in

primis graecorum latinorumque, et recentiorum libros peruolutauit, ut dictu difficile sit, num horum, an potius illorum cognitione maior fuerit. Excellenti enim ingenio, valde acri et tenacissima memoria, et inexhausta discendi legendique natus erat auiditate, ut iam a teneris inde totum sese daret musis, seque cum iis per omnem vitae suae decursum delectaret. Vt igitur artium scientiarumque doctrinam ab ipsarum quasi origine percipere posset, summo prorsus studio non latinam solum, sed quae hac ipsa multo est uberior et locupletior, graecam quoque linguam addiscebat eamque sibi adeo reddebat familiarem, ut hanc sibi fere patriam feciſſe videretur. Quum harum autem litterarum charactere valde minuto oculorum visum crebrius legendo fatigaret, tam hebetem quoque eorum sensum sibi contrahebat, ut ipsis, cum virilem adhuc aetatem ageret, effunderetur caligo, ita, ut ortae tandem suffusionis medelam in manu chirurgica quaerere cogeretur. Nec Graeciae tamen Latiique tantum, sed plurimos quoque, quibus nunc diuersi Europae populi utuntur, sermones probe callebat, idcoque sapientiae thesauris vix non ex omni terrarum regione colligendis par erat. Insignis omnino, qua pollebat, memoriae vis in hoc studiorum genere vehementer ipsum iuuabat, quippe quae tanta erat, ut veterum, et philosophorum et medicorum sententias ipsorum verbis memoriter enumerare posset, easque fere totas complecteretur. Accedebat et hoc, quod ingenium ipsius erat alacre promtumque, ac, uti ad quaslibet artes optimas, sic in primis ad poesin valde aptum. Ingeniosum enim et quem elegantissimum aetas nostra tulit, in ipso mirati fuimus poetam. Praeter maximum enim poematum numerum, quae vel anonymo, vel aliorum cecinit nomine, *de homine sano et aegroto carmen*, quod auctum politumque edidit ante hos quinque annos, egregium huius rei praebet documentum,

tum, adeo, ut eum Germanorum LVCRETIVM recte appellare poſſis. Poetam tamen nec eſſe, nec certe poſſe fieri philoſophus, niſi una eſſet et doctus et acer, bene Noſter intelligens et philoſophiae, omnium artium procreatrici et quaſi parenti a CICERONE dictae, multum dabat temporis ſtudiique. Ex omnibus autem, quae ad illius doctrinam pertinent et referuntur, partibus eam in primis in ſinu atque deliciis habebat, quae res naturales earumque originem, cauſſas, naturam atque uſum docet. Vniuerſae itaque et hiſtoriae et ſcientiae naturalis amantiſſimus omnia ſibi reddebat cognita, ulteriusque inueſtigabat, quae tria ſic dicta naturae regna complectuntur. Quem latere poterit egregia rerum naturalium collectio in *Muſeo* noſtro *Richteriano* reperiunda, cui et comparandae et in ordinem redigendae plurimum adhibuit operae? Maius autem inſuper ſtudium in plantarum cognitione, easque ſecundum optimas ab ipſa natura indigitatae methodi regulas diſponendi arte collocabat. Quid? quod poſt RIVINVM atque WALTHERVM, Viros, quorum memoria ſemper nobis erit cara atque antiqua, ex primis omnino fuerit cum LVDWIGIO noſtro, qui excolendi illius ſtudii cupidinem in iunioribus noſtris medicis excitaret confirmaretque. In ſiluas igitur, arua prataque floribus abundantia, non ſolum cum delecta artis ſtudioſorum manu, ut colligeret plantas harumque examinaret ſtructuram, ſaepius excurrebat, ſed ipſe quoque aedificabat hortum in eaque colebat herbas in primis exoticas. Quum ſatis autem intelligeret, vel quoque maximam et uberrimam rerum cognitionem eſſe fere nihili, ea niſi ad communem hominum uſum accommodari poſſit: omnes quoque artes atque ſcientias, quae medicum tanto nomine vere dignum non ornant ſolum, ſed etiam perficiunt, pari ſtudio, uti iam a primis vitae academicae annis eas didicerat, ſic et per totum aetatis ſuae tempus

tractabat, agebat amplificabatque. Grauiſſimi huius, quae Noſtro competit, laudis teſtes omnino ſunt et inſignis, quos in noſtra muſarum ſede docuit atque formauit, medicorum numerus, qui multis iam in regionibus artem et docendo et faciendo profitentur, et ſatis quoque numeroſa, cuius indicem paullo poſt ſuppeditaturi ſumus, ſcriptorum copia, quae cum erudito orbe communicauit. Itaque multa, cur magni haberetur, in Noſtro erant argumenta; alia tamen eaque certe non minora accedunt iis, cur multo ab omnibus bonis ciuibus amore exciperetur. Verus enim Dei cultus et religionis ſanctitas in eo exſiſtebat, ita, ut non officia ſolum, quae ſummo Numini, ſed etiam, quae debemus vitae ſociis, ex animo et ſemper praeſtaret. Cunctis igitur quibus praefectus erat, muneribus omni cum fide atque dexteritate perfungebatur, iis itaque acceptus, qui ſummam imperii tenent: Medicinam et docebat et faciebat omni ſtudio, ſollertia atque candore, ideoque et ciuibus academicis et aegris, qui in conſiliis eius quaerebant auxilium, gratus: In egenos liberalis erat atque beneficus non oratione, ſed re ipſa, ideoque pari ratione ab iis aeſtimatus atque dilectus: Omnibus autem, quantum demum cunque poſſet, inſeruiendi ſtudio adeo flagrabat, ut callidis interdum et occultis hominibus eorumque ſimulata bonitate captus, nimium fere huic virtuti tribuere videretur. Dignus igitur omnino fuit, cuius memoriam commendemus poſteris, et cuius exemplum, quod imitentur, tironibus artis proponamus.

Natus erat Noſter in Variſcia, quae Saxoniae eſt prouincia, Neoſtadii, quae ad Orlae flumen ſita eſt urbs, anno huius ſeculi ſecundo, die menſis ianuarii decimo quinto, patre IOANNE DAVIDE, qui archidiaconi nomine ſacrorum ibi curam geſſit, et matre ESTHERE SVSANNA ex gente *Gutneriana* prognata. Filium optimae ſpei pater quidem ipſe et veri

veri cultus diuini et linguarum artiumque rudimenta docebat, ſed eum ſimul inſtitutioni IOANNIS OSWALDI THOELITZSCHII et DAVIDIS WENDLERI, illius conrectoris, huius vero rectoris in ſchola patria digniſſimi, tradebat. Adoleſcens iamiam, quanta ipſi ineſſet ingenii vis, ſaepius docebat, qui reliquis commilitonibus palmam praeriperet. Graecas potiſſimum litteras iam inde uſque a puero vehementer amabat, et carmina iam tum et graeca conficiebat et latina: natus enim erat poeta, cui *ſponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos.* Anno ſeculi decimo ſexto ſeſe conferebat in gymnaſium Vinarienſe ibique optimis praeceptoribus, et IOANNE MATTHIA GESNERO, conrectore et IOANNE CHRISTOPHORO KIESEWETTERO, rectore uſus et optimi patruelis IOANNIS FRIDERICI HEBENSTREITII tunc temporis ſacra Vinariae, deinde vero Buttſtadii curantis, liberalitate prorſus ſuſtentatus tam egregios in addiſcendis litteris faciebat progreſſus, ut iam anno aetatis duodeuiceſimo, ſeculi nimirum decimo nono, a celeberrimo Ienenſium doctore SLEVOIGTIO, academiae tunc rectore, in numerum academicorum ciuium reciperetur. Ienam vero ipſam petebat ſequenti anno poſt ibique ſtudiis vacare conſtituebat. Quum ad modum autem exiguas haberet opes, (pater enim octo genuerat filios, qui omnes litterarum ſtudio ſeſe dare cupiebant,) in aliorum beneuolentia ſolamen atque auxilium quaerere cogebatur: illud vero in Ienenſi academia, uti optauerat, non inueniens Lipſiam ſe transferebat anno ſeculi viceſimo primo. Si cui igitur unquam, certe noſtrae uniuerſitati illa data eſt felicitas, ut pluribus gaudeat emolumentis, quibus opem ferre poſſit indigentibus bonaeque ſpei ac diligentiae adoleſcentibus. Quod expectauerat Noſter, facile quoque impetrabat. Inter alios enim bene ipſi cupientes, breui poſt, quam Lipſienſes ſalutaſſet muſas,

AVGVSTVM QVIRINVM RIVINVM academiae noſtrae poſt mortem adhuc decus, praeceptorem rerumque ſuarum ſtrenuum nanciſcebatur ſtatorem et amplificatorem. Optimo illi viro ſemper ad manus erat et in eius gratiam, cum ſtudii in primis botanici eſſet amantiſſimus, eo citius veniebat, quo maiore cupidine atque feruore et ipſe in illud ferebatur. Ex diſſitis itaque ſaepe locis colligebat apportabatque plantas huic ſuo praeceptori, quoties is ſcholas habebat botanicas, ut, quicquid ad illarum pertinet notitiam, artis tirones doceret, fautori inde eo carior factus. Quo fiebat, ut ab eo commendaretur CASPARO BOSIO, mercatori famigeratiſſimo, hortum ſic dictum botanicum itemque muſeum inſtructuro, ut huius negotii curam in ſe ſuſciperet. Quem ad modum autem ſemper multisque modis a *Boſia* gente fotum amatumque ſe fuiſſe ſaepe praedicabat, ſic et tunc temporis ſatis honeſtum ab illo viro merebatur ſtipendium, quo in reliqua fere cuncta ſtudia academica eo felicius incumbere poſſet. Omnium enim artium ſcientiarumque, quae medicum doctum atque felicem formare poſſunt, ſtudioſiſſimus omne ſuum a botanicis laboribus liberum tempus illarum culturae atque exercitio prorſus dabat. Fideliſſimis itaque et doctiſſimis utebatur praeceptoribus, praeter iam laudatum RIVINVM, PAVLIO, SCHACHERO, ETTMVLLERO, WALTHERO, PLATNERO atque LISCHWITZIO, viris omnibus, quorum memoria uniuerſitati noſtrae admodum adhuc dum eſt honori. Horti interim Boſiani ſuae curae traditi diligentiſſime omnem habebat curam, indeque b. HEVCHERI, Archiatri regii, viri in amplificandas artes nati, amicitiam familiaritatemque ſibi conciliabat ab eoque fortunae olim ſtabiliendae ſpem acquirebat, tamen non ſpe ſolum, ſed veris patrocinii eius documentis paullo poſt fruendi habebat opportunitatem. Illius enim viri conſiliis atque commendationi potiſſimum

mum tribui debet illud iter, quod ex Clementiſſimi Noſtri Regis, AVGVSTI ſecundi, voluntate atque mandato Noſter cum ſelecta comitum manu in Africam ſuſcipere iubebatur.

Poſtquam enim anno ſeculi viceſimo ſeptimo artium liberalium atque philoſophiae magiſtri a Lipſienſium Philoſophorum Ordine, tribus vero annis poſt a Noſtro Medicorum Collegio doctoris medici honore, titulo et priuilegiis exornatus fuerat; Potentiſſimus vero Noſter Rex eodem tempore ad augendam rerum naturalium Dresdae aſſeruatarum collectionem, potiſſimumque ad obtinenda rariora animalia exotica, et viua et in exuuiis, ſi viua afferri non poſſent, vel certe in partibus cognoſcenda, harum rerum peritum in varias Africae regiones ablegare conſtituerat: Optimo Regi a ſuo medico, iam laudato HEVCHERO, commendabatur Noſter huic perſoluendo negotio prae aliis aptus, linguarum peritia nimirum clarus et in uniuerſa hiſtoria naturali verſatiſſimus. Illud nunc ipſi primum dabatur in mandatis, ut ſocios ſibi eligeret, quorum opera adiutus omnem hiſtoriae naturalis ambitum, quatenus in Africae prouinciis liceret, emetiretur atque inueſtigaret. Quam ob cauſſam in ſocietatem adſciſcebat CHRISTIANVM AVGVSTVM EBERSBACH, adiuncti nomine electum, CHRISTIANVM GOTTLIEB LVDWIG, qui nunc Decani munere apud nos fungitur, tum vero botanices in primis inueſtigandae cauſſa itineri committebatur, ZACHARIAM GOTTLIEB SCHVLZE, cui anatomici officium IOANNEM HENRICVM BVECHNER, cui omnium ad rem oeconomicam ſocietatis pertinentium cura tradebatur, tandemque CHRISTIANVM SCHVBERT, pictorem, qui ea certe, quae apportari non poſſent, depingeret. Cunctis deinde ad ſuſcipiendum iter neceſſariis in ſuum ordinem redactis, illud die menſis octobris viceſimo tertio anno ſeculi triceſimo primo Noſter

inibat, litteris eum in finem commendatitiis munitus, quas a Magnae Britanniae Galliaeque Regibus Belgique foederati Ordinibus acceperat. Quemadmodum autem TOVRNEFORTIVS non nullas Aegypti partes olim perlustrauerat, sic et nostra societas septentrionalem Africae regionem, quam Barbariam vulgo vocant, perquirere, deinque iter suum ad deserta loca regionesque occidentales ad promontorium usque sic dictum bonae spei dirigere, et intra trium annorum spatium absoluere debebat. Germaniae itaque, Heluetiae Galliaeque partem ea transiens, die mensis decembris decimo septimo eiusdem anni perueniebat Massiliam, ibique ad vicesimum quartum usque diem ianuarii subsequentis anni 1731 commorata, nauim Algeriam versus directam conscendebat, tandemque post iter taedii periculique plenum die vicesimo sexto februarii Africam intrabat. Tempore aliquot mensium Algeriae consumto, vicinaque regione saepius peragrata, medio mense iunio in prouinciam, quae imperii Algerienſis orientalis pars est, Constantiam, variis antiquitatis monumentis claram, tum in insulam Tabarcam, ob coralliorum piscaturam celebrem. Bizertam usque, urbem a veteri Vtica haud procul distantem, naui se transferebat, itineris huius parte reliqua per continentem terram Tunetum usque producta. Principis autem Tunetini, (*Bey*) aduersus christianos odium erat tantum, ut itinera per sui imperii fines prosequenda nostrae societati prorsus interdiceret. Tripolin itaque naui petebat HEBENSTREITIVS, LVDWIGIVM valde aegrotantem Tuneti relinquere coactus. Die decimo quinto decembris Tripoli secedens iter suum continuabat in insulam Melitam, ubi sub initium anni 1733 appellebatur. LVDWIGIVS interim, sanitate recuperata, Principis Tunetini beneuolentiam sibi societatique conciliauerat, adeo, ut iter ad confinia usque defertae regionis, Saarah dictae

dictae, pergere liceret. HEBENSTREITIVS itaque Tunetum reuertens hancque principis veniam percipiens sequebatur LVDWIGIVM, et praeter alias imperii huius prouincias, eam praecipue transibat, quae *Gerid* siue *Bled el Gerid*, unde corruptum nomen *Bilidulgerid*, dicitur, inter Tunetanum regnum atque Tripolitanum sita, ab exigua latitudine ad maris littora semper in maiorem amplitudinem ad deserta usque loca sese extendens, veterumque forte interior Libya credi poterit. Antiquitatis monumenta insignia rerumque naturalium egregiam uberrimamque ibi copiam obseruans, quantum poterat, colligebat. Tunetum reuertebatur die decimo quarto martii, tristissimo de optimi sui Regis morte nuncio ibi perculsus. Iter enim ulterius prosequi non licebat; hinc reditum in patriam meditans per Galliam Belgiique foederati prouincias proficiscens, mense octobri 1733, Dresdam redibat, satis numerosam collectarum rerum copiam et ipse et per LVDWIGIVM afferens. Hic vero Tuneti a societate secesserat inque naui aliqua Anglica Hamburgum fecerat iter, ut viua animalia ipsius curae commissa eo facilius posset adducere. Huius quidem itineris totius rationem e suis atque sociorum schedis in libri aliquam formam redigere inque publicum usum edere Noster voluerat; sed, uti in ipso continuando itinere per regis obitum, sic et in exaranda eius descriptione per grauia nimisque multa, quibus Lipsiam reuersus implicabatur, negotia impeditus fuit.

Physiologiae enim docendae munus publicum, eo absente, per mortem ETTMVLLERI iam vacuum factum, illico post reditum suscipiebat eodem anno 1733 die nouembris vicesimo secundo, oratione ideo habita qua per illud iter suum collecti obseruationum thesauri partem publicare incipiebat, *antiquitatum* nimirum *Romanarum per Africam repertarum memoriam* recolens. Ab illo tempore totum se

dabat noſtrae Lipſiae et medicinam faciens inter ciues, et illam docens artis ſtudioſos, ab uno munere academico ad alterum proiectus. Anno enim ſeculi triceſimo ſeptimo anatomiae et chirurgiae, quadrageſimo ſexto pathologiae, tandemque, biennio elapſo, poſt b. PLATNERI, ſemper nobis adhuc cari, mortem, therapiae Profeſſor unaque Medicorum Ordinis Decanus, quadrageſimo ſexto poſt b. WALTHERI obitum poliater Lipſienſis conſtitutus, ante iter autem ſuſceptum Imperialis Academiae Naturae Curioſorum, poſt illud vero confectum, Regiae ſcientiarum Maſſilienſis Socius nuncupatus, iis muneribus cunctis, uti et reliquis ad ea pertinentibus officiis, ſingulari prorſus ſtudio indefeſſaque induſtria ſemper faciebat ſatis.

Matrimonium bis iniit, unum anno 1739 cum IOHANNA WILHELMINA, ex *Iunia* gente orta, ex quo filium permultae ſpei GEORGIVM ERNESTVM, adhuc ſuperſtitem ſuſcepit; alterum autem anno 1741 ſuauiſſima iſta coniuge primo iam coniugii anno in puerperio extincta, cum CHRISTIANA EVGENIA ex celebri gente *Boſſeckia*, quae ſeptem ipſi peperit liberos, ex quibus adhuc quinque optimo patri ſuperſunt. Quamuis autem a natura validum corporis habitum accepiſſet Noſter, laetaque ut plurimum ſanitate fruitus fuiſſet, ſub finem tamen ſuperioris anni ab iſta febre maligna petechiali, quae poſt cladem iſtam Rosbacenſem triſtiſſimam inter noſtrates ſtragem fecit, correptus ei paullo poſt, die nimirum decembris quinto, ſuccubuit, magnum ſui deſiderium apud orbem eruditum, utramque noſtram ciuitatem et amicos relinquens, pii, docti, ſuauis omniumque diligentiſſimi viri perpetuam laudem adeptus.

Index ſcriptorum, a b. HEBENSTREIT editorum.

Libri.

De uſu partium carmen, ſeu phyſiologia metrica, ad modum TITI LVCRETII CARI, de rerum natura, in gratiam auditorum concinnata. Lipſiae, 1739. 8.

Pathologia metrica, ſeu de morbis carmen, in gratiam auditorum concinnatum. ibid. 1740. 8.

Muſeum Richterianum, continens foſſilia, animalia, vegetabilia, marina, illuſtrata iconibus et commentariis D. I. E. H. accedit (I. FR. CHRISTII) de gemmis ſcalptis antiquis liber ſingularis. ibid. 1743. fol.

Παλαιολογιας Therapiae, qua veterum de morbis curandis placita recentiorum ſententiis aequat, Specimina XXXV. ibid. 1748-1754. (*Sunt illa ſpecimina et diſſertationes et programmata in variis occaſionibus, quas munera academica Noſtro ſuppeditabant, conſcripta.*)

Anthropologia forenſis, ſiſtens medici circa rempublicam cauſſasque dicendas officium, cum rerum anatomicarum ac phyſicarum, quae illud attinent, expoſitionibus. ibid. 1751. 8. *

Idem liber. Editio altera c. fig. aeneis. ibid. 1753. 8. **

Ἐξηγησις ὀνοματων των περι παθων. Exegeſis nominum graecorum, quae morbos definiunt. *Erklärung griechiſcher Wörter von Krankheiten des menſchlichen Körpers.* ibid. 1751. 4. ***

De homine ſano et aegroto carmen, ſiſtens phyſiologiam, pathologiam, hygienem, therapiam, materiam medicam. Praefatur de antiqua medicina carmen: ſubnectuntur ſimiles poetarum ſententiae,

* Vide, ſis, Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 365.

** v. Comment. noſtr. Vol. II. P. III. p. 418.

*** v. Comment. noſtr. Vol. I. P. III. p. 378.

tiae, accedunt ſingula quaedam carmina. Lipſiae, 1753. 8. *

Ordo morborum cauſalis. Specimina VII. ibid. 1754-1757. 4. (*Itidem programmata academica continentur.*)

Aetiologia chemica ſeu expoſitio cauſſarum ſani et aegroti hominis ſecundum principia chymica, diſſertatiunculis clariſſimorum quorundam iuuenum expoſita c. indice neceſſario. ibid. 1757. 4. (*Academicas diſſertatiunculas numero ſeptem complectitur haec aetiologia.*)

Tentamen philologicum medicum ſuper AETII AMIDENI ſynopſis medicorum veterum libris octo, poſt illos octo, quos ALDVS MANVTIVS Venetiis 1534. euulgauit. ibid. eod. 4.

Praeter ea praefatus eſt beatus ille Vir ad libros ſequentes:

D. NICOL. BÖRNERS *Phyſic, oder vernünftige Abhandlung natürlicher Wiſſenſchaften. Leipzig* 1735. 8.

D. CHRISTIAN GOTTHOLD SCHWENKE *vom geſunden Landleben etc. ibid.* 1751. 8.

10. IAC. WOYTS Gazophylacium medico-phyſicum *oder Schatzkammer mediciniſch- und natürlicher Dinge in einer richtigen und ordentlichen Alphabeth-Ordnung. Leipzig,* 1751. 4. mai. c. f. (*Huic libro additus fuit ille iamiam recenſitus:* Ἐξηγησις ὀνοματων e. f. p.)

D. ANTON. HEINS Pharmacia rationalis *oder vernünfftiger Gebrauch auserleſener Genesmittel etc.* ibid. 1757. 4. mai.

Diſſertationes:

De continuanda Riuinorum induſtria in eruendo plantarum charactere. Praeſide *Io. Chriſtoph. Liſchwitz.* Lipſiae, 1726. 4.

De

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. III. p. 533.

De ordinibus conchyliorum methodica ratione inſtituendis. Reſp. *Io. Gezaur.* Lipſiae, 1728. 4.

De vitiis nominum in ſignificatu tentamina quaedam. Reſp. *Io. Chriſtian. Bartholomaei.* ibid. 1729. 4.

De viribus minerarum et mineralium medicamentoſis, pro gradu doctoris. Praeſide *Io. Caſp. Küchlero.* ibid. 1730. 4.

De ſenſu externo facultatum in plantis indice. Reſp. *Chriſtian Gottlieb Ludwig.* ibid. eod 4.

Definitiones plantarum. Reſp. *Chriſt. Aug. Ebersbach.* ibid. 1731. 4.

De indicatione medica. Reſp. *Geo. Aug. Langguth.* ibid. 1733. 4.

De uſu hydrargyri interno ad mentem recentiorum. Reſp. *Chriſtoph Frid. Sartorio.* ibid. 1735. 4.

De partium coaleſcentia morboſa, *von den widernatürlich zuſammengewachſenen Theilen des menſchlichen Körpers. Gottlob Carol. Springsfeld.* ibid. 1738. 4.

De dentitione ſecunda iuniorum. Reſp. *Io. Andr. Vngebauer.* ibid. 1738. 4. c. f.

De morbis ex peruigilio. Reſp. *Io. Car. Puſcher.* ibid. 1740. 4.

De pulſu inaequali ad mentem GALENI. de cauſis pulſuum. Reſp. *Io. Andr. Vngebauer.* ibid. 1741. 4.

De capitonibus laborioſo partu naſcentibus. Reſp. *Anton. Heins.* ibid. 1743. 4. c. f.

De oculo lachrymante. Reſp. *Io. Frid. Kuppe.* ibid. eod. 4.

Hiſtoriae naturalis Foſſilium caput de Terris. Reſp. *Io. Geo. Luther.* ibid. 1745. 4.

Exercitationes adoleſcenti aetati ſalubres. Reſp. *Frid. Sam. Sparr.* ibid. eod. 4.

Funiculi umbilicalis humani pathologia. Reſp. *Io. Andr. Lehmann.* ibid. 1747. 4. c. f.

De metaſchematiſmo morborum. Reſp. *Io. Gottlieb Meyer.* ibid. eod. 4.

De ſuſpecta valetudine. Reſp. *Io. Chriſtoph. Elhard*, ibid. 1757. 4.

Programmata:

De organis piſcium externis. Lipſiae, 1733. 4.
Anatome hominis recens nati repetita. ibid. 1738. 4.
De baſi caluariae. ibid. 1738. 4.
De methodo cerebrum incidendi. ibid. 1739. 4.
De arteriarum corporis humani confiniis. ibid. eod. 4.
De rarioribus quibusdam oſſium momentis. ibid. 1740. 4.
De diploe oſſium. ibid. eod. 4.
De venis corporis humani. ibid. eod. 4.
De vaginis vaſorum. ibid. eod. 4.
De methodo plantarum ex fructu optima. ibid. eod. 4.
De medici cadauera ſecantis religione. ibid. 1741. 4.
De flexu arteriarum. ibid. eod. 4.
De medicis archiatris et profeſſoribus. ibid. eod. 4.
De vermibus anatomicorum adminiſtris. ibid. eod. 4. c. f.
De vaſis ſanguiferis oculi. ibid 1742. 4.
De inſectorum natalibus. ibid. 1743. 4. c. f.
De mediaſtino poſtico. ibid eod. 4.
De corpore delicti, medici ſecantis culpa incerta. ibid. eod. 4.
De venis communicantibus. ibid. 1744. 4.
Hiſtoriae naturalis inſectorum inſtitutiones. ibid. 1745.
De foetu vegetabili. ibid. 1747. 4.
De ordinibus gemmarum, verbis c. PLINII ſecundi ex eius naturalis hiſtoriae libr XXXVII. ibid. eod. 4.
Εὐπραγια ἀγαθῆ ἰατρῷ celebri exemplo beati I. C. PLATNERI. ibid. 1748. 4.
Medicinae cum iurisprudentia comparatio ad recolendam memoriam anniuerſariam Siluerſteinio-Pilnickauianam. ibid. 1749. fol.

De

De cura paſcuorum. Lipſiae, 1752. fol.

περὶ ἀγαφωνησιας, de declamatione antiquae gymnaſticae parte. ibid. 1753. 4.

De laeſionibus ex diſpoſitione vulnerati morboſa lethiferis. ibid. 1755. 4.

De obſequio Principum erga medicos. ibid. eod. 4.

Miſericordiae limites in exercenda arte. ibid. 1756. 4.

AETII AMIDENI Ἀιτιολογιων lib. IX. caput XXVIII. exhibens tenuioris inteſtini morbum, quem ileon et chordapſum dicunt, una cum veterum ſuper hac aegrotatione ſententiis. ibid. 1757. 4.

Oratio.

Oratio auſpicalis, qua antiquitatum Romanarum per Africam repertarum memoriam recolit. Lipſiae, 1733. 4.

XV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756 prodierunt.

GEORG. AVGVST. LANGGVTH, Diſſ. inaug. de clyſtere febrium exanthematicarum remedio non minus tuto quam efficaci. Reſp. *Io. Ludou. Henne.* Wittenbergae, 4.

Die neueſte Weltwiſſenſchaft, vornehmlich nach den Sinn des berühmten NEWTONS, *in italiäniſchen und teutſchen Verſen; in jenem urſprünglich beſchrieben von dem Herrn Grafen* IOSEPH LAVATI; *in dieſe überſetzt von* I. G. M. *nebſt des Verfaſſers verteutſchten Anmerkungen und einer Vorrede Herrn* CHRISTIAN ERNST VON WINDHEIM. *Nürnberg*, 8.

Phyſicaliſche Beobachtungen derer Saamenthiergen, durch die allerbeſten Vergrößerungs-Gläſer und bequemlichſten Microſcope betrachtet: und mit einer unpartheyiſchen Unterſuchung und Gegeneinanderhaltung

tung derer Buffoniſchen und Leuwenhoeckiſchen Experimenten in einem Sendſchreiben nebſt denen hierzu gehörigen Figuren und Kupfern einem Liebhaber der Naturkunde und Wahrheit mitgetheilet von M. F. L. (MARTIN FROBENIVS LEDERMÜLLER). *Nürnberg*, 4. *m. K.*

Supplement à la parallele de differentes manieres de faire l'extraction de la pierre qui eſt dans la veſſie urinarie; par M. LEDRAN. à Paris, 8. c. f.

Verſuch einer Geſchichte von Flötz-Gebürgen betreffend deren Entſtehung, Lage, darinnen befindlichen Metallen, Mineralien und Foßilien, gröſſentheils aus eignen Wahrnehmungen, chymiſchen und phyſicaliſchen Verſuchen, und aus den Grund Sätzen der Natur-Lehre hergeleitet, und mit nöthigen Kupfern verſehen von D. I. G. LEHMANN. *Berlin*, 8. *m. K.*

IO. GOTTLOB. LEIDENFROST, de aquae communis non nullis qualitatibus tractatus. Duisburgi, 8.

Cours de Chymie, contenant la maniére de faire les operations qui ſont en uſage dans la Médecine, par une méthode facile, avec des raiſonnemens ſur chaque operation, pour l'inſtruction de ceux qui veulent s'appliquer à cette ſcience. Par M. LEMERY. Nouvelle edition revûe, corrigée et augmentée d'un grand nombre des notes et de pluſieurs préparations chymiques qui ſont aujourd'hui d'uſage, et dont il n'eſt fait aucune mention dans les editions de l'Auteur. Par M. BARON. à Paris, 4.

LEBRECHT. FRID. BENIAM. LENTIN, Diſſ. inaug. de praerogatiua venaeſectionis in partibus laborantibus. Goettingae, 4.

Ad eruditiſſimi viri IACOBI BVRCARDI medicum grauiſſimum humanitatis ſtudiorum vindicem, analectorum Specimen I. IOHANNI EHRENFRIED

FRIED THEBESIO tradit IOHANN. CHRISTIAN. LEVSCHNERVS. Hirſchbergae, 4.

CAROLI LINNAEI Syſtema naturae ſiſtens regna tria naturae in claſſes, ordines, genera et ſpecies redacta, tabulisque aeneis illuſtrata; accedunt vocabula Gallica. Editio multo auctior et emendatior. Lugd. Batau. 8. mai. c. f.

Eiusd. Amoenitates Academicae ſeu diſſertationes variae, phyſicae, medicae, botanicae, antehac ſeorſim editae, nunc collectae et auctae cum tabulis aeneis; Volumen tertium. Holmiae, 8. c. f.

Eiusd. Diſſ. Flora Palaeſtina. Reſp. *Bened. Ioan. Straud.* Vpſaliae.

Eiusd. Diſſ. de pulſu intermittente. Reſp. *Andr. Wohlin.* ibid.

Eiusd. Diſſ. Fundamenta valetudinis. Reſp. *Petr. Engſtroem.* ibid.

Eiusd. Diſſ. Flora Alpina. Reſp. *Nicolaus Ammann.* ib.

Eiusd. Diſſ. Centuria Plantarum II. Reſp. *Eric. Torner.* ibid.

Eiusd. Diſſ. Flora Monſpelienſis. Reſp. *Theophil. Erdmann Nathorſt.* ibid.

Eiusd. Diſſ. Calendarium Florae. Reſp. *Alexander Malberger.* ibid.

Eiusd. Diſſ. Specifica Canadenſium. Reſp. *Ioan de Coelln.* ibid.

Eiusd. Diſſ. de acetariis. ibid.

Eiusd. *Verſuche einer Natur - Kunſt - und Oeconomie-Hiſtorie von einigen Schwediſchen Provinzien nach eigner Unterſuchung zum Druck befördert. Leipzig und Stockholm.* 8 mai. *m. K.* (*Translatoris nomen eſſe dicitur* C. E. KLEIN).

Eiusd. *Reiſen, welche in dem Königreiche Schweden zur Verbeſſerung der Naturkunde, Haushaltungs - und Arzneykunſt, angeſtellt, mit Anmerkungen, ſo die Geſchichte, Alterthümer und Lebensart der Einwohner*

ner betreffen; aus dem Schwediſchen überſetzt. Stockholm. 8. mai. *m. K.*

CAROLI LINNAEI Regnum vegetabile iuxta ſyſtema naturae in claſſes, ordines et genera ab eodem conſtitutum e poſtremis auctis et emendatis eiusdem Clariſſimi Viri operibus ſummatim redactum, nec non e Philoſophia Botanica eiusdem Auctoris, vel ex aliorum Botanicorum nuperrimis operibus circa vegetabilium partes deſumtis definitionibus et potiorum vocabulorum praemiſſis explicationibus locupletatum atque Societatis Phyſico Botanicae Florentinae academicorum uſui accommodatum ac recuſum, curante XAVERIO MANETTI. Florentiae, 8.

MICHAEL. LOMONOSOW, Oratio de origine lucis ſiſtens novam theoriam colorum. Petropoli, 4.

The ſubtil medium proved by LOVETT. London.

C. LVCAS, Eſſay on waters in three parts; treating of ſimple waters; of cold medicated waters; of natural baths. 3 Voll. London, 8. mai.

HIERONYM. LVDOLF, Diſſ. inaug. de diureſi erifica. Reſp. *Andreas Elias Voelkner.* Erford. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug de affectu ſpasmodico, vago, maligno, epidemico, vernacula *Grißel-Krankheit.* Reſp. *Michael Dieteric Blohm.* ibid. 4.

CARL GÜNTHER LVDOVICI, *eröfnete Akademie der Kaufleute, oder vollſtändiges Kaufmanns-Lexicon; fünfter und letzter Theil; nebſt dreyfachem Anhange. Leipzig,* 8. mai.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, Progr. de colore plantarum quaedam obſeruata proponens. Lipſiae, 4.

IAC. LVPII *Schatzkammer der Natur, das iſt, Erklärung drey groſſer Geheimniſſe. Frankfurth,* 8.

IANI MACQVET, Diſſ. pathologica de vitiis vaſorum continentium. Lugd. Batav. 4. mai.

Elémens

Elémens de Chymie pratique, contenant la deſcription des opérations fondamentales de la Chymie avec des explications et des remarques ſur chaque opération; par M. MACQUER; ſeconde édition reviſe et corrigée; 2 Voll. à Paris, 12.

Analyſe des eaux de Forges. Par M. PIERRE ANTOINE MARTEAU. à Paris, 12.

Lettera di DOMENICO MASOTTI, ſopra gl' inſtrumenti neceſſarii per la litotomia nelle donne et ſopra l' Ago *Barbeziano*. Firenze, 4. c. f.

ANTONII MATANI de aneurysmaticis praecordiorum morbis atque praecipuis eorum cauſis animaduerſiones, phyſico - medica diſquiſitione pertractatae. Florentiae, 4.

IOH. DANIEL MEYERS *Vorſtellung allerhand kriechender, fliegender und ſchwimmender Thiere; ſo wohl nach ihrer eigentlichen Beſchaffenheit, als auch nach der Structur ihrer Scelette. Zweyter Band, illuminirt. Nürnberg*, fol. mai.

CHRISTIAN. FRIDER. MICHAELIS, Diſſ. inaug. de orificii uteri cura clinica atque forenſi. Lipſiae, 4.

IOH. MILLIES, Diſſ. inaug. de palpitatione cordis. Lugd. Batav. 4.

CHRISTIAN. LVDOV. MOEGLING, Diſſ ſiſtens pathologiam et therapiam generalem malorum, exteros plerosque Lutetiae Pariſiorum degentes, diuerſimode affligentium. Reſp. *Ludou. Rudolph. Seubert.* Tubingae, 4.

G. F. MÖLLERS *kurze Anleitung, wie Pfirſich Bäume zu ſchneiden, und wie man davon Spaliere ziehen könne. Zweyte Auflage. Frankfurth* 8.

F. C. P. H. VON MONDENSTEIN, *genannt Schwefelbach, Waſſer und Geiſt, als die geoffenbarte Natur - Grund - Anfänge der geheimnisvollen hermetiſchen Weisheit der Adepten. Erlangen*, 8.

A diſſertation on the nature and cure of the venereal diſeaſe; wherein the pathological Hiſtory of that Diſorder is fully conſidered; the merit of the different methods hitherto uſed are impartially inquired into and a new method of treating it is propoſed by M. MOONEY. London, 8.

An Eſſay on the dropſy and its different ſpecies. By DONALD MONRO. The ſecond Edition. London, 12 mai.

GERARD. ANDR. MÜLLER, Diſſ. de oleis eſſentialibus ſiue aethereis vegetabilium absque deſtillatione parandis. Reſp. *Io. Cornel. Frid. Schweizer.* Gieſſae, 4.

IOH. FR. MÜLLERS *vollſtändige und auf Erfahrung gegründete Anweiſung zum Lackiren; zweyte verbeſſerte Auflage. Frankfurt.* 8.

IOACH. LVDW. MÜLLERS *Gedancken, wie dem immer zunehmenden Mangel des Brennholzes abzuhelfen. Roſtock,* 8.

Eiusd. *Abhandlung von Verbeſſerung der Hebammen auf dem Lande. Roſtock,* 8.

Memoire ſur la cauſe des mouvemens du cerveau, qui paroiſſent dans l'homme et dans les animaux trépanés; par M. DE LA MVRE. à Lyon.

DANIEL WILLHELM NEBEL, Diſſ. de magnete artificiali. Traiect. ad Rhen. 4.

IO. GOTTWALT NEVBERT, Commentatio de aduerſis medicorum fatis apud Romanos. Ienae, 4.

Vermiſchte Anmerkungen über einige auserleſene Materien zur Beförderung nützlicher Wiſſenſchaften, entworffen durch CARL. LVDWIG NEVENHAHN; *vierter Theil nebſt dem Regiſter über alle vier Theile. Leipzig,* 8. (*Continet hic tomus ſequentes commentationes:* 1) *Von der Verkalchung der Metalle und Mineralien:* 2) *Von den Vrſachen der künſtlichen Verwandlung wilder Bäume und Gewächſe in beſſere Arten:* 3) *Erklärung der halbſeitigen Kopfgicht*

oder

oder Hemicranie: 4) *Von einigem Nutzen des Tabacks und Coffee:* 5) *Bedarf der Mensch zu seiner Gesundheit noch andere Getränke, als Wasser?* 6) *Versuch vom Salz-Kraute oder* kali geniculato. 7) *Von dem Gebrauche der Sode in der Glaskunst, dessen Unterscheid und neu erfundenen Ultramarinfarbe.*)

CASPAR NEVMANNS Chymiae medicae dogmatico-experimentalis, *oder gründlich und mit Experimenten erwiesene medicinische Chymie, zweyter oder Schluß Theil. Zweyte Auflage. Züllichau,* 4

Hiſtoire Naturelle des animaux par M. M. ARNAVLT DE NOBLEVILLE et SALERNE; 4 Voll. à Paris, 12.

NOLLETS *phyſicaliſche Lehrſtunden; fünfter Theil; aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Erfurth,* 8 *m. K.*

A diſſertation on horſes, wherein it is demonſtrated, that innate qualities don't exiſt, and that the excellence of this animal is mechanical and not in the blood; by WILLIAM OSMER. London, 8.

Nouvelle conſtruction de couches de bois avec la façon d'y gouverner les abeilles, inventée par M. PALTEAV; et l'hiſtoire naturelle de ces inſectes; avec des figures en taille douce. à Metz, 12.

Méchanismes de l'Electricité et de l'Vnivers; par M. I. C. F. DE LA PERRIERE; 2 Tomes. à Paris, 12.

PHIL. PFAFFS *Abhandlung von den Zähnen des menſchlichen Körpers und deren Krankheiten. Berlin,* 8. *m. K.*

IACOBI PLACENTINI Diſſertatio de vena, quae in morbis particularium partium corporis ſit ſalutarius incidenda. Patauii, 8. mai.

IANI PLANCI Epiſtola de urina cum ſedimento coeruleo ad Amicum Bononienſem. Ariminii, 8.

Plantarum Americanarum faſciculus ſecundus, continens plantas, quas olim CAROLVS PLVMIERIVS, Botanicorum Princeps, detexit eruitque

atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. Has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus et obſeruationibus aeneisque tabulis illuſtrauit IOANNES BVRMANNVS. Amſtelodami et Lugduni Batauorum, fol. c. f.

CAROLI PLVMIERII Plantar. Americanar. faſciculus tertius et quartus. ibid. fol. c. f.

ERICH PONTOPPIDANS *unvorgreifliche Gedanken von dem letztern Erdbeben; aus dem Däniſchen überſetzt. Copenhagen*, 8.

IO. HENR. POTT, Animaduerſiones phyſico-chymicae circa varias hypotheſes et experimenta ELLERI: *Phyſicaliſch-chymiſche Anmerkungen über verſchiedene Sätze und Erfahrungen des Hrn.* ELLERS. *Auf Koſten des Autoris. Berlin.* 4.

Eiusd. *Fortſetzung ſeiner phyſicaliſch-chymiſchen Anmerkungen über des Hrn.* ELLERS *verſchiedene Sätze und Erfahrungen, worinnen ſelbige weiter ausgeführet, gerettet, und nebſt mehrern dahin einſchlagenden Materien gründlicher erläutert, und in mehrers Licht geſetzt werden. Berlin*, 4.

A treatiſe on ruptures by PERCIVALL POTT. London, 8 mai.

SAMVEL. THEODOR. QVELMALZ, Progr. de uteri ruptura. Lipſiae, 4.

Inſtruction pour les Jardins fruitiers et potagers avec un Traité des Orangers et des Reflexions ſur l'Agriculture; par M. DE LA QVINTINYE; nouvelle edition revûe, corrigée et augmentée; 2 Tomes. à Paris, 4. c. f.

Le Spectacle du feu elementaire et cours d'electricité experimentale où l'on trouve la Cauſe et Mechanisme du feu dans ſon origine, de la dans les corps, ſon action ſur la bougie, ſur le bois et ſucceſſivement ſur tous les Phenoménes electriques, etc. par Mr. RABIQVEAV. à Paris, 8.

IOH. RAII, *phyſico-theologiſche Betrachtung vom Anfange, Veränderung und Untergange der Welt; worinnen faſt alles, was von Bergen, Brunnquellen, Foſſilien, von Ueberſchwemmungen des Meers, Feuerſpeienden Bergen und Erdbeben gründliches geſagt werden kan, mit Anmerkungen enthalten iſt; aus dem Engliſchen überſetzt; Neue verbeſſerte Auflage. Leipzig, 8.*

IOACHIM RANCHERT, Diſſ. inaug. de carie oſſium, Lugd. Bat. 4.

Traité des maladies occaſionnées par les excés de chaleur, de froid, d' humidité et autres intempéries de l'air, avec la methode de les guerir, fondée ſur l'expérience et ſur des obſervations comparées, par M. I. RAVLIN, Tom. I. à Paris, 12.

ANTONIVS LE PESCHEVX DE LA REAVTE, Quaeſt. an exoſtoſi venereae frictiones mercuriales? Monſpelii 4 mai.

THOM. REYNOLD'S ſome experiments on the chalybeat waters lately diſcoverd naer the palace of the L. Biſhop of *Rocheſter* et *Bromley* in *Kent*, London.

GEORG. GOTTLOB. RICHTER, Diſſ. inaug. de ſtatu mixto ſomni et vigiliae, quo dormientes multa vigilantium munera obeunt. Reſp. *Ioan. Frider. Mueller*, Göttingae, 4.

Eiusd. Progr. de lege conſuetudinis concilianda cum legibus medicis. ibid. 4.

Eiusd. Progr. quo frigus capiti, calorem fotumque pedibus magis conuenire, ſuccincte oſtendit. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de inſalubri lactis et vini miſcela. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de ſalutari dormientium ſitu. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de ſalutari ſitus corporei varietate, litteratis etiam, qui ſcribendo, legendo, meditandoque occupantur, opportuno. ibid. 4.

Eiusd. Progr. de morte Seruatoris in cruce. ibid. 4.

VOLVSIANVS RIVES, Diſſ. de ſanguificatione. Monſpell. 8.

IOAN. GEORG. ROEDERER, de vteri ſcirrho commentatio medica. Göttingae, 4. c. f.

Eiusd. Obſeruationum medicarum de partu laborioſo: Decades duae, prima et ſecunda. ibid. 4.

A. I ROESELII, Hiſtoria naturalis ranarum: *ſ. Natürliche Hiſtorie der Fröſche bis 23tes Blat: illuminirt, Nürnberg, fol.*

Eiusd. *Inſecten Beluſtigungen, bis 18 Blat des vierten Bandes; illuminirt.* ibid. 4.

EBERHARD ROSEN, Diſſ. de Symptomatibus purpurae chronicae praecipue latentis. Reſp. *Ioan. Borg.* Lundini.

IO. GEORG. EMANVEL ROSNER, Diſſ. inaug. qua non nulla circa vires lactis notantur. Lugd. Bat. 4 mai.

GEORGE ROTHENS, *kurzer Begrif der Naturlehre, aus den neueſten Entdeckungen der Naturforſcher. Zweyte vermehrte Auflage. Görlitz, 8.*

ANTON RÜDIGERS *ſyſtematiſche Anleitung zur reinen und überhaupt applicirten oder allgemeinen Chymie. Leipzig, 8. m. K.*

The Natural Hiſtory of Aleppo and Parts adiacent, containing a deſcription of the city and the principal natural productions in its Neighbourhood, together with an account of the climate inhabitants and diſeaſes, particularly of the plague; with the methods uſed by the Europeans for their preſervation; by ALEXANDER RVSSELL. London. 4. mai. c. f.

VLRICI CHRISTOPH. SALCHOW, Explicatio ſeparationis auri ab argento per aquam fortem factae et modi vilioris, haec duo metalla a ſe inuicem ſegregandi; quippe quae ab Academia Scientiarum Imperiali in publico Academiae conuentu die VI. Septembris clɔ Iɔ CCLV. praemium reportauit. Petropoli. 4. mai.

Hiſtoire naturelle des animaux, par M. M. ARNAVLT DE NOBLEVILLE et SALERNE; 4. Voll. à Paris, 12.

PETRVS SAMSON, Diſſ. inaug. de Epilepſia et praecipue eiusdem ſic dictis ſpecificis. Helmſt. 4.

The uniuerſal Dictionary of Trade and Commerce, translated from the French of Mr. SAVARY; with large additions and improuements, etc. by MALACHY POSTLETHWAYT. Vol. II. London fol.

AVGVST SCHAARSCMIDS *Nachricht von der Natur und Cur der Krankheiten, die mit den Bewegungen auf die güldene Ader verbunden zu ſeyn pflegen. Berlin,* 8.

SAMVEL SCHAARSCHMIDS, *Semiotik oder Lehre der Zeichen des innerlichen und äuſſerlichen Zuſtandes des geſunden und kranken menſchlichen Körpers; herausgegeben von* ERNST. ANTON. NICOLAI. ibid. 8.

Der krebsartige Kieſenfuſs mit der kurzen und langen Schwanzklappe; beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *nebſt ſieben Kupfertafeln mit Figuren in Farben, Regensburg,* 4.

SALOMON SCHINZ, Diſſ. inaug. de calce terrarum et lapidum calcariorum. Lugd. Batav. 4. mai. c. f.

DAVID SCHIOTTE, *Bienenzucht; aus dem Däniſchen überſetzt. Copenhagen,* 8.

IO. AVG. SCHLETTWEIN, Diſſ. phyſ. oeconom. de lana ouium emendanda. Reſp. *David Chriſtoph. Merckel, Ien.* 4.

Foſſilium metalla et res metallicas concernentium glebae ſuis coloribus expreſſae, quas deſcripſit et digeſſit CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIEDEL, ſiue *Erzſtuffen und Bergarten mit Farben genau abgebildet; nebſt Beſchreibung; bis 12tes Blat, Nürnberg,* 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de alcaleſcentia humorum. Reſp. *Io. Chriſtoph. Keck,* Erlangae, 4.

DANIEL GOTTFRIED SCHREBER, *Sammlung verſchiedener Schrifften, welche in die oeconomiſchen, Policey-Cammeral und andere Wiſſenſchafften einſchlagen, zweyter Theil, Halle,* 8. mai.

Kurze doch zulängliche Anweiſung zur Erkenntniſs und Cur der vornehmſten Krankheiten des menſchlichen Leibes; doch vornehmlich in Abſicht auf erwachſene Perſonen; wie ſolche in den groſsen Hoſpitälern zu St. Petersburg alle Jahre ſeit 1742. *bis hieher iſt vorgetragen und erkläret worden. Entworfen von* IOH. FRIEDRICH SCHREIBERN. *Leipzig,* 8.

FRIED. AVG. SCHVLTZE, *Abhandlung von dem Urſprunge der Inoculirung der Kinderpocken; nebſt einer Anleitung, wie man alle Kinderkrankheiten überhaupt verhindern könne, Lüneburg,* 8.

GOTTWALD SCHVSTERS *mediciniſch-chymiſches Lexicon, practiſch nach den neueſten Grundſätzen der Arzeneykunſt abgefaſſet, Chemnitz,* 8.

F. C. SCHWALBE, Diſſ. inaug. de diſpoſitione hereditaria. Halae Magdeburg, 4.

Verhandeling over de waare Gedaante, Aart en Uytwerking, der *Cicuta aquatica* GESNERI, of Groote-Waaterſcheerling: etc. door M. W. SCHWENCKE, in s'Grauenhage, 8. mai. c. f.

IOSEPH. MARIA SCRINZI, Diſſ. philoſoph. de principio aut cauſa corpus animale formante, nec non de natura huius principii, quantum probabili ſaltem ſententia aſſequi licet. Altorf. 4.

IO. LVDOV. SEEBER, Diſſ. inaug. de pruritu. Lipſiae 4.

Sammlung verſchiedener ausländiſcher und ſeltener Vögel, worinnen ein ieder derſelben nicht nur auf das genaueſte beſchrieben, ſondern auch in einer richtigen und ſauber illuminirten Abbildung vorgeſtellt wird von IOH. MICHAEL SEELIGMANN; *bis* 196. *Blat; illuminirt. Nürnberg,* fol.

IOH. FRIED. SEYFARTS *allgemeine Geſchichte der Erdbe-*

Erdbeben vom Anfange der Welt bis 1756, *nebſt Abhandlungen woher die Erdbeben entſtehen*, ibid. 8.

SAMVEL SCHARP, *kritiſche Unterſuchung der gegenwärtigen Beſchaffenheit der Wundarzeney; aus dem Engliſchen überſetzt, Roſtock.* 8.

The Cauſes of Heat and Cold in the ſeveral climates and ſituations of this globe, ſo far as they depend upon the rays of the ſun, conſidered in order to ſhew that difference of heat and cold in other countries may be nearly aſcertained by a thermometer; by T. SCHELDRAKE, London 8.

Die Königl. Preuſſiſ. und Churbrandenburgiſche Hofwehemutter, oder höchſtnöthiger Unterricht von ſchweren und unrechtſtehenden Geburten etc. von IVSTINEN SIEGEMVNDIN. *Neue Auflage. Berlin, 4. m. K.*

GEORG. FRID. SIGWART. Diſſ. inaug. Carie conſumtae tibiae notabilis iactura, ſub feliciori empiria, naturae maxime beneficio reſtitutae. Reſp. AVGVST. THEODOR. BROTBEK. Tubingae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. Polyaemiae noſologia. Reſp. *Chriſtian Ludov. Frider. Linck*, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. phthiſis haemorrhoidalis illuſtri exemplo demonſtratae. Reſp. *Georg. Hieronymus Fehleiſen.* ibid 4.

I. E. SILBERSCHLAGS, *Abhandlung von Waſſerbau an Stroemen, Leipzig, 8. m. K.*

A Treatiſe on the theorie and practice of Midwifery, by W. SMELLIE, Vol. I. The third edition corrected. London. 8. mai.

Obſeruations ſur les Accouchemens, ou Suite de la thèorie et pratique de cet Art; traduites de l'Anglois de M. SMELLIE, par M. DE PREVILLE. Tome ſecond. à Paris, 8.

SAMVELIS SNASHALL. Diſſ. med. de morbo arquato ſeu ictero, vt vulgo nuncupatur. Lugd. Batav. 4. mai.

GOTT-

GOTTLOB. CAROL. SPRINGSFELD, Commentatio de praerogatiua thermarum Carolinarum in diſſoluendo calculo veſicae prae aqua calcis viuae. Lipſiae, 4.

IO. CHRISTIAN. STOCK, Diſſ. inaug. de cereuiſiae ſalubritate ſuſpecta. Reſp. *Io. Adolph. Mogen*, Ienae, 4.

Eiusd. Pr. de Sudore Chriſti ſanguineo, ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de coctione humorum in ſtatu corporis humani praeternaturali. Reſp. *Gideon. Rohde*, ibid. 4.

Eiusd. Pr. pe liquore Dianae, ibid. 4.

The philoſophy of earthquakes natural and religious; or an Inquiry into their cauſe and their purpoſe; by WILLIAM STUKELEY. London. 8.

ROBERT TAYLOR, Oratio anniuerſaria in theatro Collegii Regalis Medicorum Londinenſium ex HARVEI inſtituto feſto d. LUCAE habita. Londini, 4. mai.

IOHANN EHRENFRIED THEBESII, *Hebammenkunſt, mit Kupfern, Hirſchberg und Liegnitz*, 8.

TIBURTIUS, Anmärkningar wid hushallningen i öſtergöthland, Stockholm.

IOHANN CHRISTIAN TILLINGS, *Nachrichten vom Carlsbade, Leipzig*, 8. mai. *m. K.*

TISSOTS, *practiſche Vertheydigung des Einpfropffens der Pocken; nebſt einem Verſuche über die Veränderung der Stimme; aus dem Franzöſiſchen überſetzt und mit Anmerkungen vermehrt von* FRIDR. SIMON MORGENSTERN. *Halle*, 8.

Lettera ſugli effeti di un fulmine caduto nella certoſa di Napoli; di Don ANTONIO TONTOLO; in Napoli, 4. c. f.

IOAN TORKOS, Diſſ. inaug. de renunciatione lethalitatis vulnerum ad certum tempus haud adſtringenda. Goettingae, 4.

FRANCISCI TORTI, Therapeutice ſpecialis ad febres

bres periodicas pernicioſas ; ſubnectuntur reſponſiones iatro-apologeticae ad RAMAZZINVM, et alia eiusdem TORTI opuſcula. Francofurti ad Moenum, 4.

VRBANO TOSETTI, Lettere ſull inſenſibilita di alcune parti degli animali. Roma, fol.

Obſervations periodiques ſur la phyſique et l' hiſtoire naturelle et beaux arts; par M. TOVSSAINT; à Paris, c. f.

Das Kayſer Carls-Bad in Böhmen in einer Ode entworfen ; nebſt einer Abhandlung von dem Gehalte und den Kräften dieſes großen Heilmittels ; von BALTHASAR LVDWIG TRALLES. *Breßlau*, 8. mai.

Hortus nitidiſſimus omnem per annum ſuperbiens floribus; ſiue amoeniſſimorum florum imagines, quas magnis ſumtibus collegit CHR. IAC. TREW, in aes inciſas viuisque coloribus pictas edidit IO. MICHAEL SEELIGMANN; *oder Abbildung der lieblichſten Blumen; bis 38 Blat; illuminirt. Nürnberg*, fol.

CHRISTIAN TRVNTZA, Diſſ. inaug. de vaſorum obſtructione in genere. Lugd. Batav. 4.

Die Mechanick der Himmelskörper, zur Erklärung der Beſchaffenheit der Erdbeben, bey Gelegenheit derjenigen, welche um das Ende 1755 Jahres gewütet haben; herausgegeben von A VAL. *Halle*, 8. m. K.

DOMINICI VANDELLII Epiſtola de ſenſibilitate pericardii, perioſtii, medullae, durae meningis, corneae et tendinum. Patauii, 8. mai.

Eſſai ſur la maniére de perfectionner l'Eſpéce humaine. Par M. VANDERMONDE. 2 Voll. à Paris, 12.

Oeconomie rurale; Traduction du Poéme du P. VANIERE, intitulé: Praedium Ruſticum; par M. BERLAND; 2 Voll. à Paris, 12.

VERDIER, *anatomiſche Beſchreibung des menſchlichen Leibes ; aus dem Franzöſiſchen überſetzt; Zweyte verbeſſerte und mit Anmerkungen verſehene Auflage. Zwey Theile. Augſpurg*, 8.

De

De l'amputation à lambeau, ou nouvelle méthode d'amputer les membres; par M. PIERRE ADRIEN VERDVIN; traduction nouvelle du Latin en François avec des augmentations conſidérables, tirées des obſervations les plus modernes, qui contiennent l'hiſtoire de la decouverte de cette operation, les iugemens qu'on en a porté, les moyens de la rendre plus ſûre, plus ſimple, plus facile et d'en tirer tous les avantages poſſibles, par M. PIERRE MASSVET; à Paris, 8. mai.

Genees en Heelkundige verhandeling van alle de Gebrecken der Beenderen door P. I. DV VERNEY; in het nederduytſch vertaalt door MARTINVS HOVLTVYN; 2 Deelen; te Amſterdam, 8. mai.

IACOB CHRISTIAN VOGEL, Diſſ. inaug. de fiſtula lacrumali eamque ſanandi methodis. Gryphiswaldae, 4.

De incruſtato agri Gottingenſis commentatio phyſico-chemica; Auctore RVDOLPH AVGVST. VOGEL. Gottingae, 8.

Eiusd. *neue mediciniſche Bibliothek; dritten Bandes 1 und 2 Stück.* ibid. 8.

Merckwürdige Kranckengeſchichte und nützliche Erfahrungen aus der Geneskunſt und Wundarzeney; von ZACHARIAS VOGELN. *Erſte Sammlung. Roſtock und Wismar*, 8.

MARC. LVDOV. VVLLVAMOZ, Diſſ. inaug. de ſale lactis eſſentiali. Lugd. Batav. 4 mai.

I. G. WAGNER *Vermuthung von der Vrſache des Erdbebens, wobey einige hiſtoriſche Nachrichten von unterſchiedenen Erdbeben alter und neuer Zeiten mit beygefüget ſind. Leipzig*, 8.

IOAN VAN DE WALL, ſpecimen inaug. de nauigandi arte. Lugd. Batav. 4. c. f.

IO. GOTTSCHALCK WALLERII Diſſ. Om en bruk-patrons tilbörliga apſigt i hytte och hammar wid Jernsmide. Reſp. *Daniel Krapp.* Vpſal.

PAN-

PANCRAT. WEIGAND, Diſſ. inaug. de fluxu ſanguinis in grauidis. Altorf. Noricor. 4.

Memoriam Viri Exc. atque Ampl. IO. NICOLAI FROBESII mathem. et phyſices P. P. O. meritiſſimi. A. D. XI Sept. CIↃ IↃCCXVI defuncti Prorectoris et Senatus Academiae Iuliae Carolinae ciuibus et poſteritati commendant interprete WERNSDORFIO P. P. O. Helmſt.

STEPHAN. WESZPREMI, Diſſ. inaug. ſiſtens obſeruationes medicas. Trai. ad Rhen. 4. mai.

IO. ERN. BASIL. WIDEBVRG, Diſſ. phyſ. aſtronom. de motu terrae et phaenomenis inde oriundis. Reſp. *Io. Gerh. Theod. Scheler.* Erlang. 4.

Obſervations on a Series of Electrical Experiments; by D. HOADLEY and Mr. WILSON. London, 4.

IO. PHILIP. LAVR. WITHOF, de caſtratis commentationes quatuor. Duisburgi.

DAVID. WIPACHERI genuina ratio, cur pleuritide vera ſaeuiente, venaeſectio affecti lateris alias deriuatoria dicta praeoptanda ſit. Lugd. Batav. 12.

Auflöſung und Erläuterung zwoer Fragen: 1) Warum die meiſten Befliſſenen der hermetiſchen Kunſt den lapidem philoſophorum *oder den Stein der Weiſen vergeblich ſuchen, groſſe Koſten, Mühe und Arbeit darauf wenden, und ihn doch unmöglich auf die Weiſe, wie ſie arbeiten, finden können? 2) Wie man denſelben leichtlich und gewiß finden, ohne groſſe Unkoſten, Mühe und Arbeiten ausmachen, und zu Gottes Ehren und zu ſeines nothleidenden armen Nächſten Dienſt geſegnet anwenden möge? Allen Liebhabern der wahren Weisheit zu ihrer eignen Erkenntniß und zu glücklicher Erlangung ihres zeitlichen und ewigen Wohls mitgetheilt von* I. C. S. V. Z. *Hamburg.*

BALTH. LAVR. ZEIS, Diſſ. inaug. de cauſis neceſſario mortem in partu inferentibus. Gottingae, 4.

IOH. CHR. ZIMMERMANNS *allgemeine Grundſätze der*

der theoretiſch-practiſchen Chymie, nebſt beygefügtem mediciniſchen, chirurgiſchen, oeconomiſchen, metallurgiſchen etc. Gebrauche und Anwendung. Drey Bände. Dreßden und Leipzig, 4.

IOH. FRIEDR. ZITTMANNS *practiſche Anmerkungen von den Töplitzer-Bädern, dem Böhmiſchen Bitter und Bilner Waſſer aufgeſetzt von* CHRIST. GOTTH. SCHWENCKE. *Neue Auflage. Dreßden, 8.*

GVSTAV. PHILIP. ZWINGER, Diſſ. inaug. Hiſtoria pericranii ſua ſponte regenerati. Altof. 4.

Contenta in hac parte.

1. *Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Dantzig.* III *Theil* p. 579.
2. BAGIEV Examen de pluſieurs parties de la chirurgie etc. p. 591.
3. SCHWENCKE Verhandeling over de vaare Gedaante, Aart, en Uytwerking de Cicuta aquatica GESNERI p. 602.
4. MATANI de aneuryſmaticis praecordiorum morbis p. 609.
5. Acta Academiae Electoralis Moguntinae ſcientiarum utilium, quae Erfordiae eſt, Tom. I. p. 615.
6. Hiſtoire de l'academie royale des ſciences et belles lettres de Berlin an. 1755. p. 628.
7. BOEHMERI Diſſ. de Polyphago et Allotriophago Wittebergenſi p. 634.
8. DV HAMEL Traité des arbres et arbuſtes, qui ſe cultivent en France en pleine terre p. 638.
9. Hiſtoire et memoires de l'academie royale des ſciences de Paris an. 1752. p. 648.
10. Acta Helvetica phyſico-mathematico-anatomico-botanico-medica Vol. II. p. 675.
11. MONRO Eſſay on the dropſy and its different Species p. 688.
12. DOVGLAS Traitiſe on the Hydrocele p. 692.
13. MARTINE in BARTHOLOMAEI EVSTACHII tabulas anatomicas Commentaria p. 705.
14. Noua phyſico-medica p. 713.
15. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1756. prodierunt p. 735.

INDEX.

INDEX.

A.

Abdominis mira contenta 114. tumor ex ouariorum ſcirrho 687 ſeq.
Abietis excreſcentia monſtroſa 631. cum pini ramo monſtroſo comparatio 632. a pino et larice differentia 645. reſinae praeparatio ib.
Abortus imminens 345 ſeq.
Academiae naturae curioſorum hiſtoria 3
Academicarum annotationum liber tertius 61
Aceris ſaccharum 526. eius uſus 528
Acta academiae elector. Moguntinae ſcientiar. utilium, quae Erfordiae eſt Tom. I. 615
Aegilopis a fiſtula lacrymali differentia 475
Aer materiam frigoris continet 585. humidus morborum epidemicorum cauſa 625. eius viciſſitudinis effectus 530 ſeq. eius in aqua renouatio 533. electricitas 666. temperies Pariſiis anno 1752. 656 ſeqq.
Affinitas corporum chemica duplex 655
Agarici virtus 97. 103. 205. dubia 93. 206. 482. eum in vulnere applicandi modus 481
Agnus vegetabilis ſcythicus 583 ſeq.
Alberti, Mich. obitus et vitae deſcriptio 356 ſeqq.
Albini, B. S. academicarum annotationum liber tertius 61
Alcyonium petrefactum 50. madreporis accenſendum 51
Allantoidis liquor in animalibus 672
Allionius, Carol. ſociet. ſcient. reg. Gottingenſis correſpondens 354
Aloes ſucci praeparatio 280
Alui excretio naturalis 441. morboſa ib. ſeq. frequens in phthiſi nocet 443
Aluminis terra 328 ſeq. experimenta circa illam 330 ſeq.
Amalgamatio 135
Ambianenſis ſcientiar. acad. theſis et praemium ad ann. 1755. 175
Ambuſtionis effectus 96
Ammanniae character 276
Ammonis cornu natiuum 616. ſeq.
Amomi plantae generis character 273
Ampullarum Bononienſium fractura huiusque cauſa 586
Amputatio membrorum 595. in gangraena adhibenda 601. eam adhibendi neceſſitas 599. eius pericula 598
Anaſarca ſcroti 694. ex iſchuria ib. ſeq.
Anaſtomoſes vaſorum 708
Anchilopis a fiſtula lacrymali differentia 475
Aneuryſmatis diſtinctio 610. ſeq. curatio prophylactica 613. palliatiua 614. ſpurii cauſae 613. aneuryſma cordis 611. arteriarum 612. penis 62. a venaeſectione 236

Angelicae radicis usus 299 seq.
Anginae verae curatio 400 seq.
Animal aquaticum singulare 507. animalia Iamaicensia 284. reptilium classes 512. horum organon auditus ib.
Antimonii sulphuris aurati liquidi praeparatio et effectus 622. vitri cerati virtus 447
Aortae pulsatio a pulsu differt 494
Aphis, insecti genus 117
Apus cancriformis cum caudae processu et breuiori et longiori 141 seq.
Aquae in aere solutio 57. ebullientis vapor in odontalgia 400. marinae salsedinis examen 588 seq. picis liquidae effectus 75. aquarum mineralium, Passy scaturientium analysis 521 seq. Forgensium virtus 300
Arbores et frutices, quae in libero aere coluntur in Galliis 638 seqq. arboris truncus petrificatus 538
Arcani duplicati praeparatio 619
Arenae ad exstinguenda incendia usus 589 seq.
Argentum ex aqua in fodinis Regiimontis praecipitatum 219 seq.
Argillae terram aluminis continent 329
Arietis character 245. a tauro differentia 248
Arsenici internus usus 621. menstruum aptum ib.
Arteriae structura 492. pulsus 493. aneurysma 612. ossificatio 338. magnae cruralis in cane vulnus non lethale 710
Arthritis vaga epidemica 624. arthritidis curatio 83
Asbesti chemicum examen 152 seq.
Asphalti usus 293
Asteria veterum gemma 333
Atramentum ex residuo liquoris anod. Hoffm. 619. sympatheticum 313
Attractionis exempla 39
Auditus organon in ranis 512. seq. in bufone ib. in Salamandra 514
Auri virtus medicata 620. illud ligno superinductum separandi modus 534
Auriuillius, Sam. Vpsaliae munus Professoris anatomes suscepit 354
Aurora borealis 585
Auium exuuias conseruandi ratio 150. herbiuorarum digestio 668 seq. experimenta circa illam ib. carniuorarum digestio 637. aues Iamaicenses 287
Ayeniae descriptio 388

B.

Bagieu, examen de plusieurs parties de la chirurgie, d'apres les faits qui peuvent y avoir rapport 591
Balani fossiles agri Basilcensis 684 seq.
Balarucenses aquae medicatae 675
Balnea in grauidis 345
Balsamum peruuianum 168. Tolutanum ib. seq. de Copaiba 167. balsama natiua 164
Barometricae obseruationes 52. earum usus in praxi medica 529 seqq.
Berolinensis acad. reg. scientiar.

tiar. historia ann. 1754. 323. an. 1755. 628. thesis et praemium 543
Betulae cinerum sal 404
Bilis per aluum effusio 442
Birch, Thom. history of the royal society of London etc. 304
Blakeae character 282
Blakwellisches vermehrtes und verbessertes Kräuterbuch. zweytes Hundert 146
Boehmer, Georg. Rud. Diss. de polyphago et allotriophago Wittebergensi, Resp. C. G. Frenzel 634
Boesefleisch Prosector anatom. Erford. 179
Bombycum pabulum 409
Bonnet, Carol. societatis scient. Gotting. correspondens 545
Boracis natura 405. 416 seqq. artificialis compositio 112
Borametz, Zoophyton fictum 583 seq.
Borech salis species 529
Bosese character genericus naturalis 618
Botanicae obseruation. 679. sq.
Bradley, Rob. Bononiens. scientiar. academiae socius 545
Brendel, Io. Godofr. Diss. de seriori usu euacuantium in quibusdam acutis 33. Eiusdem obitus 549
Bromeliae noua species 241
Browallii, Io. obitus 355
Browne, Patrick, civil and natural history of Iamaica 263
Büchner, Andr. Eliae Academiae Nat. Curios. historia 3
Bufonis organon auditus 512. seq.
Burdigalensis acad. scientiar. thesis et praemium ad ann. 1758. et 1759. 173. ad ann. 1760. 542
Butneria, nouum plantarum genus 643 seq.

C.

Caeciliae organon auditus 513
de la Caille, Nicol. Ludov. societat. reg. scientiar. Gottingens. correspondens 545
Calcis viuae sal 516. experimenta cum illo 517
Calcinationis effectus 131. species 132
Calculi historia 116. vesicae vrinariae 98. vesicae felleae 116. seq. ductus choledochi 64. in variis corporis humani partibus 336. genesis 628 seq. differentia 337. ex abscessu hypochondrii 629 sq. per aluum excretio 444
Callus ossium eiusque formatio 309
Canadae et Heluetiae mineralium comparatio. 664
Canum species 254 seqq. varietates ex proboscide 259. structura interna 260. coitus ratio 256
Capitis tumor 86
Caprarum historia 248. mammae 250. cicutae aquaticae esus ipsis est innoxius 609
Caprificationis historia 523. vtilitas 524
Carbunculi in facie effectus 91 seq. 99
Carl, Io. Sam. obitus 546
Carolinarum thermarum triplex fons 25. partes constitutiuae 26. usus 26. 28. differentia 27. modus agendi 28
Carthami cultura 213. ad ossa tingenda usus 617

Cartheuſer, Io. Frid. Diſſ. de praecipuis balſamis natiuis 164
Cartilaginum differentia et ſtructura 662. ex perioſteo geneſis dubia 663. coſtarum oſſificatio 437
Caruncularum urethrae curatio 298
Caſtoris Norrlandici hiſtoria 407
Catalogorum natorum et mortuorum uſus 195. 201. 210. 216
Cataractae depoſitio 105. 412. diſtinctio 413
Catarrhi epidemici 624. eorum cauſa 625
Cauerna de la Balme 507
Cauterii actualis uſus 601
Cedrus de Libano laricis ſpecies 645
Cephalalgiae curatio 90
Cephalagrae retropulſae hiſtoria 113
Cerealia grana depurandi ratio 395
Cerebri vulnera non ſemper lethalia 312
Cereos parandi modus 298 ſq.
Chemiae definitio 121. ſubiectum ib. principia 123
Chemica inſtrumenta 125. ſuppellex 126. obſeruata et experimenta 619. 622 ſeq.
Chevaleraiſii arcanum medicamentum 54 aqua vulneraria ib.
Chinae corticis in gangraena 601. in clyſteribus 108. in doloribus dentium uſus 222
Ch coyneau, Franciſci elogium 652 ſeq.
Chiococca nouum plantarum genus 278
Chirurgicae diſquiſitiones 591 ſeqq.
Choledochi ductus calculi 64
Chryſoprafius lapis 633
Cicada americana 395 ſeq.
Cicutae ſpecies 605 aquaticae hiſtoria 603. florendi modus 606 ſeq. differentia ib. effectus venenati 607 ſq. contra eosdem remedia 608. uſus externus medicus ibid. Veterum a noſtra differentia 605
Cinerum betulae ſal 404. clauellatorum ad coeruleum Berolinenſe uſus 153. cauſticum ſal 392
Cinnabaris natura 86
Cladium nouum plantarum genus 273
Cocchii, Ant. obitus 716
Coccus aquaticus 406
Coerulei Berolinenſis analyſis 654 ſeq. e carbonibus vitis viniferae praeparatio 619
Coffeae arboris hiſtoria et cultura 588. ſeminum oleum eſſentiale 302
Coilotapalum plantarum genus 272
Coli valuulae fabrica 61
Colica inteſtinalis ventoſa 99 ſeq.
Colli tumor ab aere e puſtula varioloſa 683. hyſtericus deglutitionis laeſae auſſa 681
Colorum geneſis 502. 619
Comocladiae character 275
Conceptio ſpuria 345. eius a mola differentia 348
Conocarpi noua definitio 277 ſeq.
Conuulſionis per terrorem curatio 649
Cordis ſtructura 670 ſeq. columnae

lumnae carneae ib. ventriculorum noua distinctio 670. valuulae 671. vis absoluta vix definienda 491 seq. morbi 630. cum pericardio concretio ib. seq. aneurysma 611. ruptura 437. palpitationis causa 438. calculi 337
Corii genera 327. vegetabilia illis praeparandis idonea ib. 339
Cornea tunica oculi scleroticae continuatio 712. superficies ib.
Cornuum animalium structura 43. deiectionis ratio ib.
Corpus humanum, an totum vasculosum? 61. eius natura quid? 485
Costarum motus 489. cartilaginum ossificatio 437. costae supernumerariae in foetu 536
Corhenius, Christian Andr. Consiliarius intimus Borussorum regis factus 353
Cotyledones in oue grauida 247
Cranii structura in foetu 650 sq.
Crisium distinctio 34
Crocodili anatome 293
Cuculi ventriculus 673
Cucurbita ocularis 678
Cupreorum vasorum usus 324. experimenta cum illis 325 seq.
Cutis fugillatio ex refrigerio 620
Cynosbatos fructuum in calculo effectus 678 seq.
Cystis hydropica 689
Cystidis felleae calculi 116 seq. 337

D.

Deglutitio laesa 151. eius historia et curatio 681
Delirii causa 91
Dendritarum descriptio 499 sq.
Dentium formatio et incrementum 661. vermes ficti 350
Destillationis definitio et stadia 126
Diantherae species nouae 273
Diaphoretica in febribus intermittentibus 222
Diarrhoea febri superueniens 445
Digitorum numerus praeternaturalis 41
Dissertationes oeconomico-physicae 422
Diuionensis acad. scientiar. thesis et praemium ad. ann. 1758. 174
Doliocarpus plantarum genus 410. eius baccae venenatae 411
Dolorum ad partum spuriorum causae 347 seq.
Dormituritio singularis 74. 88
Douglas, Iohn, treatise on the hydrocele 692
Dulcamarae herbae effectus 680
Dysenteria mortui sectio 40

E.

Egranarum aquarum virtus 29
Electricitatis historia 586. 590. in paralysi 315 seq. 623. in hemiplegia effectus 684
Elemiferae character 243
Embryonis ossium per muliebria cum foecibus excretio 624
Encanthidis a fistula lacrymali differentia 475
Ephemerae 532. circa illas obseruationes ibid.
Epilepsiae curatio 79
Erfordiensis academiae Doct.

et Profeſſores medicinae 176 ſeq.
Erucae ſalicis metamorphoſis 519. pedibus ſedecim deſcriptio 198. erucarum pars nona 503
Eryſipelas epidemicum 625
Euacuantium medicamentorum uſus in acutis 33. 35
Euſtachii tabularum anatomicarum praeſtantia 705 ſeqq. valuulae uſus 495

F.

Fabricii, Phil. Conr. Diſquiſitio de fonte martiali medicato Helmſtadienſi 19
Faciei oſſium articulatio 501
Faggot ab academia ſcientiar. Holmienſi praemium accepit 395
Faure ab academia reg. chirurg. Pariſ. praemium retulit. 171
Febrem quartanam curandi methodus 107. miliaris hiſtoria 677. febre inflammatoria inteſtinali mortui diſſectio 627. febres a variolis ceſſantes 400. autumnalium pertinacia 223. vernalium curatio ib. malignarum Rothomagenſium hiſtoria 74 ſeq algidarum hiſtoria 220. a catarrhalibus differentia 222
Femoris muſculorum calcul. 338
Fibra elaſtica et irritabilis 488
Ficus muſcae habitaculum 524. a muſcis tactae laetius incrementum ib.
Fiſtulae lacrymalis definitio 474. differentia 475. cauſae 476. ſanandi methodi 474. 477. curationis exempla 478 ſeq.
Flammae in corpora electrica agendi modus 517
Foecum aluinarum per penem excretio 650
Foetus in abdomine contentus 77. 97. eius coſtae ſupernumerariae 536. cum matre nexus 461. 463. vita propria 464. mortui ſigna 347
Forgenſium aquarum mineralium analyſis 30
Fraenkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre etc. zweyter Band 429
Frigoris materia in aere contenta 585. gradus in Suecia ann. 1755. 200. frigore tacti refectio 397
Frutices et arbores, quae libero coluntur in aere in Galliis 638 ſeqq.
Fuſionis notio 131

G.

Gabry, Petr. ſocietat. reg. ſcient. Gottingenſis correſpondens 545
Gallae reſinoſae pini 533
Gangraena pedis 72. critica ſeu localis 601. ſiccae curatio ib.
Gaurae deſcriptio 407 ſeq.
Gautier obſervations ſur l'hiſtoire naturelle, ſur la phyſique et ſur la peinture, Partie XIII - XVIII. 289
Gebhardi, Chriſt. Amand. obitus 554
Gedanenſis ſocietatis naturae indagatorum ſocii ordinarii et liberi 580 ſeq. tentaminum pars tertia 579
Gemmarum color a vaporibus mineralibus 651
Gentianae nova ſpecies 248
Gemuum ſtructura et morbi 233

Geoffroy,

Geoffroy, Claud. Ioſephi elogium 651 ſeq.
Geſner, Carol. Phil. Poloniarum Regis conſiliarius aulicus et archiater 716
Glacies durities 39
Glandis plumbeae ex vulnere extractio non differenda 595
Gmelin, Phil. Frid ſocietat. reg. ſcient. Gottingenſis correſpondens 545
Gonorrhoea virulenta canis 157
de Gorter, Io. Petropoli in patriam regreſſurus 717
Gottingenſis ſcientiar. ſocietat. reg. theſis et praemium ad ann. 1759. 544
Gramirum helueticorum catalogus 683
Granites lapis 49 ſeq.
Grashuis, Io. a ſocietate ſcient. Harlemenſ. praemium accepit 714 ſeq.
Grauiditatis terminus 346 ſeq.
Grauidarum imaginatio laeſa 346. venaeſectio in illis 344

H.

Haemorrhagiae diſtinctio 429. neceſſaria et accidentalis 430. uteri epidemica 624
Haemorrhoides 443
Hafnienſium actorum medicorum continuatorum prodromus 105
Hales, Steph. ſcientiar. academiae Bononienſis ſocius 545
Halleri, Alb. iconum anatomicarum Faſciculus octauus 58. diſputationes chirurgicae ſelectae Tom. III. IV. et V. 226. Idem a republica Bernenſi ſalinarum director conſtitutus 716
Hambergeri, Georg. Erhard. elogium 616
Hamburgiſches Magazyn XVI und XVII Band 149
du Hamel Traité des arbres et arbuſtes, qui ſe cultivent en France en pleine terre Tom. I et II. 638
Harlemenſis ſocietat. ſcientiar. commentarii. Pars I. 309. theſes et praemia 323. 715
Hebenſtreitii, Io. Erneſt. obitus 554. vita, merita et ſcripta 721 ſeqq.
Heiſteri, Laurent. obitus 556
Helmſtadienſis fons medicatus 19 ſeq. eius ortus 23. examen chemicum 24
Heluetiae et Canadae mineralium comparatio 664
Heluetica acta phyſico - mathematico - anatomico - botanico - medica. Vol. ſecundum 675
Herbarii Blakwelliani emendati et aucti Centuria II. 146 ſeq.
Herniae ſingularis deſcriptio 83. cruralis hiſtoria et curatio 118 ſeq. lacrymalis a fiſtula lacrymali diſtinctio 475. umbilicalis incarceratae hiſtoria 683 ſeq. ventralis 99. hernia defuncti diſſectio 650 ſeq. herniarum curatio 433. ſcrotalium hiſtoria et curatio 206 ſeqq.
Hippocaſtani fructuum uſus 644
Hippomanes 53. in liquore allantoidis animalium 672
Hirci ab ariete et tauro differentia 249
Hiſingh, Carol. ſocietat. reg. ſcientiar. Gottingenſ. correſpondens 354
Hiſtoire de l'academie royale

des ſciences de Paris, année 1751. 38. année 1752. 648. de l'academie royale des ſciences et belles lettres de Berlin, année 1754. 323. année 1755. 628 naturelle generale et particuliere avec la deſcription du Cabinet du Roi Tom. V. 243
Hominum generis propagatio 451 ſeqq.
Hundertmark, Carol. Frid. in Acad. Lipſ. Anatom. et Chirurg. Prof. P. O. 556. acad. Moguntinae ſcientiar. utilium ſocius 716
Hydatidum geneſis 691. per alvum excretio 444
Hydrocelis verae genera 693. in ſexu ſequiori 704. ſpuriae genera 703
Hydrophobia mortui diſſectio 62. ſeq.
Hydropis genera 689. cauſae 690. curatio 80. 103. 196 ſeq. hydrops pericardii 611
Hyoſcyami ſemen in odontalgia 351
Hyperici ſpecies glandulis deſtituta 56
Hyſterica paſſio 104. eius ſymptomata 531. per aeris viciſſitudines mutatio 532

I.

Iallabert, Geneuae conſiliarii ſtatus dicti honore exornatus 716
Iamaicae hiſtoria ciuilis et naturalis 263
Iatrophae diſtinctio 283
Ictерus palpitationis cordis cauſa 439. epidemicus 624
Ideae connatae 459
Ignem exſtinguendi ratio 589
Ignis globus in aere 39
Imaginationis maternae vis in corpus foetus 460. incerta 465 ſeqq. in grauidis laeſio 346
Incruſtatorum ortus 138. incruſtati in agro Gottingenſi deſcriptio 139
Infantis tumor capitis 116. infantum recens natorum diaeta 453
Inſecta Iamaicenſia 286
Inſtrumentum capitis infantilis tranſitum in partu facilitans 93. inſectis capiendis aptum 215
Inteſtinorum motus vermicularis nullus 40. humanorum valuulae 62. calculi 338. tunicarum vaſa 64
Iſatis ad oſſa tingenda uſus 617
Iuſticiae noua ſpecies 274

K.

Kaau Boerhaavii, Abrah. obitus 717
Klein, Iac. Theod. acad. ſcientiar. Petropolitanae ſocius 353. Eiusdem ſtemmata ſiumquadraginta tabulis illuſtrata in lucem proditura 718 ſeq.
Kongl. Suenska Vetenskaps Academien Handlingar foer aor 1755. Vol. XVI. 195. foer aor 1756. Vol. XVII. 387
Krauſe, Carol. Chriſtian. Diſſ. de cauſa proxima corpus foetus mutante, non matris grauidae etc. 455
Küchelbecker, Georg Gottlob obiit 554
Kulenkamp, Nicol. a ſocietate ſcientiar. Gottingenſi praemium retulit 176. 544

L.

Labium leporinum 73. curatum 414
Labrum ophthalmicum 678
Lacerta aquatica 38
Lactis in infantibus usus 453 sq. in aneurysmate usus 614. sal essentiale 469 illud praeparandi modus 470. eius cum sapone veneto et saccharo vegetabili comparatio 471 seq. virtus 473
Lactei liquoris e vena secta emissio 658
Lambsma N. ventris fluxus multiplex ex antiquis et recentioribus monumentis propositus 440
Lapis thebaicus Plinii qualis? 49. lapides cochleati 154. pretiosi ducatus Munsterbergensis 633 seq.
Laricis terebinthina 644. a pino et abiete distinctio 645
Laudani liquidi Sydenhami virtus 518
Laurocerasi aqua venenata 645
Lentis crystallinae superficies non perfecte sphaerica 712
Lepidium foliis radicalibus pinnatis, caulinis lyratis 218
Lethalium vulnerum distinctio 155 seq.
Lidbeck ab acad. scientiar. Holmiensi praemium accepit 395
Lieberkühnii, Io. Nathanael. vitae descriptio 360 seqq.
Lienis usus 665 seq
Ligamentorum in ossa insertio 663
Ligaturae in sanguine sistendo prae agarico praerogativa 480
Ligneorum stratorum in arboribus formatio 41
Linnaei, Carol. Hans Maj:ts Adolph Frideriks vaor allernaodigste Konungs Naturalie Samling etc. 144. Idem ab acad. reg. Holmiensi praemium accepit 201
Linea dealbandi modus 426
Liquidambarum 169. eius species 170
Lochiorum defectus ex lactis in mammas affluxu 348 seq.
Loeflingii obitus 546
Loeseke, Io. Lud. Leberecht obitus 180
Lolium quid? 427
Londinensis societatis regiae historia 304 seqq.
Longaevitas 424
Lucernas corneas in China conficiendi modus 523
Ludwig, Christian Gottlieb in acad. Lipsiensi Therap. Prof. P. O. et Facultatis medicae Decanus perpetuus 556
Luteolae cultura 224 seq.
Lutrae anatome 515 seq.
Luxatio maxillae incompleta 83

M.

Machina sanguini mensurando apta 153
Magnetes artificiales Basileenses 687
Magneticae acus declinatio 394
Magnol, Ant. Quaestio medica: an raro peripneumoniae vomitorium? 161
Mal de la rosa scabiei species 100. eius symptomata 101. curatio 102
Mali varietates 335. Malus degener. ib. seq.
Mammae papilla 64. lactantis variolis infectae historia 390

Manetti, Xauer. acad. ſcientiar. Bononienſis et ſocietat. ſcientiar. Londinenſis ſocius 545
Mannae in catarrhis epidemicis uſus 624
Mare, an certa lege aſcendat? 312. eius fluxus et refluxus cauſa 581 ſeq.
Marteau, Pierre Antoine, analyſe des eaux de Forges 36
Martin, Roland. anatom. et chirurg. Prof. P. Holmienſis 715
Martini, Georg. in Bartholomaei Euſtachii tabulas anatomicas commentaria 705
Matani, Ant. de aneuryſmaticis praecordiorum morbis atque praecipuis eorum cauſis animaduerſiones etc. 609
Maxillae luxatio incompleta 83
Mayer de Mayersbach, Io. Ignat. obiit 547
Medicamenti definitio 486. pectoralis purgandi vis 150. curandis ſcrophulis aptum 298
Medicinae diuiſio 485 ſeq.
Medicae obſeruationes 619
Medullae per oſſa diſtributio 45 ſeq.
Meiſter, Alb. Ludov. Frid. a ſocietate ſcientiar. Gottingenſi praemium retulit 544
Melancholiae curatio 48 ſeq.
Membrana in pratis poſt inundationem reperta 161
Membrorum amputatio 595 ſeqq. in gangraena adhibenda 601. eius neceſſitas 599. pericula 598
Memoires de Mathematique et de phyſique préſentés a l'academie royale des ſciences, Tom. ſecond 499
Menſtruorum cauſa 71. ſuppreſſio curata 659. fluxus in nutrice 95 ſeq.
Mercurius in grauida venerea 346
Metallorum principia 620. ſolium vis ib. ſeq. phlogiſti differentia 619
Metеorologicae obſeruationes 539. Gedanenſes 587. earum uſus 317
Mineralium Iamaicenſium ſynopſis 267 ſeqq.
Mirabilis longiflora 211 ſeq.
Moguntinae electoral. academiae ſcientiarum utilium, quae Erfordiae eſt, hiſtoria 615. Actorum Tom. I. 675 ſeqq.
Molae a ſpurio conceptu differentia 348
Monro, Donald, Eſſay on the dropſy and its different ſpecies 688
Monſtrorum formatio 291. animalium et vegetabilium analogia et cauſae 676. monſtrum bicorporeum 82. biceps 399. cyclopis 338. gemellum coalitum 109
Montes Galliae ardentes 653 ſeq.
Morbi ſingularis hiſtoria 70. ex ſecalis cornuti eſu 508 ſeqq. horum curatio 510. epidemici Moguntenſes 624. Pariſienſes ann. 1751. 46 ſeq. ann. 1752. 656 ſeqq. epidemici in Valle Simmia ann. 1752. 686 ſeqq.
Morbillorum ſymptomata 435. illis ſuccedentes morbi 436
Morſus anatis irati effectus lethalis 87
Müller, Gerard Andr. Diſſ. de oleis

oleis eſſentialibus vegetabilium absque deſtillatione parandis 301
Münſterbergenſis ducatus lapides pretioſi 633 ſeq.
Muſaeum regium Suecicum 144
Muſcarum generatio 291. in ficubus habitaculum 524 ſq.
Muſculorum motus diſtinctio 489

N.

Naeuorum cauſae 346. 458. 467. a monſtris differentia 468
Namae deſcriptio 280
Nannetenſis ſocietas agrorum, artium et mercaturae culturam emendans 352
Napi cultura et oleum 389
Natura corporis humani, quid per illam intelligendum? 485
Neruorum in placenta exiſtentia 461. dubia 464. nerui intercoſtalis origo 709. ex neruis an omnium partium animalium origo? 298
Nitri quantitas in pytio puluere 203
Notopedae motus ſaltatorius 685
Nummi deglutiti per anum excretio 649
Nutricis fluxus menſtruus 95 ſeq.
Nutritionis ratio 63

O.

Obeſitas praeternaturalis 88
Obſeruationes anatomicae 648 ſeqq.
Obſtetriciae artis Inſtitutiones 340
Obſtetricum error. 347. 350
Oculi humani exſtirpatio 92
Oeconomiſch - phyſicaliſche Abhandlungen IX. X. XI u. XII. Theil 422
Olea aetherea 127. eorum coloris mutatio 128. cryſtallorum in iis geneſis et examen 129. eſſentialia vegetabilium absque deſtillatione paranda 301. Olei oliuarum in maturandis ficubus uſus 644. animalis Dippelii virtus 623. 627. olei et vini menſura ex grauitate ſua ſpecifica definienda 212
Oleae cultura et uſus 643
Ophris minima 679 ſeq.
Opium in febre 518. in aneuryſmate noxium 614 ſeq.
Opobalſamum 169
Orth, Io. Mart. Anaſtaſ. Herbipoli obiit 180
Orthoceratites Megalopolitani 617
Oſcitationis effectus 498
Oſſium ſtructura organica 44 660. vaſa 62. fragilitas ex ſcorbuto 89. callus eiusque formatio 309. faciei articulatio 501. prominens pars poſt amputationem 597
Oſſearum laminarum in foetu ſtructura 44. geneſis et incrementum 45. oſſea lamina in cerebro inuenta 77
Ouium hiſtoria 244 ſeqq.

P.

Palpitationis cordis cauſa 438. hiſtoria ib. ſeqq.
Paralyſis electricitate curata 199. 316. vectione in curru ſanata 318
Pariſienſis acad. reg. ſcientiarum hiſtoria et commentarii ad an. 1751. 38. an. 1752. 648. acad. reg. chirurg. theſes et praemia 172. 543
Parker,

Parker, Henr. ligature preferable to agaric in ſecuring the Blood-Veſſels after amputations 480
Partus difficilis effectus 467 ſeq. rarioris hiſtoria 115. ſecundarius 40
Pecorum lues 403. 409. 420. 433. eius cauſa 435
Peloriae flores in Elatine, foliis ſubrotundis, creſcentes 678
Pelnis ocularis 678
Penis monſtroſus 650. eius ſtrangulatio 102. aneuryſma 62. glans et integumenta 63
Pericardii fabrica et capacitas 667. aqua 668. hydrops 611
Perioſteum callum oſſium generat 311
Perſpirationis impeditae effectus 221
Peruuianus cortex *vid.* Chinae cortex.
Peruuianum balſamum 168
Petrificatio trunci arboris 538
Petropolitanae acad. ſcientiar. theſis et praemium 541
Pfenniki, I. G. vita 591
Phalenae deſcriptio 214
Pharyngis muſculi 712
Phialarum vitrearum fractura huiusque cauſa 586
Phocae deſcriptio 65
Pica ſingularis 460
Picis abietinae praeparatio 645. aquae liquidae effectus 75
Pinealis glandula fabulo referta 336
Pini ab abiete et larice diſtinctio 645. ſpecies 645
Piſanae academiae Doctores et Profeſſores medicinae 540 ſeq.
Piſces Jamaicenſes 286
Pituita vitrea 442
Placentae et foetus humorum ſimilitudo 461. vaſorum paruitas 463
Planci, Iani, de urina cum ſedimento coeruleo epiſtola 261
Plantaginis anguſtifoliae, lantum incrementum 152
Plantarum analyſis chemica 76. 520. vegetatio in materiis a terra diuerſis 402. glandulae 55 ſeq. Iamaicenſium claſſes 271 ſeqq.
Plaz, Anton. Guilielm. in acad. Lipſienſi Pathol. Prof. P. O. 556
Plumbi vino admixti examen 312. cum ſtanno mixti diſquiſitio 204 ſeq.
Plumierii, Carol. plantarum americanarum faſciculus III et IV. 240
Podagricae materiae metaſtaſis ad caput 680
Pohl, Io. Chriſtophor. in acad. Lipſienſi Phyſiol. Prof. P. O. 556
Polyphagi Wittebergenſis hiſtoria 634. diſſectio 635 ſqq.
Polypodii radicis uſus 48
Polypus cordis eiusque curatio 682 ſeq. capitis infantis 95
Porci deſcriptio 250. dentes 251. ſpecies 252. proboſcis 253
Praecipitatio 134
Praecordiorum limites 610
Praſius lapis 633
Pryaliſmus *vid.* Saliuatio
Puerorum ex cicutae aquaticae eſu mortuorum ſectio 604 ſq.
Pulchritudinis idea 451
Pulicum coitus 533

Pulſus arteriae 493
Pultis farinaceae in infantibus uſus noxius 454
Puluis ad condienda auium cadauera 306
Pupillae ſtructura et motus 536
Puſtulae petechiales cum haemorrhagia 430 ſeqq. lethalis hiſtoria 159 ſeq.
Purgantium medicamentorum agendi modus 445
Puris profluuium per aluum in phthiſicis 443
Purpurae curatio 36. albae et rubrae hiſtoria 677. Monſpellicardenſes 680
Pyrophori praeparati 133

Q.

Quellmaltzii, Sam. Theod. obitus et memoria 555
Quercus cultura 646. corticis uſus 327. marina 156 ſeq.

R.

Raiae organon auditus 514
Ranae organon auditus 512
Raymond ab acad. ſcientiar. Diuionenſi praemium retulit 174
de Reaumur Renat. Ant. Ferchaud obiit 547
Recueil périodique d'obſeruations de medecine de chirurgie et de pharmacie, Tom. I. 66
Reductio chemica 134
Refrigerationis corporum cauſa 584. poſt exaeſtuationem effectus 625
Remedium antifebrile nouum 518. ad ſiſtendas haemorrhagias 94. ad dentium dolores 351. 399 ſeq. rotrouanum 53
Renum papillae, in his calculi origo 629
Reſinae ex abiete praeparatio 645. nouae deſcriptio 55
Reſpiratio circa illam experimenta 307. eius diuiſio 496. cauſae 497 ſeq.
Retina duplex 64
Reuiuificatio 136
Riedel, Io. Chriſtoph. obitus et vitae deſcriptio 177 ſeq.
Roederer, Io. Ge. acad. reg. Holmienſis ſocius 354
Roonhuyſianum inſtrumentum 104
Roris differentia 58
Rothius, Henr. Theophil. bibliothecae phyſicae editionem promittit 182
Rotrouani remedii praeparatio 53
Rubiae tinctorum cultura 203
Rumicis radicis virtus in oſſium morbis 198

S.

Saccharum lactis *vid.* Sal lactis.
Sal alcali, circa illud experimenta 391. 403 ſeqq. in aere 584. in aquis ſelteranis deeſt 505. commune 110. cum hoc experimenta 418 ſeq. an ſit primigenium? 112. lactis eſſentiale 469. illud praeparandi modus 470. virtus 473. ſedatiuum ex borace 415 ſq. metallorum eiusque virtus medicata 620 ſeq. ſalium alcalium fixorum cryſtalliſatio 618. neutrorum compoſitio 72
Salamandrae organon auditus 514
Saliuatio in grauida venerea 346
Saluiae uſus 299 ſeq.
Sambuci florum virtus 83
Sanguinis motus 630. arterioſi motus

motus 493. profluuium per aluum 443. color in pulmonibus 497. globulorum diuiſio dubia 489 ſeq.
Satyriaſis 88. eius a priapiſmo et tabe dorſali differentia 89
Scarabaei elaſtici motus ſaltatorius 685
Scarifationis commoda 601. in gangraena uſus ib.
Sceleti humani proportio ratione aetatis 535. ratione ſexus 536
Schaeffer, Iac. Chriſtian. der krebsartige Kiefenfuſs mit der kurzen und langen Schwanzklappe 144. die eingebildeten Würmer in Zaehnen nebſt dem vermeintlichen Hülfsmittel wider dieſelben 350
Scheffel, Chriſtian Steph. Diſſ. de fiſtula lacrymali eamque ſanandi methodis 474
Schreiber, Io. Frid. kurze, doch gründliche Anweiſung zur Erkänntniſs und Cur der vornehmſten Krankheiten etc. 448. Eiusd. Almageſtum medicum 483
Schwenke, M. W. Verhandeling over de waare Gedaante, Aart en Uitwerking der Cicuta aquatica Geſneri etc. 602
Scirpus ſetaceus, capitulo ſingulari turbinato 677
Sclopetariorum vulnerum cauſa 292
Scomber, canis carchariae comes 200
Scorbuti effectus 89. ſignificatio in lingua Sclauonica 91
Scriptorum phyſico-medicorum, quae an. 1754. prodierunt, indicis ſupplementum alterum 185. anni 1755. ſupplementum 188. anni 1756. index 369 ſeqq. huius continuatio 557 ſeqq. 735 ſeqq.
Scroti anaſarca ab hydrocele cyſtica differt 694. ex iſchuria ib. ſeq.
Secalis cornuti eſus noxius 507
Selenitica terra incruſtatorum cauſa 138
Selteranarum aquarum examen 503. vires 506. ſalis alcali in illis defectus 505
Seri lactis in aneuryſmate uſus 614
Serpentis organon auditus 513
Seta porcorum 253
Sexus in omni animalium genere analogia 295 ſeq.
Solutio chemica 133
Spermatici funiculi anaſarca 695. hydrocele cyſtica 702
Spiritus frumenti ſaporis ingrati correctio 622
Stanni uſus noxius 98. in lepra uſus 90. cum plumbo mixti examen 204 ſeq.
Stridsberg ab acad. reg. ſcientiar. Holmienſi praemium accepit 201
Styrax liquidus 170
Suberis cultura 646. corticis ſeparatio quando ſuſcipienda ib. ſeq.
Subligaculorum ſpecies 98
Sublimatio 130
Succini ſalis volatilis depuratio 623
Suecicae acad. reg. ſcientiarum acta anni 1755. Vol. XVI. 195. an. 1756. Vol. XVII. 387
Sulphuris natura 84
Suſpirium quid? 497
Sympathetic. atramentum 313
Syrinx arbor 55

T.

Tabani ictus venenatus 435
Tabes epidemica 624
Telum phocas capiendi aptum 204
Tendinum in ossa insertio 663. laesio et curatio 599. tendo Achillis a saltu disruptus 237
Terra cum alcali iuncta 393. terrae tremoris effectus 401
Testacea Iamaicensia 285
Testiculi hydrops 703
Thebesii, Io. Ehrenfr. Hebammenkunst 340. Eius obitus et vitae descriptio 549 seqq.
Therebintina 165 seq. eius species 166 seq. Chia 647
Thoracis motus 489. vulnus sine costarum laesione 593
Titius, Io. Dan. a societ. reg. scientiar. Gottingensi praemium retulit 714
Toluranum balsamum 168 seq.
Tonsillarum scirrhosarum exstirpatio 89
Tralles, Balth. Lud. das Kayser-Carls-Bad in Boehmen in einer Ode entworffen, nebst einer Abhandlung von dem Gehalte und den Kraeffren dieses grossen Heilmittels 25
Transpiratio in hyeme maior 71
Tripedis infantis historia 94
Trituratio digestionis in auibus herbiuoris causa 669 sq.
Tumoris capitis historia 86. colli curatio 400 seq. tunicati definitio 198. huius curatio 699
Tussis eiusque causa 498. aneurysmatis causa 612 seq.
Tutanego minerale 421

V.

Vaginae uteri tumores 349
Vaginalis tunicae cysticae hydrocelis signa 696. origo 697. causae et curatio ib. seqq. cum aliis tumoribus cysticis conuenientia 698 sq. exstirpatio 700. huius commoda 702
Valuulae intestinorum humanorum 62. coli fabrica 61
Vandermonde Essay sur la maniere de perfectionner l'espece humaine 451
Variolarum insitio singularis 390. Bengalae consueta 322. eius successus Lausannae 686. variolis accedens diarrhoea 442
Varroniae character 279
Vasorum anastomoses 708
Venae cauae pulsus 495
Venaesectio in aneurysmate 614. in amputatis 599. in acutis 35. in epilepsia 79 seqq. in cysticae hydrocelis exstirpatione 701
Ventriculi morbus singularis 80 seq. paralysis 664 seq. inflammatio ex cicutae aquaticae esu 604
Ventris fluxus multiplex 440 seqq. eius causae 445 seq. curatio ib. seq.
Verhandelingen uitgegeven door de Hollandse Maatschappy der Weetenschappen te Harlem. Erste Deel 309
Vermes in dentibus ficti 351. in ouium hepate 246. vermis lucentis foeminae transformatio 519
Versuche und Abhandlungen der Naturforschenden Gesellschaft

ſellſchaft in Dantzig, dritter Theil 579
Veſicae urinariae inflammatio curata 679. calculi 98
Vini et olei menſura ex grauitate ſua ſpecifica definienda 212
Viſcerum abdominalium inflammatio 627
Viſci baccarum vegetatio 647
Vitriolum ferri ex aquis mineralibus parandi methodus 32 ſeq.
Vocis defectus poſt morbillos 436
Vogel, Rudolph. Auguſtin. Commentatio de incruſtato agri Gottingenſis 137. Inſtituriones Chemiae 120
Vomitus cauſae 664 ſeq.
Vomitoriorum in acutis uſus 36. Vomitorium an raro peripneumoniae? 161
Vrethrae caruncularum curatio 298
Vrinae ſedimentum coeruleum 261. eius cauſſa 262
Vteri fungus ſanatus 314. orificii diſtinctio 344. vaginae tumores 349. uterus duplex 649 ſeq.
Vullyamoz, Marc. Ludou. Diſſ. de ſale lactis eſſentiali 469
Vulnerum lethalitatis diſtinctio 155 ſeq.

W.

Wedelii, Io. Wolfg. obitus et vitae deſcriptio 547 ſeq.

Z.

Zinn, Io. Godofr. acad. ſcientiar. Bononienſis ſocius 354
Zinziberis character 274
Zittmanni, Io. Frid. obitus 355
Zizania quid? 427
Zoophyta Iamaicenſia 284

EMENDANDA.

Pag. 189. lin. 11. Bet aenkande l. Betaenkande eod. p. l. 12. DROWALLIVS. l. BROWALLIVS. p. 323. lin. 31. 1756 lege 1754. p. 373. l. 28 adde *m. K.* p. 379. l. 15. DE leg. DV. p. 447. l. 21. punico l. punica. p. 499. l. 4. pars l. par. p. 561. l. 7. adde. 12. p. 564. l. 19. BERAND. l. BERAVD.